GERMANIÆ CANONICO-AUGUSTINIANÆ PARS V.

Littera R.

RABENGIRSPARGENSE,

Ab Abbate Trithemio in Chron. Hirſaug. Tom. 2. ad annum 1296. ſub hoc nomine recenſetur, alias vero apud Miræum de Cann. Regg. cap. 13. fol. 67. *Monaſterium in Ravensberghen* appellatur, Diœceſis Moguntinenſis, in Palatinatu Heidelbergenſi, hoc tamen jam pridem ab heterodoxis Regionis Inquilinis impie direptum & exuſtum eſt. Secundum primam Originem ſeu Fundationem ſuam refertur ab eodem Trithemio citato in hæc verba notatum: *Notandum, quod oppidum Altzen* (tribus illud milliaribus a Moguntia, & totidem etiam a Wormatia ſejunctum eſt. Ex teſtimonio Michaëlis Baudrand in Lexico Geographico Part. 1. fol. 31. perdurante Bello Suecico miſerrime fuit devaſtatum) *olim ad jus pertinebat Comitis de Rabengirſparg cum villis & terris adjacentibus. Anno autem Dominicæ Nativitatis Milleſimo vel circa, quidam Comes de Rabengirſparg ipſum Caſtrum ſuum Omnipotenti Deo Creatori omnium obtulit, & in Monaſterium Canonicorum S. Auguſtini Præſulis immutavit. Hoc autem Cœnobium Regularium in Moguntina Diœceſi conſtitutum, a Monaſterio quondam meo Spanheimenſi tribus fere diſtat Milliaribus, cujus Fundator totum Comitatum ſuum Fratribus pro ſuſtentatione ſui donatione perpetua contulit, addens & prædictum Oppidum Altzen cum omnibus proventibus ſuis in augmentum præbendarum Dei famulorum. Deinde poſt annos plurimos Comes quidam HIRSUTUS, qui vulgariter dicebatur* der Ruchgraff *prædicto oppidulo per viam commutationis quædam bona & proventus in Ducatu Moſellano ſita, memorati Cœnobii Præpoſito & Fratribus dedit, & arcem in eo conſtruxit, & ſic Altzen in Monaſterio Rabengirſparg alienatum fuit usque in præſentem diem. Poſtremo Comitibus HIRSUTIS omnibus vita defunctis, & omnino deficientibus, hodie quoque memoria penes in oblivionem devenit. Oppidum vero Altzen Palatini obtinuerunt.*

RACEBURGUM.

Raceburgenſis Eccleſia Cathedralis in inferiori Saxonia & Ducatu Mechelburgico jure ac titulo Suffraganeatus Metropolitanæ Bremenſi ſubdita (modo tamen eadem hæc jam ab anno 1648. vigore Pacificationis Weſtphalicæ Sacrilega Metamorphoſi in

Principatum Sæcularem transmutata) mox a prima inſtitutione ſua, decurrente Sæculo decimo facta, communem illam antiquam Regularitatem Sacris Canonibus Auguſtinianis conquadratam ſuſcepit obſervandam, nimirum ceu de Comprovincialibus ſeu Saxonicis una, de quibus Albertus Krantzius (jam ſupra lit. M. V. Magdeburgenſe in id adductus) refert, id temporis per omnes Saxoniæ Eccleſias hujuscemodi Regulare inſtitutum fuiſſe conſtanter occupatum, quamvis hoc ipſum poſtmodum ad ſtrictiorem obſervantiam novæ formulæ Præmonſtratenſis redactum.

RACEBURGUM,

Eadem Epiſcopalis quondam civitas præter ſuum Cathedrale Collegium adhuc vel unum ſaltem antiquitus habuit Ordinis Canonico-Auguſtiniani Monaſterium, atque iſtud tum anno, tum authore non notato fundatum, cujus aperta mentio habetur apud eundem Krantzium in Metrop. Saxoniæ Lib. 4. cap. 39. vel paucis in hæc verba legendum: *Tum etiam* (circa annum Chriſti Milleſimum ſexageſimum ſextum) *per ſingulas Wandaliæ* (ſeu Saxoniæ inferioris) *Urbes cœnobia fiebant Sanctorum Virorum Canonice viventium, ſicut teſtantur ii, qui in Lubeck, Raceburg, Leontio, & aliis civitatibus viderunt &c.*

RADENSE,

Monaſterium, ſeu *Radenſis Abbatia celebris & antiqua Canonicorum Regularium Diœceſis Leodienſis territorii Limburgenſis a Ducibus Limburgenſibus extructa & dotata habens ſub ſe octo Parochias, & tria Monaſteria Canoniſſarum.* Ita Pennottus Lib. 2. cap. 38. fol. m. 401. nec plura.

RAMSOLA,

Vetuſtiſſimum hujus nominis Canonicorum primum quidem Regularium, ſubinde vero Sæcularium Collegium, communiter de Ramſola nuncupatum, olim in partibus Aquiloriariibus Diœceſi Verdenſi perinclytum, idem tamen poſterioribus Sæculis cum execranda Religionis Orthodoxæ immutatione penitus abrogatum. Cæpit autem iſtud Authore S. Anſchario Bremenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopo ſub annum gratiæ 865. tertio nonas Februarii cœlis recepto: qui Collegium iſtud in Supplementum Metropolitanæ ſuæ Hamburgenſis ſecundum priorem hujuscemodi dignitatem nuper extincti, tale novum apparavit. Habetur ſingularis mentio illius apud Krantzium in Metrop. Lib. 1. cap. 34. taliter annotata: *Anſchavius Epiſcopus Verbum Dei, cujus functus eſt Legatione, tam ſuis, quam alienis infatigabiliter ſeminavit; unde contigit, quod prædium Ramſola a quadam Venerabili, ac divite illarum partium matrona dono acciperet: Nomen ejus Ibia, perennandum merito ſuæ Religioſæ largitatis, qui locus in Epiſcopatu Verdenſi poſitus, ab Hamburgo tribus diſparatur raſtis, hoc eſt, paſſuum millibus. Ibi Sanctus Dei Cœnobium conſtituens, Reliquias Sanctorum Sixti, & Semnitii locavit Confeſſorum, quæ usque in hodiernum diem eo loco permanent, inſuper & alia patrocinia ibi depoſuit, quæ ab Hamburgo fugiens ſecum tulit, ubi & gregem profugum collegit, depulſosque agentibus ſocios in eo partu retinuit &c.*

RANSHOVIENSE,

A Romanis, qui priſcis temporibus Arcem hic loci tenuerunt munitiſſimam, Bidæum, Bideum, Bidocum, poſtmodum vero, dum a Bojis circa annum 520. profligati ſunt, a victoribus Ranbersdorff, ſeu Ranttensdorff, ac demum Ranshoffen dictum, in ſuperiori Bavaria, Diœceſi Batavienſi, inclytiſſimum Canonicorum Regularium S. Auguſtini Collegium, incunabula ſua trahit ab Arnulpho Imperatore Auguſto, Carolomanni, Bavariæ, ac Italiæ Regis filio, qui ædiculam quamdam ſacram ad preces Wichingi Epiſcopi Batavienſis Chriſto Domino, & S. Pancratio a fundamentis extruxit in Rantensdorff, curamque hujus Pancratianæ ædis Ellenbrecto Sacerdoti cuidam tradidit ſæculari, ea tamen lege, ut Parocho ſubeſſet Oettingenſi, & poſt mortem Ellenbrecti ipſa etiam Eccleſia, prout claret ex Diplomate ab Imperatore fundatore dato ſub annum 898. actum ad Reginam Civitatem anno Imperii Arnulphi 3.

Ellerbertus huic Sacello præfuiſſe legitur annis 22. poſt cujus obitum, ut ſupra dictum eſt, Pancratianum Sacellum in poteſtatem venit Oettingenſium, ſub quorum procuratione manſit amplius centum annis; inde anno a nativitate Chriſti 1040 amplius

plius dotavit, refecit, ampliavit, certisque limitibus ultra, & citra Oenum distinxit, decimasque omnium rerum, Piscationum quoque, & Venationum donavit, atque demum in Ecclesiam erexit Parochialam Henricus III. Bojorum Dux, hujus nominis V. Primus Ecclesiæ hujus Parochus præfuit Hartus, Sacerdos sæcularis per annos 20. mortuus 1060. Secundus Harto, quem aliqui cum primo confundunt, præfuit tempore Ottonis Bavariæ Ducis; tertius extitit Parochus tempore Welphorum I. & II. Bojariæ Ducum, Herenbertus de Phaphing. Tandem ab Henrico VIII. vel potius IX. itidem Bojariæ Duce, Ecclesia hæc in Monasterium commutata, & adnitente Conrado Archi-Episcopo Salisburgensi Canonicis Regularibus administranda fuit concessa.

Varii Pontifices confirmarunt Ordinem, & Privilegia hujus inclytæ Canoniæ, & cum Archi-Diaconatu multarum Parochiarum, usus quoque Pontificalium, & aggregatio Congregationis Lateranensis accesserunt, prout inferius in serie Abbatum luculentius patebit.

Cæterum in Ranshovensi Ecclesia sepulturam assumpserunt præprimis Elisabetha conthoralis Maximiliani Bavariæ Ducis, & S. R. I. Electoris &c. cujus viscera tumulata jacent in choro Ecclesiæ, Joannes Princeps de Hohenzolleren, Joanna Comitissa a Königseck cum nonnullis aliis Comitibus, Baronibus, Prænobilibus, Nobilibus &c.

Catalogus Reverendissimorum DD. Prælatorum.

I. RAPHOLDUS, cujus mentionem facit Diploma Henrici VIII. Ducis Bojorum, in quo, consensu Wulfhildæ Uxoris, dat Decimas in Pago Raneshoven &c. cujus datum est in Palatio Ranshoven anno 1128. Aventinus L. 6. 618. Decimo ab hinc anno consecratum est Monasterium a Reginaberto Episcopo Pataviensi sexto Idus Novembris. Hoc tempore civitas Brundunum, seu Braunau, nondum erat ædificata, sed fuit sedes Nobilium, qui inde cognominabantur, & in Ranshoven sepulti sunt, uti Liber Donationum indicat, & legere est apud Hund. fol. 278. Addo hunc Rapholdum Præpositum Primum fuisse, ad regimen vocatum anno circiter 1119. sedit ad clavum 20. annos; desiit inter mortales esse anno 1146. Anno secundo ejusdem Regiminis Henricus nonus Dux Bavariæ Jus decimandi in Ranshoven, & pleraque prædia D. Pancratio contulit, atque donavit, nec non Litteras Fundationis in Ranshoven tunc temporis suo adhuc Palatio expedivit anno 1125. 30. Julii. Hinc credo, Wiguleium Hund voluisse supra citare loco Henrici octavi, nonum, qui simul fuit Dux Saxoniæ Potentissimus, cujus piissima Wulfhildis Conjux post exactos in Religione 3. ferme annos sempiterna excepit gaudia anno 1127. Sub hoc Rapholdo Præposito fuit anno 1138. sacellum D. Protomartyri Stephano in valle, & ripa Oeni, ubi nunc Brundunum situatur, dedicatum a Conrado Archi-Episc. Salisb. & Romano Gurcensi Episcopo. Item sub eodem Præposito anno 1140. Primipilo Angelorum, S. Michaëli Basilica prope Collegium fuit erecta, & anno 1142. Conradus tertius Imperator Collegii tutelam amplissimo Diplomate susscepit, & sequenti anno 1143. inter mitissimos magnorum Principum erga Collegium Favonios asperrima hyems in illius ditionem variis desæviit plagis.

II. MANEGOLDUS, Artium Magister, Vir doctus, quem quidam vocant Musarum Parnassum, & Scientiarum Theatrum; impetravit ab Eberhardo Archi-Episc. Salisb. Parochiam Hochenwerch, nunc *Hochburg* vocatum, & Confirmationem Privilegiorum, ab Eugenio tertio Pont. Max. Suffragante Henrico decimo, Archi-Duce totius Bojariæ Orientalis, & Occidentalis filio D. Leopoldi, uti Hundius refert. Obiit anno 1157. postquam sedit undecim annis. Sub hoc Prælato Festum Immaculatæ Concept. B. V. M. in hoc Collegio publicis honoribus celebratum fuisse, & impetrasse ab Eugenio quarto P. M. largissimi Juris Bullam, cui suffragabatur Henricus decimus, Superbus, Henrici noni filius, totius Occidentalis, & Orientalis Bavariæ Dux. Item tunc sacrabantur universim omnia Jura temporalia Monasterio fundationibus, donationibus, unde unde quæsita; nec non Paræciæ S. Michaëlis, Neukierchen, Häntenberg: & Gerolsperg Apostolico munimine incorporabantur, & confirmabantur. Roborabatur insuper Jus eligendi Præpositum, rejecta omni extranea potestate, & B. Eberhardus XXX. Ep. Salisb. ex Comitibus ab Hilbolstein concedebat Manegoldo Parochiam *Hochburg*.

III. MEINHARDUS, vel MEGENHARDUS, impetravit ab Hadriano quarto P. M. Privilegiorum comprobationem, efflagitante Henrico undecimo, qui Leo cognominabatur, Duce Bojorum, & Saxonum Potentissimo, deditque Megenhardo huic dona-

donaria, & Privilegia. Præfuit annis 5. obiit 1162. Collegium hoc non ſolum anno 1157. 4. Calendas Febr. ad inſtantiam Bavarici Leonis, ſeu Henrici duodecimi Privilegiorum comprobationem accepit, ſed & Pontifex ipſe tutelam ſuſcepit, conceſſit in præfatas Eccleſias Jurisdictionem quaſi Archidiaconalem &c.

IV. ALTMANNUS Confirmationem Eccleſiæ Hochenwerch, ſeu *Hochburg* de integro impetravit ab Eberhardo Ep. Salisb. ſub eo anno 1169. Baſilica D. Michaëlis conſecrata eſt; præfuit annis 16. obiit anno 1178. 12. Calend. Maji, Collegii Benefactor pius, ſub quo deficiebant Comites de Burghauſen, & ab his devolvebatur Collegii Advocatia, vel Curatela ad Duces Bavariæ, & anno 1169. a Theobaldo XLI. Paſſav. Eccleſiæ Præſule templum S. Michaëlis ſacris ritibus initiabatur.

V. ALHARDUS, ſeu ADELHARDUS, triennio Prælaturæ nondum abſoluto, ad plures digreſſus, diem ſuum obiit anno 1180.

VI. LUITHOLDUS perhibetur fuiſſe Theſaurarius Ottonis Wittelspachii, hujus nominis primi Bojariæ Ducis; poſt ſexenne Regimen feliciſſime conſummatum, emigravit anno 1186.

VII. ETICHO etiam ipſe impetravit Privilegiorum Confirmationem a Cœleſtino P. M. III. præſedit annis 9. morte ſublatus 1196.

VIII. BERTHOLDUS vidit Brunovium, antea munitiſſimum Bavariæ propugnaculum, in novam civitatem exſurgere, quam condere cæpit Ludovicus IV. hujus nominis Dux Bavariæ, Ottonis Wittelspachii filius, Prælaturæ, & Telonio inde Ranshovio ad eam translatis; ſedit annis 13. vitam liquit 1209.

IX. WICHARDUS commiſſam ſibi, cui laudabiliſſime annis 15. præfuit, Eccleſiam a Jurisdictione Archidiaconatus Patavienſis omnino liberam, & exemptam fieri procuravit; demum ad ſuperos translatus anno 1224. 4. Calend. April.

X. MARQUARDUS poſt exactum Prælaturæ ſexennium morte naturali peremptus anno 1230.

XI. HENRICUS Præpoſitus. & Archi-Diaconus de præclariſſima, qua plurimum excelluit, rerum gerendarum peritia ſummopere commendatus, ab Imperatore Friderico II. in numerum Sacerdotum Domeſticorum relatus; quod tum ſingularis habebatur honos. Sub eo circa annum 1242. vel, prout adnotavit Conradus hujus nominis primus, ordine Præpoſitorum 14. anno 1243. Monaſterium combuſtum eſt ab hoſtibus ex Obernſperg prorumpentibus. Denique, dum ſumma cum induſtria rem Canoniæ annis 15. procuravit, & inter alia Domum Pataviæ coëmit, terris demortuus eſt anno 1245. 7. Cal. Auguſti.

XII. ORTLIEBUS & ipſe ab Imperatore Friderico II. inter Sacerdotes Domeſticos adnumeratus, decennio præfuit, ubi Cœnobium ex cineribus denuo revixit, magnifice ſatis inſtauratum, templumque omnino novum ab Ordinario, Ottone de Lonſtorph, Epiſcopo Patavienſi ritu ſolemni conſecratum anno 1255. quo & Ortliebus plenus meritis diſceſſit.

XIII. SIFRIDUS ad clavum ſedit annis 23. inde ſpontanea Reſignatione Adminiſtrationi cedens, ad privatam vitæ clauſtralis requiem rediit, & ſexto poſt menſe extremum vitæ diem clauſit anno 1277. ſexto Idus Junii. Sub eo Cœnobium intra annos quinque, vel ſex jam ſecunda vice fatalem incendii caſum a militibus Ottocari Bohemiæ Regis, ferro, flammaque in Bavaria graſſantibus, ſuſtinuit; ut inter alia ipſe Sifridus in Epiſtola ad Clementem IV. P. M. deplorat; ob diuturnas belli pernicies Regem Bohemiæ inter, & Ducem Bavariæ, Henricum, & Ottocarum ad tantam hoc contubernium inopiam eſt redactum, ut, ubi prius viginti quatuor Sacerdotes cum aliis 50. congrue alerentur, vix tum 3. paſcerentur. Impetravit ab eodem Clemente P. M. ut Parochias per ſuos Canonicos adminiſtraret, itidem a Petro Patavienſi Epiſcopo Decimas templi S. Joannis ad Mæticham, duas aras etiam, vivifice cruci unam, & individuæ Trinitati alteram conſecrari fecit a præfato Petro, Patavienſi Epiſcopo.

XIV. CONRADUS I. Burghuſii natus- Archi-Diaconus Maticenſis, vir diligentiſſimus, & ingenioſiſſimus, electus anno 1277. feria tertia, die proxima Feſto S. Bartholomæi. Regiſtrum, ſive Libellum, Privilegia, Cenſus, prædiaque continentem confecit. Legatus Henrici Ducis Bavariæ ad Cæſarem Rudolphum miſſus ab Alber-

to,

to, Cæsaris filio immunitatem vectigalium vini impetravit, & in numerum Domesticorum Sacerdotum relatus est. Quicunque ejus concioni, sacrificioque interfuit sceleribus expiatus, demum dierum venia donabatur. Opera sua instauravit Cœnobium, pavimentum templi stravit lyterculis coctilibus, pulchrum suæ diligentiæ, & industriæ monumentum; interfuit translationi Sacelli in valle secus ripam Oeni, S. Stephano Protomartyri olim anno 1138. constructi, ad novam urbem Brunovien sem solemniter factæ, nova Ecclesia, & quidem sat ampla inibi constructa, ubi & anno 1283. templum Ranshovien se consecratum est ab Henrico Comite de Rotenek, Episcopo Ratisbonensi, Henrico XII. Bojariæ Duce sumptus magnifice præbente; inde obviam profectus est Alberto, Duci Austriæ, qui in Cella circa Ried cum Friderico Episcopo Salisburgensi hostili animo castra metatus fuerat: redierunt tamen in concordiam Ducis. Denique, cum annis 34. Suis felicissime præfuisset, obiit anno 1311. 8. Idus Maji.

XV. CONRADUS II Brunovien sis, cum more Principum amplam plus familiam aleret, æs alienum grande nimis contraxit; præfuit annis 21. vita, & Regimine demortuus anno 1332.

XVI. ULRICUS I. ob prodigalitatem Antecessoris sui leges accepit gubernandi ab Alberto Patavii Episcopo; sub eo anno 1337. Sacellum juxta ædem D. Michaëlis S. Spiritui, & D. Oswaldo extructum est ab Ulrico Schön, cive Brunovii. Iisdem Brunovien sibus ad instantiam Ottonis, Bavariæ Ducis, proprium Parochialis Ecclesiæ Curionem indulsit Ulricus noster; hunc tamen non nisi ex Regulari hac Canonia dandum, qui constanter ibi habitaret, & de more divina perageret, successu temporis tribus aliis Collegiis Religiosis associatis. Gubernacula optime tenuit annis 10. decessit anno 1342.

XVII. WERNHERUS singularis pater pauperum appellari promeritus, expletis 21. Regiminis annis 4. Nonas Octobris pia morte sopitus est anno 1363. sub eo fundata legitur Missa in superiori Choro ab Imperatore Ludovico IV.

XVIII. HENRICUS II. annis 12. in supremo Prælaturæ munere multis titulis strenue promeritus, digniss ime præsedit, quousque demum sarcinam carnis deposuit anno 1375. die 27. Septemb.

XIX. STEPHANUS annis 13. hoc primatu potitus, demum pacifice in Domino quievit anno 1388. die 8. Decembris.

XX. HENRICUS III. Gamberl cognominatus, quinquennio præfuit, domum æternitatis ingressus anno 1393.

XXI. MATHIAS, Antistes inclytus, Oppidanis Brunovien sibus, mortuos suos usque in hæc tempora Ranshovii sepelire solitis, majoris commoditatis gratia proprium quoddam interventu Principis terræ, Henrici, Ducis Bavariæ, cæmeterium apparare concessit, & intra muros Brunovii instaurandum, quod & Georgius tum Patavii Episcopus authoritate ordinaria legitime comprobavit anno 1406. anno 1417. Joannes de Maurkirchen, Canonicus Ranshovii tum Curio Brunovii de prævio assensu Patroni, Venerabilis Domini Præsulis primum lapidem posuit Ecclesiæ S. Spiritus, Xenodochio Brunovii contiguæ; ipse vero Præsul Archi-Diaconus vitam finiit anno 1426. 3. Septembr. tumulatus in medio templi Ranshovii, ubi etiamnum extat monumentum marmoreum, gratæ memoriæ ergo a posteris collocatum.

XXII. HENRICUS IV. Prellar cognominari solitus, aliquando Præposituræ munere, quo fato, non sat liquet, destitutus, denuo tamen per omnia sibi redditus, novennio præfuit, mortuus, & sepultus anno 1435. septimo calendas Augusti.

XXIII. ERASMUS Ridmund, electus anno 1435. supremam hanc Cathedram annis 9. tenuit, ubi in urbe Brunovii novi Parochialis templi ea majestate, qua hodiedum perstat, extructi primum lapidem posuit. Ad plures abiit 1444. in Festo S. Margarethæ.

XXIV. FRIDERICUS Gunderstorffer Disciplinæ Canonicæ Zelotes mirus, severiores inter suos, juxta D. Augustini Canones introduxit bene vivendi sanctiones, & Constitutiones; in officio suo admodum solicitus quadriennio præfuit, terris deficiens anno 1448.

XXV. ULRICUS II. Puecher cognominatus, ex Decano Clauſtrali in Præpoſitum communibus ſuffragantium calculis conſtitutus, poſt tres Regiminis annos morte præoccupatus, diſceſſit anno 1451. Vigilia S. Thomæ Apoſtoli.

XXVI. THOMAS Witil undecennio præfuit, denatus 1462.

XXVII. ERHARDUS bene præeſſe neſcius, poſt ſexennium ab officio in totum abſolutus, adhuc annis 25. ſuperſtes manſit, & privatus vixit, mortuus 1493.

XXVIII. WOLFGANGUS ex Canonia Thierenſteinenſi inferioris Auſtriæ poſtulatus, præ cunctis Prædeceſſoribus ſuis nomen, & titulum ſecundi Fundatoris ſtrenue promeritus anno 1474. primum lapidem poſuit Parochialis Eccleſiæ Ranshovii D. Michaëli dicatæ; tum meritis onuſtus in Domino requievit anno Regiminis 23. Chriſti 1491.

XXIX. LEONARDUS Callinger vix integro ſedit triennio, mortuus anno 1494. 22. Julii.

XXX. BLASIUS Roſenſtingel ſtupenda prorſus humilitate, & munificentia in egenos præditus, calceos etiam de pedibus in ſtipem pauperibus detrahens, decennio fere præfuit; inde octoginta annorum ſenex flexis genibus in cubili ſuo exanimis repertus 1504.

XXXI. CASPARUS Türndl ex Mühldorff, Comprovinciali oppido Ditionis Salisburgenſis, graviſſimis licet bellorum calamitatibus laceſſitus, magno tamen Cœnobii emolumento præſedit, de ſingulari corporis, & animi modeſtia paſſim apud omnes mire commendatus; ex Suis nonnullos ad publica Viennæ ſtudia miſit, univerſum templum e fundamentis ædificavit, pingique curavit, Annales Canoniæ diligenter conſcribi fecit anno 1516. qui & completi ſunt per Joannem Aventinum anno 1529. optime præfuit annis 25. mortuus anno 1529.

XXXII. AUGUSTINUS Münch, Vir prudens, & ſobrius, omnino celebris, rei œconomicæ, & divinæ, ſeu Religioſæ pro viribus augmentandæ, maxime vero Sacris Litteris aſſiduo volvendis, & revolvendis deditiſſimus, ſedit annis 31. Ad inſtantiam Principis terræ, Alberti V. Bojariæ Ducis, lubens indulſit, ut Brunovii Eccleſia Parochialis poſtea adminiſtretur a Curione Sæculari, quibusvis tamen Juribus Matrici Ranshovienſi in illam retentis, quibus in terminis res etiamnum verſatur. Denique ultimo confectus ſenio clavum ſponte ſua reſignavit anno 1560. die 5. Junii, tempore exin omni orationibus dato, mortuus 26. Octobris, anno ætatis 78. Chriſti 1566.

XXXIII. ADAMUS Gensleutner, exquiſitiſſimo præditus ingenio, pius, liberalis, rerum domeſticarum ſtudioſiſſimus, ſedit annis 20. vixit 55. mortuus anno Chriſti 1587.

XXXIV. STEPHANUS Hoffer annis 23. Regiminis laudabiliſſimi plurima præclare geſſit, ſingulari probitate, Religioſa charitate, in quosvis liberaliſſime demonſtrata, conſpicuus; tandem meritis inclytus emigravit 29. Julii, ætatis 56. Chriſti 1610.

XXXV. HILARIUS Steurer, Bohemus natione, patria Budwicenſis, in Choro Romanum morem juxta Decretum SS. Concilii Tridentini, in Officio divino poſtea tenendum curavit. Cæterum per omnia laudatus, decennio fere præſedit; tandem multis ægritudinibus conſumptus, obiit anno 1620. ætatis 39. 4. Februarii.

XXXVI. PHILIPPUS Federl, Vir maximæ authoritatis, clarus ſapientia, doctrina illuſtris, facundia incomparabilis, potiſſimum vero Diſciplinæ Canonicæ Zelotes eximius, electus fuit die 22. Martii 1620. natus mundo Burghuſii, Bavara civitate, locupletibus parentibus anno 1593. Juvenis adhuc huic Collegio, tum florentiſſimo, nomen dedit ſub Reverendiſſimo D. Hilario, Prædeceſſore proximo, cujus ductu tales in Religioſa perfectione fecit progreſſus, ut ſtupori eſſet, & omnium exemplo, dignus, quem æmularentur Juvenem ſenes; tandem diu ſub modio latuit; ſed mox in lucem effulſit ætatis anno 27. poſitus in ſuæ candelabro Eccleſiæ: tum ſolem in meridie cerneres; ex obſcuris languidæ vetuſtatis ſordibus ſic a fundamentis ſecum erexit hoc Collegium, ut de priori nec lapis maneret ſuper lapidem, adinvenitque auguſtam prorſus formam, ita, ut Principum potius palatium, quam Religioſorum Aſcetarum dici meruerit domicilium. Nec tamen eſt, amice Lector, quod hic cavilles ſapientiſſimum, & Religioſiſſimum architectum, quaſi in leges clauſtrales humilitatis, & modeſtiæ impegiſſet;

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pegiſſet; nam nummos ad tam magnificum, vaſtumque ædificium, præque omnibus tum totius Bavariæ Aſceteriis ſplendidiſſimum ſubminiſtravit ipſe Princeps terræ, Maximilianus Bavariæ Dux, S. R. I. Elector.

Collegio abſoluto, Philippus manus applicuit ſuæ amplius exornandæ Eccleſiæ; quod ſane magnifice præſtitit, pretioſiſſima comparata Hierotheca, ſanctiſſimo Evchariſtiæ epulo recondendo deſtinata, ad quatuor mille florenos æſtimata; nec interim damnum paſſum eſt Collegium, nec æs contraxit alienum: tanti refert, œconomica prudentia præſtare; unde merito alter inaudiit Fundator, qui ab Urbano VIII. uſum Pontificalium obtinuit primus. Diſciplinam Religioſam rigidioribus inſtauravit legibus, novellas plantas ipſe excolens, ſcriptis utiliſſimis Libellis informans, ut ſic merito inter obſervandiſſima ſacrorum Auguſtini Canonum Aſceteria computatum fuerit Ranshovium; cujus odore altius captus eſt Sereniſſimus Dux, & Elector Maximilianus, inter ferociſſimos Bellonæ Gallo-Suecicæ Bavariam quaſſantis turbines, huc ſe recipiens; integro aliquando unius prope anni decurſu cum Sereniſſima Conjuge, & tota aulicorum caterva ibi immorans, ſuaviſſime paſtus Præſulis exemplo optimo, & reliquorum Canonicorum miris Clauſtri obſervantiis. E ſuggeſtu tam facunde, & potenter ſanctum Chriſti Evangelium explicuit, ut ipſe Maximilianus Dux, & Elector, una cum ſuis quaſi in ſtuporem raptus, neminem illo libentius de rebus divinis perorantem audierit. In cœli Reginam, & terræ Dominam, Virginem Deiparam ſummo ferebatur fervore; unde & pientiſſimam ſacratiſſimi Roſarii Archi-Confraternitatem tanto pietatis incremento inſtituit, ut quinos Sacerdotes Canonicos continuo habuerit paratos, qui pœnitentibus in exomologeſi ſatisfacerent. Meritis tandem, quam ætate grandior, Supremis Principibus patriæ, & ſuis unice charus ſubditis, corporis infirmitatibus humano more ſubiectus, terrenis valedixit anno 1634. ætatis 41. Regiminis 14. cui Succeſſor præſtantiſſimo e marmore pario parentavit, laudibus inciſis, ita, ut libris tacentibus, marmora ſaltem loquerentur.

XXXVII. SIMON Mayer, & ipſe Burghuſianus Bojus, necdum decimum ætatis ſextum impleverat annum, & jam ſacræ familiæ Canonico-Auguſtinianæ in nobiliſſimo hoc Collegio nomen dedit; ubi emiſſa Regulari profeſſione cum aliis Religioſis Con-Canonicis Ingolſtadium ad ſublimiora ablegatus ſtudia, ætate ſimul, & ſapientia tantum profecit, ut revolutis Philoſophiæ, & Theologiæ curriculis ſuprema utriusque Facultatis Laurea decorandus, ex Religioſa tamen modeſtia licentiæ ſolum Gradum admiſerit. Ad lares tum proprios redux mox Decanatus officio præfectus, fideliſſime adjuvit digniſſimum Antiſtitem tam in clauſtri Collegio, recens extructo, finaliter abſoluto, quam in Diſciplina Canonica ſtudioſiſſime ſervanda. Clavo poſtea admotus, nil æque habuit curæ, ac Religioſam Diſciplinam inter cancellos ſtrictioris obſervantiæ conſervare, imo & augere. Sodalitatem Roſarii Marianam, quam Anteceſſor ſuis plurimum concionibus illuſtravit, & is Zeloſiſſimus Præſul menſtruis primis Dominicæ, & Mercurii diebus in Confeſſionali conſtanter ſervavit æque, ac dilatavit, ſolus quinquaginta millibus promiſcui ſexus, & ſtatus hominum aures dans; pulchrum ſane, & prorſus ſtupendum in Religioſo Præſule Chriſtianæ pietatis exemplum. Oeconomiæ ſuæ inſignem adjecit villam, magno ſat ære coëmptam, alieno tamen neutiquam contracto; & tanto fors ſecundiores fluxere res, quanto Simon liberalior in pauperes fuit, fovens interim & Juniores Canonicos, in Academiis publicis ſublimiorum ſtudioſos ſcientiarum, magna & Aularum, & Dicaſteriorum pollens authoritate Religioſiſſimus Præſul, quasvis Cœnobii cauſas non minus feliciter, quam prudenter ipſemet doctiſſimus propugnavit, nunquam non victoria potitus. Provinciæ honores pertinaciſſime reſpuit, nec unquam Præſulis mitram geſtavit; ſic indutus modeſte, puritatis animi, & corporis amator ſingularis, fœminam propius accedentem neutiquam ſuſtinuit, matre, hoſpitio excluſa, & ideo in villam ablegata. Nulli ergo fœminarum patuit acceſſus ad hoſpitium Collegii, excepta Electrice Sereniſſima, ſi quando gynecæum adduxiſſet, aut alia ſecundæ claſſis Matrona, Canoniæ benefica, quam normam hodiedum conſtantiſſime perdurare ajunt. Denique graviter decumbens Medico medicinam, in ſe quidem ſaluberrimam: dictante, hanc tamen pudori, & morum honeſtati non nihil inimicam, ita abhorruit, ut publice conteſtaretur, millies in præſentiſſimam ſe mortem malle præcipitari, quam ſic ſanari; imo & alias medicinam numquam admiſit, omni lapide philoſophico præſtantius arbitrans ſolemne illud: *ſuſtine, abſtine:* &: *Inedia ſanitatis mater.* Sæpe & coram edixit, *mortem non formido.* Tandem ſenio, & laboribus fractus, ſolum de morte feliciter obeunda cogitans, & in ſancta hac cogitatione de corpore nil ſolicitus, agonem ingreſſus eſt, mortuus Sabbatho, die venerationi B. V. ſacro, & ipſe hujus cultus tota vita obſervandiſſimus, 17. Januarii

nuariianno 1665. ætatis 66. Religionis 49. Regiminis 30. laudibus nobiliſſimo marmori convenienter inſcriptis.

XXXVIII. BENNO Mayer itidem Burghuſianus, Simonis ex fratre nepos, SS. Theologiæ Licentiatus, anno 1665. 15. Martii Canonica Electione Præpoſitus, & Archi-Diaconus meritiſſime renuntiatus, toto Regiminis tempore cognati lucidiſſimum per omnia ectypon, Regularem Diſciplinam ſtrenue in ſe, & aliis obſervavit. Jura, Privilegia, & quasvis Eccleſiæ ſuæ Immunitates temporales, & ſpirituales conſtantiſſime defendit, & tanquam murum inexpugnabilem contra quosvis invaſores, & impugnatores invidos ſe oppoſuit. Archi-Diaconatum duobus pene Sæculis hucusque neglectum, ad priſtinum valorem, & dignitatem revocavit. Canonicos ſuos Lateranenſes effecit, & huic Congregationi conſociari procuravit, participatione Privilegiorum, Indulgentiarum, meritorum &c. pleniſſime conceſſa; ut vides in Bullario Lateranenſi, Bulla ſuper hæc ab Innocentio XI. P. M. anno Incarnationis Dominicæ 1677. tertio nonas Julii data. Suppellectilem ſacram pretioſiſſimis cimeliis, ſtatuis, & imaginibus ſacris, vaſibus &c. aureis, & argenteis inſigniter adauxit, multis florenorum millibus impenſis. Hoffmarchiam Neukirchen, Cœnobio vicinam cum arce adſita, pleno dominio, & reliquis appertinentiis magno ſat ære coëmit. Decimas, alias ſat amplas, novis emptis uberiores reddidit, Oeconomus ſane præſtantiſſimus. De aliis ejus virtutibus me hercle! ſine fuco, & juſtiſſime promeritis ei occinere licet ſolemne illud:

Hic Vir hic eſt,
Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobriam duxit ſine labe vitam,
Donec humanos animavit auræ
ſpiritus artus.

Denique, licet alias cum Martha continuo, & multifariam pro bono Collegii ſui occupatus, ſolo tamen, & unico vitæ quietioris deſiderio, menſe Octobri anno 1688. ætatis 63. ſuum ſponte dimiſit Officium, & unum illud neceſſarium, meliorem illam Mariæ partem ſecurius aſſequi cupidus, memoria interim illius ex meritis tot, tantisque apud ſuos ſane gratiſſima numquam intermoriente. Scripſit ſtilo eleganti & magna eruditione: *Regulam D. Aurelii Auguſtini in utramque ſexum ab eodem derivatam, & adverſus Eraſmum Roterodamum vindicatam* anno 1668. MS. extat in Bibliotheca Ranshofienſi, Wettenhuſana, & Wengenſi Ulmæ.

XXXIX. IVO ex Nobiliſſima Auſtriæ Familia de Kurzbaur, SS. Theologiæ Licentiatus, ejusdem Facultatis geminato curſu feliciter abſoluto, Profeſſor clariſſimus, eodem anno 19. Octobris e proprio gremio in digniſſimum Collegii Antiſtitem, & Archi-Diaconum electus, & legitime confirmatus, in ipſo ſtatim aditæ Dignitatis limine ſtupenda prorſus magnificentia palam demonſtrata, ea de ſe prodidit ſuſcepti Regiminis ſpecimina, quæ decent Regularem Prælatum, inter magnos maximum, & prudentes ſapientiſſimum &c.

XL. Reverendiſſimus, Prænobilis, ac Ampliſſimus DD. AUGUSTINUS electus anno 1715. 29. Aprilis.

Fundatorum, & Benefactorum quædam Notabiliora.

Arnulphus, Carolomanni Filius, Caroli Magni Nepos, Imperator Auguſtus, & Rex Bavariæ, Deo, & S. M. Pancratio ædiculam ſacram primus ſtruxit Ranshovii, Moraviam cœleſtium geniorum, inviſibiliter pugnantium prope debellavit; e vivis ceſſit anno 899.

Henricus Nonus, Dux Bavariæ; Hetruriæ, & Saxoniæ, S. Petro fideliſſimus, Parochiam Ranshovii in Canonicorum Regularium Auguſtinianorum Collegium convertit, & fundavit, florente ætate, fortuna, & dignitate, ſtupente mundo, plaudente cœlo, terrenum Principatum abdicavit, & inter agmina Religioſorum cœleſte Regnum expugnavit. Fundationis Litteras expedivit in Palatio Ranshoven anno 1126. 3. calendas Auguſti. Hinc Poëta:

Regia Fiſcus erat, Prætura, Colonaque quondam
Ranshovium, nunc eſt aula ſacrata Deo.

Hen-

Henricus Niger, hujus Nominis tertius Imperator, Dux Bavariæ ſextus, D. Pancratii Capellam refecit, ampliavit, & aſſignatis Decimis in Parochiam erexit, Hungaros bis, Cœlitum in hoſtes ſæviente auxilio, adjutus prodigioſe decicit, mortuus anno 1056.

Sereniſſimus Elector Bavariæ *Maximilianus primus* Ranshovium dotavit piſcinis; hinc Poëta:

Munificum Princeps, te piſcis, aquæque loquuntur;
Nempe doces mutos, Maximiliane, loqui.

Sereniſſimus *Ferdinandus Maria*, Dux Bavariæ ſingula dein confirmavit, cui Poëta accinit:

Singula Ranshovio, proavi quæ Jura dederunt,
Dum firmas, te unum cuncta dediſſe probas.

Illuſtr. ac Generoſ. DD. *Franc. Adam ab Ambsham*, ultimus Stemmatis, videns, Collegium Ranshovii eſſe in flore, & magnum populi concurſum illuc fieri, illud pro hærede anno obitus 1698. 25. Martii conſtituit, & Caſtrum Oberdorff pie legavit, quamvis non ſine onere, & expenſis, poſtea ſine voluntate expreſſa Fundatoris factis &c.

De Perſonis Principibus, aliisque Nobilibus, quarum corpora ſepulta ſunt in Ranshovii Collegio:

Joanna Principiſſa de Hochenzoller, cujus monumentum penes Altare S. Stephani.
Joanna Principiſſa de Königsek, cujus ſepulchrum in medio templi.
Viſcera Sereniſſimæ Eliſabethæ Duciſſæ Bavariæ &c.
Comites de Waldt.
Nobiles de Braunau &c.
Nobilis Henricus de Ahain.
Nobiles de Weidorfer.
Nobiles de Neomar.
Nobiles de Aufhauſen.
Nobiles Ering.
Nobiles de Ror.
Nobilis Notliebus de Braunau.
Nobilis Neuslinger de Vorſtorn.
Nobilis de Odar.
Nobiles de Stubenberg.
Nobiles de Seiblstorff.
Nobiles de Gerſtorff.
Nobilis Sifridus Dorfer de Dan.
Nobilis Kelfinger &c.
Nobiles de Eſel; adeſt lapis ſepulchralis.
Nobiles de Raittenbuch.
Nobiles de Roſſecheldt.
Nobilis Bertholdus de Schik.
Nobilis de Lemberg.
Milites, ſeu Vaſalli de Julbach.
Milites de Uttendorff.
Milites de Plangenbach &c.
Milites de Wolfsperg.
Milites de Tarſtorff.

Nota ex Hundio cit. fol. 280. quod Reverendiſſimus Præpoſitus Ranshovii Seifridus a Clemente quarto, P. M. clementem licentiam acceperit, ut per ſuos ſymiſtas, ſeu Canonicos Regulares Parochias adminiſtrare valeat; ſub cujus Regimine hoc Collegium ad tantam inopiam ob Bellum Regis Bohemiæ, & Ducum Bavariæ redactum eſt, ut, ubi 24. Sacerdotes, aliique 50. homines alerentur, vix tum tres paſci potuerint.

RANSHOFIENSE II.

Ejusdem quidem nominis & Ordinis, diſcrepantis tamen Sexus nempe Sacrarum Virginum Contubernium antedicto Ranshovienſium Collegio priſca ætate loco fere conjunctum ſtetit; de quo Hundius in Metrop. Tom. 3. fol. 201. vel breviter ſic habet: Henricus VIII. hujus nominis Dux Bojorum Canonicis & Myſtis Auguſtinianis Parochiam & templum S. Pancratii tradidit, contuberniumque Sacris D. Auguſtini initiavit, ejusque Religioſis Viris & Fœminis illud dicavit: nam ibi (in Ranshoven) Sacrarum Cœnobium fuiſſe teſtantur pleraque veſtigia & monumenta, quæ adhuc extant in Libris, in ſtructuris, templo, & Monaſterio, maxime Occidentem verſus, non plus tamen, quam ſex receptæ ſunt, quarum una fuit Præpoſita. Ita ſcribit Conradus Primus Divi Pancratii Præpoſitus &c. Ita Hundius loco citato.

S. RASSONIS.

Monaſterium, antiquitus in Werth nuncupatum Fundatorem habuit S. Raſſonem, a quo etiam poſt conditas ibidem ejus Sancti Reliquias de facto nomen obtinuit S. Raſſonis, ſeu vulgo Graffrath. De hujus itaque Cœnobii fundatione ex antiquis Dieſſenſis Collegii Documentis in Epiſtola dedicatoria ad Theſes a quopiam dicti Dieſſenſis Collegii Canonico in Univerſitate Dillingana ſub glorioſiſſimis hujus S. Raſſonis auſpiciis defenſas lego ſequentia: *Hic demum eſt Princeps ille pientiſſimus, qui cum Juditha Henrici Principis Bojorum & Saxonum Conjuge Hieroſolymam adiit, indeque magnos ſacrarum rerum theſauros ſecum detulit: Ædem ſacram Chriſto & Chriſti per Orbem Nuntiis Philippo & Jacobo ad Ambronem in Superiori Boica condidit, ſacra ex Palæſtina monumenta allata ibi repoſuit, Collegium Religioſorum Can. Reg. S. Auguſtini adjecit, ipſusque pars ejus familiæ factus in habitu Laicali, tanquam omnium Religioſorum Confratrum abjectiſſimus dicam, an glorioſiſſimus? vixit ac Beato poſt fine conquievit.* Quæ quidem de verbo ad verbum ex Radero Vol. 1. Bavariæ Sanctæ fol. 90. tranſcripta reperi, hoc ſolo excepto, quod hic aſſerat, S. Raſſonem ædi ſacræ a ſe conditæ contubernium in S. Benedicti leges juratis adjeciſſe, cuinam ex oppoſitis his opinionibus fides ſit adhibenda, indeciſum relinquo, puto tamen, ſi verum eſt tritum axioma Juris: meliorem eſſe Conditionem Canonicarum Regularium, Eccleſiam S. Raſſonis ab immemoriali tempore in hanc usque diem tranquille poſſidentium, ad quos a Benedictinis, rerum ſacrarum cæteroquin laudabiliter tenacibus, Eccleſiam illam tractu temporis devolutam eſſe, mihi perſuadere vix poſſum. Qui luculentiora in hanc rem teſtimonia deſiderat, Acta SS. Papebrockii legat, Continuatoris Bollandi Tom. 3. Junii ad diem 19. in Vita S. Raſſonis.

RATISBONENSIS

Cathedralis Canonicos Regulariter viventes olim habebat, quos a Regularibus inſtitutis relaxatos Sanctus Wolfgangus Epiſcopus ad normam vitæ regularis reformavit, quod etiam cum Canonicis Trevirenſibus egerat, cum ejus Eccleſiæ eſſet Decanus. Ita de Verbo ad verbum Pennottus noſter Hiſtoriæ tripart. Lib. 2. cap. 39. num. 11. citans pro ſe Molanum Lib. 1. de Canonicis cap. 12. & 14. & Surium, qui in vita S. Wolfgangi ad diem 31. Octobr. cap. 20. habet ſequentia: Cum eo, quod diximus modo S. Wolfgangus in Monaſtica vita deſudaſſet, non minori ſtudio ſe accinxit ad Canonicæ vitæ jura & inſtituta reformanda. Unde non immerito hunc S. Epiſcopum SS. Canonicorum Regularium Catalogo annumeramus, quod & ratum habuit SS. D. N. Pius V. qui Canonicis noſtris Windeſimenſibus ejus feſtum ſub ritu duplici 31. Octob. celebrari indulſit additis Lectionibus propriis II. Nocturni, in quarum prima hæc leguntur formalia: Ab Henrico Trevirenſium Archi-Epiſcopo, in Canonicorum ſuæ Metropolitanæ Eccleſiæ ſub Regulari diſciplina tunc viventium, Sodalitium aſcitus, ex Dei, Proximique ardente charitate Canonicæ Religioſæ Juventutis inſtitutionem ſuſcepit. In ipſa Regulari converſatione, aliorumque inſtitutione ita fidelem ac zeloſum ſe exhibuit, ut ipſius Metropolitani Cleri Decanus conſtitutus ſit: in eo munere nil prius habuit, quam ut diſſolutos quorundam mores Eccleſiaſticis ac

Regu-

Regularibus disciplinis adstringeret. Et vero Regularitatem in ea Trevirensi Metropolitana tunc temporis viguisse claris terminis tradit Trithemius in Chron. Hirsaug. anno 957. Eodem anno (sunt ejusdem formalia) moritur Rupertus Archi-Ep. Trevirensis, cui Henricus successit, qui Regulares officinas & Claustrum S. Petri construxit, & Regulam Canonicorum ibidem observari præcepit. Hæc est major Ecclesia Trevirensis, in qua hoc tempore, sicut & in cæteris antiquis Ecclesiis, Canonici secundum Regulam eis præscriptam in communi vivebant, unam habentes mensam, unam bursam, unumque commune dormitorium, sicut hodie inter nos (inquit Trithemius Monachus) juxta normam nobis propositam conversamur. Ubi hoc noto, Canonicos eo tempore ex mente Trithemii vixisse sicut Monachos, consequenter sicut modernos Regulares Canonicos, adeoque Sanctos illius temporis Viros, merito Sanctis Ordinis nostri accensendos.

RATISBONENSIS

Jam nominata Civitas adhuc aliud quoddam antiquitus habuit Canonissarum Augustinianarum Domicilium, atque istud novissimis temporibus nostris prima fundatione sua ideo forte incognitum, quia præ cæteris antiquissimum. Memoratur istud nominatim in Proprio Diœcesis Augustanæ, ubi in Vita S. Erhardi sic habetur: *Cum videret* (S. Eberhardus) *se Hildulpho fratri in Episcopatu Trevirensi sufficiendum, aufugit Ratisbonam, & apud Ordinis B. Augustini Religiosarum Fœminarum cellulam hospitio exceptus est &c.* Quod idem adstruit etiam Raderus in Bavaria Sancta Vol. 1. fol. m. 56. in brevi historia ejusdem S. Erhardi taliter scribens: Legi in M. S. codice Montis (Andecensis) S. Erhardum Ratisbonæ in S. Emmerami domicilio bonis litteris & morum innocentia sanctissime institutum, atque Hildulphum quidem apud Treviros Pontificatum administrasse; Erhardum autem Ardakadensem Episcopum, Treviris, cum Hildulpho se abdicanti Erhardus Successor quæreretur, omnia alia sibi potiora ratum, profugum Ratisbonam venisse, ibique a Religiosis e S. Augustini disciplina fœminis hospitio, prope Cœnobium exceptum, ætatem cum summa vitæ Sanctimonia transegisse &c. Claruit autem S. Erhardus (uti videre est apud eundem Raderum loc. cit. & Adlzreitterum Part. 1. Lib. 7. n. 34.) anno post Christum natum 752. unde probe conjicitur, de nobili antiquitate Sacræ Regulæ Canonico-Augustinianæ jam id temporis in Monasteriis Bojorum optime stabilitæ &c.

RATISBONENSE

Tertium, ejusdem cum priore Sexus, Status, & Ordinis Canonissarum Collegium, suo nomine *Monasterium Superius* Germanice vero *Ober-Münster* indigitatum, initia sua traxit ab anno 831. Auctrice Hemma Regina, Ludovici Regis Germaniæ Conjuge, Caroli Crassi Imperatoris Matre, cujus vitæ historiam pandit P. Raderus in Bavaria pia fol. m. 19. Canonissas Monasterium hoc superius a prima fundatione aluisse, imo & Regulares ex Radero depromo, qui in vita S. Wolfgangi Vol. 1. Bavariæ Sanctæ fol. 95. scribit: Eundem Sanctum ad Religiosarum Virginum Monasterii superioris & inferioris mores reformandos animum adjecisse, operam vero Sancti Præsulis fuisse elusam, Virginibus *Canonissarum* prærogativas causantibus. Imo & Regulæ Divique Augustini legibus eas fuisse adstrictas non inconvenienter asserendum censeo, eo quod eandem Regulam eo tempore in hac ipsa civitate Ratisbonensi viguisse, ex Monasterii præcedentis historia compertum maneat. Virginibus tamen Regularibus ab immemoriali jam tempore sæculares sunt suffectæ.

RATISBONENSE

Quartum Canonici Instituti Parthenæum etiam pridem sæcularisatum, *Monasterium Inferius*, seu *Nider-Münster* vulgo appellari solitum, atque inter immediatos S. R. I. status hactenus recensitum. Ejus Regularitas, ut præcedentis Monasterii ex citato Radero eruitur, cum utrumque Monasterium tam *Superius*, quam *inferius* Religiosis Virginibus habitatum fuisse asserat.

RATISBONENSE

SS. Andreæ & Magni Cœnobium, in suburbio Ratisbonensi, a Popularibus Inquilinis communiter *Stadt am Hoff* appellari solito, ultra pontem Danubii in ditione Electoris Bavarici situatum. Hoc anno 1138. fundatum fuisse legitur a Gebhardo Ratisbonensi

bonenſi quodam Canonico, qui fuit e ſtirpe Comitum Raningenſium, quorum arx gentilitia in ſuis adhuc ruderibus viſitur juxta Labarum amnem. Hartwicus II. hujus nominis Epiſcopus Ratisbonenſis illud ex more dedicavit, ac privilegiis auxit, munivitque. Hundius in Metrop. Tom. 2. fol. 448. & ſeqq. Adlzreitterus Part. 1. Lib. 20. num. 26. & Lib. 22. de Lauretano (quod loco prioris templi jam pridem a Bellona Suecica flammis exuſti hodie deſervit) Sacello in fundo Monaſterii hujus anno 1643. recens ædificato, eoque quotidianis indulgentiis & miraculis celeberrimo R. P. Guilielmus Gumpenberger in ſuo Atlante Mariano fol. 928. refert ſequentia. Currebat annus Jubilæus fidei Ratisbonenſis claudendus 15. Octobr. 1643. quo anno Concionator templi Cathedralis e Societate Noſtra re prius cum Reverendiſſimo ac Celſiſſimo Principe & Epiſcopo Alberto communicata, & obtenta licentia Dominica tertia poſt Pentecoſten Mulierem, quæ in Evangelio currente Drachmam amiſit, quæſivit, & invenit, ajebat eſſe Deiparem, quæ amiſſum templum jam pene centum annis quæreret; quæreret quoque homines, qui ſe quærentem juvarent, ut amiſſam drachmam id eſt templum iterum inveniret. Ita novo templo ſatis Deiparæ fieri. Denique conſilium dedit fabricandæ Domus Lauretanæ. Conſilium populi favor ita excepit, ut illa adhuc die præter duas ex meris unionibus valde pretioſas coronas centum fere floreni in pecunia parata advenerint. Vir nobilis illo ipſo die paratum ſpatioſum litteris rite tranſcriptis novo templo donavit. Locus itaque qui antea in campo electus eſt, & ſuis fundamentis jam terræ æqualis, cum deſeri debuerit, ne hoſtibus in Vrbis damnum prodeſſet, alius inter rudera Monaſterii Canonicorum Regularium S. Auguſtini ad S. Magnum ultra pontem in civitate *Im Hoff* temere electus eſt. Locum hunc Deiparæ gratum fore inde patuit, quod poſt paucarum palmarum eruderationem contra omnium opinionem ſtatim deprehenſi ſint muri quatuor antiqui (ignotum cui conventus parti olim ſervierint) templo Lauretano aptiſſimi. Nam & quadri illius longitudo erat ad apicem tanta, quanta Domus Sanctæ eſt. Latitudo paulo major, quæ novo, ſed unico muro facile correcta eſt. Hoc licet caſui adſcribi poſſit, quod longitudo eadem ita reſponderit, quod locus hic nulla arte, nullave prævia cognitione electus ſit; quod ſitu, ſi portam, ſi pontem, ſi Monaſterium, ſi amplum forum ſpectes, rectiſſimo & optatiſſimo ſtet; id cœlo deſignante factum creditur, quod muros iſtos tot ante ſæculis architectus ſic ad Orientem poſuerit, ut nec apicem quidem aberrent ab eo ſitu, quo Angeli Domum Sanctam poſuerunt Laureti. Ita ut in utroque æquinoctio Sol per feneſtram anguli illuminare S. Statuam poſuit. Credi non poteſt, quam ſuavi ſenſu piorum mentes affecerit hic primus Cœli favor. Jam animo præcipiebant favores ſecuturos Virginis, quæ tanto ante & fundamenta ordinarit, & inveniri fecerit. Templum intus Domui ſanctæ, quantum per omnem diligentiam licuit, ſimile eſt, extra ad imitationem *ſpecioſæ Mariæ* ambitum habet decem pedum latum, totidemque fere a plano exaltatum. Ne memoria periret cauſæ, propter quam hæc fabrica facta eſt. Cæterum ad feneſtram anguli latitudo marginis eſt amplior & in plures Pedes extenditur, eum in finem, ut, cum opus eſt, divinum officium decore ſub dio celebrari poſſit, & concio haberi ad populum. Muri exteriores ad Architecturæ leges concinnati ſunt, ſupra tectum turris ſurgit duabus campanis inſtructa. Lampas quoque tecto imminet, Sabbatinis & feſtivis Deiparæ noctibus accendi ſolita, & late circum per campos ſpectabilis.

Durante fabrica pecuniæ ſponte ſic advolarunt (quanquam nec unus quidem civis fuerit Catholicus) ut Concianator quarta Concione diceret, adeſſe pretium totius fabricæ ſeptingentos florenos, nec peti amplius: quanquam & munificentia populi non deſierit, & longe ulterius etiam ædificii ſumptus ſe porrexerint. Certe a nemine vel obolus petitus eſt: Hilares & ſpontanei fuere datores, quicunque aliquid contulerunt: Novum non fuit, videre Operarios tota hebdomade ſtrenue & pro viribus laborantes, qui omnem hebdomadæ mercedem eadem manu, qua acceperant, ſtatim in gazophylacium conjicerent. Non nulli omnem prorſus, quam habuere pecuniam, obtulere. His ſubſidiis duodecima hebdomade a primo lapide finita ſtetit fabrica. Facta eſt Dedicatio a Reverendiſſimo & Celſiſſimo Principe & Epiſcopo Ratisbonenſi Alberto, quam fieri potuit, ſolemniſſime 6. Sept. anno 1643.

Fremuere Dominica illa ii maxime Acatholici e plebe, qui toto tempore ſuis ſarcaſmis, contumeliis, & calumniis obſtrepebant, (dico e plebe; nam Magiſtratus & Cives honeſti nihil, quod ſciri potuit, rebus ſacris indignum commiſere, vel ob hoc ipſum a Catholicis vehementer laudati) fremuere, inquam, e plebe multi, cum viderent, ſedecim pagorum & amplius numeroſas ſupplicationes erectis vexillis per Urbem ad templum Cathedrale convenire, totius Cleri Ratisbonenſis numeroſi, & omnium

Re-

Religioſorum ſupplicationem auctura, quæ longiſſima ſerie ducta eſt ingenti Catholicorum gaudio. Ab omnibus obſervatum eſt, quod cum tota nocte pluvia caderet denſiſſima, neque etiam ſerenius cœlum ſperari poſſet, atque inter ipſas aquas omnes Urbis Religioſi & Clerici in templum Cathedrale convenirent; in ipſo tamen articulo exeuntis ſupplicationis ſerenitas Cœlo inducta ſit tanta, ut ſub ardentiſſimo ſole omnis pompa cantati Officii & concionis peracta ſit: cui non defuere præſidiarii Catholici Milites, qui feſtis exploſionibus pompam auxere.

Adfuere magno numero Acatholici populo Catholico mixti admirantes Ceremoniarum Catholicarum Majeſtatem. Et ne ſerenitas alium ob finem data putaretur, hæc numeroſiſſima ſupplicatio vix templum Cathedrale repetiit, & Illuſtriſſimi DD. Canonici Religioſique Conventus domum venere: cum iterum adductæ nubes dedere imbres præteritis majores, qui tota illa die durarunt. Hæc a Catholicis Reginæ Cœli adſcripta ſunt, ab hæreticis caſui. Septem ſupererant hebdomades finiendo Acatholicorum Jubilæo, quod jam plus quam ſatis hac Drachma reperta deſtructum erat. Sudes illis hoc templum in oculis fuit non obſcure divinantibus ad ſecundi ſeculi finem non perventuram fidem, quæ in fine primi ſæculi ita vacillaſſet. Animati præſertim Catholici ſunt, ut nihil aſperum adverſariis loquerentur.

Atque hæc eſt origo hujus ſacræ ædis Lauretanæ, quam libro oppugnare non nemo tentavit, in quo & Deipara, & fautores, & auctor maxime vapulaſſet contumeliis, calumniis, & ſarcaſmis. Sed, ut poſtea intellectum eſt, inhibuit hominem prudens Magiſtratus, in quo & apud omnes prudentes laudem meruit. Porro a 6. Septembris anno 1643. usque ad 4. Julii 1670. in unico Altari dictæ ſunt Miſſæ trecentæ quinquaginta tres ultra octodecim millia. Indulgentias dedere plures Summi Pontifices, Curam habent Canonici Regulares S. Auguſtini: in quorum deſtructo (ſævitia belli Suecici) Monaſterio, atque in eorum fundo hoc Sacellum ædificatum eſt. Hæc illæ loco citato.

Syllabus

Reverendiſſimorum DD. Præpoſitorum cum pluribus aliis Monaſterii hujus privilegiis ac monumentis usque ad initium Sæculi decimi ſexti continuatus, & integer fere in Metropoli Salisburgenſi loco ſupra citato ſimul appoſitus, quia incompletus eſt, & pluribus ſcatet erroribus, alius novus ex monumentis Domeſticis ſingulari ſtudio collectus & erutus, proin dignior hic ſubſtitui judicatus, talis eſt in rem præſentem gratioſe nobis communicatus.

I. GEBHARDUS Fundator, idem ſimul primus loci Præpoſitus Regularis inſtitutus clareſcere cœpit anno Chriſti 1135.

II. THEODERICUS, ad cujus inſtantiam Hartwicus Epiſcopus ſupradictus novam Monaſterii Eccleſiam conſecravit. Reſtat ejusdem Theoderici memoria ſub annum 1156. in tabulis domeſticis ſpecialiter commendata.

III. CONRADUS hujus nominis I. quo ſatagente Innocentius Papa III. Cœnobium iſtud Ratisbonenſe in ſpecialem S. Petri & Sedis Apoſtolicæ protectionem ſuſcepit proprio quodam Diplomate Pontificio in id clementiſſime dato anno 1204.

IV. HENRICUS claruit anno 1235.

V. BERTHOLDUS anno 1261.

VI. CONRADUS II. anno 1278.

VII. WALCHUNUS anno 1285.

VIII. RIMARUS anno 1290.

IX. HENRICUS I. anno 1319.

X. UDALRICUS I. anno 1326.

XI. BERNHERUS anno 1347.

XII. HENRICUS II.

XIII. CONRADUS III. cognomento Halter dictus anno 1380.

XIV CONRADUS IV. Ecker cognominatus, genere Nobilis, ante Parochus in Salen anno 1409.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XV. UDALRICUS II. Kuchenmaiſter ex inclyta unius ejusdemque Ratisbonenſis Diœceſis Canonia Rhorenſi poſtulatus anno 1437.

XVI. ERHARDUS I. præfuit anno 1450.

XVII. SEBASTIANUS claruit anno 1470.

XVIII. ERHARDUS II. Regeldorffer cognominatus.

XIX. GEORGIUS I. ad annum 1476. in actis nominatus.

XX. SIMON ex Pruſſia progenitus diem ſuum obiit anno 1492.

XXI. JOANNES I. electus anno 1492.

XXII. CHILIANUS vivere ſimul ac præeſſe deſiit anno 1506. 16. Oct.

XXIII. GEORGIUS II. ex Decano loci in Præpoſitum conſtitutus.

XXIV. JOANNES II. Brandſtetter.

XXV. GEORGIUS III. Graff ex cognomine dictus.

XXVI. LAURENTIUS.

XXVII. JOANNES III. Scheraus anno 1542.

XXVIII. JODOCUS ad perpetuam immortalitatem translatus anno 1568. die 18. Maji.

XXIX. STEPHANUS Michelbecher fatis extinctus anno 1574. die 18. May.

XXX. MICHAEL Pfiſterer vitæ Periodum ſimul & Prælaturæ regimen abſolvit anno 1575.

XXXI. CASPARUS König ex Canonia Beürbergenſi Diœceſis Friſingenſis evocatus terris devixit anno 1582.

XXXII. MICHAEL Fiſcher de proprio gremio Sedi vacanti impoſitus.

XXXIII. HIERONYMUS Vech antea Regularis Canonicus Rhorenſis obiit anno 1605. die 25. Aprilis.

XXXIV. GREGORIUS I. Hager cognominatus, & is pariter ex Canonia Rhorenſi poſtulatus, huic mundo devixit anno 1611.

XXXV. CHRISTOPHORUS Weinhardt Rhorenſis itidem Canonicus mortem oppetiit temporalem anno 1623. die 20. Maji.

XXXVI. CAROLUS FRIDERICUS Haiden ex Canonia Patavienſi ad S. Nicolaum ad vacantem Præpoſituram iſtam Ratisbonenſem evocatus anno 1623.

XXXVII. GEORGIUS IV. Althaimer cognominatus de proprio gremio aſſumptus fatalem habuit annum 1628. die 20. Septembr.

XXXVIII. CASPARUS Bech poſt decenne regimen ad plures translatus anno 1639. die 17. Aprilis.

XXXIX. GREGORIUS II. Schuttenlocher e Canonia Rhorenſi datus præfuit annis 43. demum octogenario major tumulo illatus anno 1683. die 6. Auguſti.

XL. JOANNES GEORGIUS Grueber, natione Bojus Monacenſis, Auguſtæ Vindelicorum anno 1652. ætatis ſuæ 16. die 31. Julii inter ejus loci Canonicos Regulares ad S. Crucem per ſolemnem Profeſſionem admiſſus, miros ibi in Aſcetica ſimul & Scholaſtica Litteratura fecit progreſſus, dignus ſane, qui tractu temporis in Procuratorem & tandem in Decanum dicti Collegii eligeretur: exinde ejus & virtutis & ſapientiæ fama longius emanante, in Præpoſitum & Archi-Decanum hujus Collegii die 27. Septembris anno 1683. poſtulatus & confirmatus, Canonici Ordinis ſui honorem & incrementum qua ſcriptis qua factis promovit, & procul dubio promoviſſet ulterius, niſi mors inſperato eidem anno 1686. 28. Junii obveniens egregios tanti viri conatus hebetaſſet, totius propemodum Germaniæ Regularibus Canonicis collapſam ſui Ordinis columnam merito dolentibus, quibus tamen pro ſolatio ſequentia reliquit eximia ingenii ſui monumenta:

Bibliographiam Canonico-Auguſtinianam, ſeu Scriptorum Illuſtrium totius Ordinis Canonici in duas partes diſtinctam.

Item Annum dierum memorabilium, ſeu Canonicum, in ſingulos dies Virum Illuſtrem e Canonico Ordine per totum annum proferendo & colendo.

Spinam albam de doloribus Beatiſſ. Virginis.

Bre-

Breviarium virtutum ac Mortis Ven. Virginis Catharinæ a S. Auguſtino noſtri Ordinis Canoniſſæ, Canadæ in nova Francia, typis prodiit Auguſtæ anno 1671.

Alimenta pietatis Auguſtinianæ merito omnium Canonicorum manibus terenda. Auguſtæ 1677.

Vitam Venerabilis Euphroſinæ Vicentinæ Canoniſſæ Regularis ex Latino in Germanicum vulgare traductam & typo vulgatam 1675.

Manuale Georgianum, Auguſtæ 1679. cui inſeruit Panegyrin de S. Georgio Megalo-Martyre Authore Joanne Chryſoſtomo Hager Canonico-Regul. Garſenſi.

XLI. ALBERTUS, itidem Bojus ex Comprovinciali oppido Donaſtauffiano anno 1886. in Ratisbonenſem SS. Andreæ & Magni Præpoſitum concordibus ſuffragantium votis delectus, atque authoritate ordinaria confirmatus, juxta quoque ad inſtar proximi Prædeceſſoris ſui in Archi-Decanum Diœceſanum Ratisbonenſem conſtitutus, idem ipſe digniſſimus Antiſtes exinde, & quidem ſub annum 1690. in Conſtatum Provinciæ ſeu (uti vocant) Deputatum ob congenitam rerum agendarum peritiam, & admirandam ingenii ſubtilitatem aſſumptus, hodiedum inclytus in Regimine præſtat peregregius Cœnobii ſui Illuſtrator, & ejusdem ſecundus Fundator pro meritis appellandus, utpote qui illud ipſum perdurante bello Suecico, & quidem anno 1634. ab heterodoxis Civibus Ratisbonenſibus flamma hoſtili ſuccenſum ex toto in favillas redactum, congratulantibus omnibus e buſto reſuſcitavit, ac priſtino ſtatui ſuo feliciſſime reſtituit, multa laude hodiedum inclytus.

Inter alios præterea hujus loci Canonicos ſcientia eminuerunt Andreas ejus loci Canonicus, qui claruit Sigismundi Imperatoris temporibus, a Civibus Ratisbonenſibus alter Livius dictus. Ejus eſt Chronicon de Ducibus Bavariæ usque ad annum gratiæ 1439. continuatum, & ab Aventino commendatum. Prodiit in Lucem Ambergæ anno 1602. in 4. cum Paralipomenis Leonardi Bauholz Presbyteri usque ad annum 1486. Scripſit quoque idem Andreas de nonnullis Bavariæ Monaſteriis. Videatur Martinus Zeiller de Hiſtoricis & Chronologicis parte 1ma.

Gelaſius di Cilia modernus hujus Cœnobii Decanus, cujus hæc præclara ſunt Opera.

1. *Geiſtliche Kranckcn-Practica, oder Krancken Hilf* tertio jam recuſa & aucta.
2. *Himmliſcher Seelen-Magnet.*
3. *Himmliſcher Blumen-Garten.*
4. Theſaurus locupletiſſimus Benedictionum.
5. Dies & hebdomas Jeſu Chriſto Crucifixo Sacra.
6. Menſis Auguſtinianus, ſive Meditationes in Regulam S. Auguſtini.
7. *Reiche Tugend-Erndt andächtiger Seelen, auf das Feſt und Octav des zarten Fronleichnams Jeſu Chriſti.*
8. Itinerarium Novelli Religioſi anno 1716. typis Ratisbonenſibus vulgatum.

RAUDNICENSE,

Seu communiter *Ruſtniz*, nuncupari ſolitum præſtantiſſimum olim in Regno Bohemiæ Canonicorum Regularium Ord. S. Auguſtini Cœnobium, at jam dudum e terris iſtis tum malignitate hæreticorum, tum iniquitate temporum juris alieni factum: de quo haud ita pridem ab amica manu ſequentem accepimus relationem: *Joannes hujus nominis Quartus Epiſcopus Pragenſis in Ordine Prædeceſſorum ſuorum Antiſtitum viceſimus ſeptimus anno gratiæ 1343 vita temporali defunctus, & cum publica Sanctitatis opinione cælis receptus Raudnitii opulentum ſatis Cœnobium B. V. Mariæ dedicatum pro vicenis Regularibus Canonicis Ord. S. Auguſtini in perpetuum alendis excitavit, illudque abundantiſſime locupletavit &c. Item quod fundationem Canonicorum Regularium in civitate Ruſtniz concernit, ſciendum eſt, quod locus iſte ſituetur in Boëmia, & modo ſpectet ad Celſiſſimum Principem de Lobkowitz. Porro de Canonia iſta habetur, quod fuerit Matrix omnium cæterarum in partibus propinquis, & vocabatur olim quaſi nomine proprio Canonia Piiſſima. Ex ea Prodierunt (Canonici Regulares) Olomucienſes in Moravia primitus Landskronæ inſtituti, prodierunt etiam Fulnecenſes, Sternbergenſes, Pragenſes, Borowanenſes, & Trebonenſes, in quibus tamen omnibus tota fundatio Raud-*

nicenſis manet extincta, & quod res eſt, ex tam ampla imo principali fundatione Cœnobii hujus unica ſolum facta fuit Parochia, cui hodie præſidet Decanus quidam ruralis. Princeps vero de Lobkowitz cuncta reliqua antiqua bona Raudnicenſia ſecurus obtinet.

REBDORFFENSI

Canoniæ (quæ de Venerabili Congregatione Windeſimenſi nobile commembrum eſt) ſeu Rebdorffio ad Almonium fluvium, vulgo *die Altmühl*, in Rebdorff pago Bavarico extra muros Epiſcopalis Oppidi Eyſtettenſis recens ædificandæ laudabiliter anſam præbuit Friderici Primi cognomento Barbaroſſæ Romanorum Imperatoris Ducis Sueviæ &c. Altera Conjux Sereniſſima Domina Beatrix Reinaldi Comitis ac Principis Burgundiæ filia, quæ dictum pagum Rebdorffenſem in dotem acquiſitum Conrado ex Nobiliſſimis Dynaſtis de Mospach, natione Bavaro, Principi & Epiſcopo Eyſtettenſi ea conditione tradidit, ut in prædicto fundo novum quoddam Religioſorum Virorum habitaculum conderet. Clauſtro igitur, cum propria Eccleſia in honorem Præcurſoris Domini ſeu S. Joannis Baptiſtæ conſecrata, iſthic loco conſtructo immigrarunt Religioſi Fratres ſub Canonum Regula Magni Præſulis Auguſtini Deo militantes; quorum poſſeſſiones & bona Fridericus Imperator antedictus ad inſtantiam Auguſtiſſimæ Conjugis, & aliorum Principum in ſpecialem Imperii tutelam & protectionem ſuam clementiſſime recepit, atque una ſimul modo dictam Rebdorffianam Fundationem Authoritate Cæſarea rite confirmavit tenore ſequentium:

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Fridericus divina favente Clementia Romanorum Imperator Auguſtus &c. &c. Quomodo ad ampliandam Divinæ Religionis culturam, & ad conſervandum Eccleſiarum Dei ſtatum, Anteceſſorum Noſtrorum, qui ſimilia fecerunt, felici quoque provocamur exemplo, ſalubre nobis reputavimus his & ſimilibus miſericordiæ operibus jugiter operam dare, Nos enim ad decorem Domus Dei aliquid in tabernaculo offerentes, ſi quid pietatis ſupererogavimus, a vero Samaritano, cum redierit nobis in centuplum reddendum eſſe, ſperamus. Ad notitiam igitur noſtrorum fidelium tam futurorum, quam præſentium per præſentem paginam deducimus, qualiter pia petitione Dilectiſſimæ Conſortis noſtræ Beatricis Romanorum Auguſtæ & Illuſtriſſimæ Imperatricis, & cæterorum Curiæ noſtræ Principum ſedulo interventu locum quendam, qui noſtri Imperialis juris erat, qui etiam vulgo dicitur Rebdorff ſitum in pago Bavariæ dilecto & fideli noſtro Conrado Eyſtettenſi Epiſcopo pro ſua devotiſſima fidelitate, quam ſemper exhibuit Imperio, libere conceſſimus, & in eo diſponendi liberam & plenariam facultatem dedimus. Hanc quomodo ſupra memoratus Epiſcopus in prædicto loco Rebdorff ad laudem & gloriam nominis Chriſti, & in honorem B. Joannis Baptiſtæ zelo pietatis & felici opere Eccleſiam conſtruxit, ibique Fratres ſub Profeſſione & Regula S. Auguſtini Deo militantes ordinavit, ipſum locum & Eccleſiam in eo fundatam Fratres quoque, qui nunc ibidem ſerviunt, vel quicunque adhuc ad ſerviendum Deo in loco prædicto congregandi ſunt, cum omnibus rebus & poſſeſſionibus, quas nunc juſte habent, vel impoſterum Deo juvante legitime habituri ſunt, ſub noſtram Imperialem tutelam integraliter & libere recipimus. Ad majoris quoque gratiæ cumulum prædictæ Eccleſiæ hoc indulgemus, & authoritate noſtra imperialiter præcipimus, ut nec ipſam Eccleſiam vel ejus poſſeſſiones, nec perſonas, vel earum res de cætero aliquis inquietare vel moleſtare audeat, nec per aliquam exactionem vexare præſumat. Præterea quicunque homo maſculus & fœmina cujuscunque conditionis pro ſalute ſua de bonis ſuis ad incrementum Eccleſiæ aliquid conferre voluerit, hinc inde liberam poteſtatem & facultatem concedimus. Quicunque autem hujus noſtri præcepti violator eſſe præſumpſerit, ſciat ſe compoſiturum auri puriſſimi libras centum, dimidium fiſco noſtro, & dimidium prædictæ Eccleſiæ. Hujus rei teſtes ſunt Hartwicus Bremenſis Archi-Epiſcopus Eberhardus Bambergenſis Epiſcopus, Burchardus Argentinenſis Epiſcopus, Conradus Palatinus Comes de Rheno, Hermannus Verdenſis Epiſcopus, Daniel Pragenſis Epiſcopus, Fridericus Dux Sueviæ. Otto Palatinus & Fratres ejus Fridericus & Otto. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis 1159. Indictione ſeptima regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore Sereniſſimo anno regni ejus octavo, Imperii vero quinto. Datum apud Novum Laudum Calendis Auguſti.

Ipſa quoque Beatrix (uti conſtans habet traditio inter plura alia ſacra Cimelia Cœnobio huic Rebdorffiano in donum obtulit inſignem quandam particulam de Cruce Domini Servatoris Noſtri, duos item dentes Molares de S. Joanne Baptiſta antedicto. Unde autem primi Religioſi Alumni Rebdorffium fuerint acciti, vel ex quonam Ordinis noſtri Monaſterio eo delati, nec quicquam amplius inveſtigare licet, uti & de antiqua eorum converſatione, qua tamen primi Aſcetæ Rebdorffenſes in tantum

ſeſe

ſeſe probarunt memorato Fundatori ſuo Conrado Epiſcopo, ut ipſe hujusmodi inſtitutum, & pientiſſimam eorum vivendi normam non ſolum ratam, gratamque habuerit, ſed & inſuper authoritate ordinaria juſtiſſime comprobarit, juxta quoque plurima bona in dotem contulerit novæ Eccleſiæ huic Rebdorffianæ, in qua demum ipſe etiam ſepeliri voluit, teſtantibus verſibus quibusdam pone ſepulchrum in tabula ad parietem ſuſpenſa taliter legendis:

Qua Burgundionum Princeps pietate Beatrix
Jure Maritali Friderico credita primo
Induperatori, Chriſtum Divosque colebat,
Lucidius Phœbo ſtant hic monumenta, nec ullus
Exigitur teſtis, pagum pia munera Rebdorff
Conrado a Mospach, patrio qui ſanguine claret
Almoniis & Paſtor oves paſcebat in arvis,
Contulit, & fierent ibi tecta monaſtica ſanxit
Maturat Conradus opus, ſub nomine Divi
Baptiſtæ templum validis ſublime columnis
Condidit, ut magis atque magis Divina pateret
Religio, viresque ſtatis cumularet eundis.
At pius Antiſtes quarto poſt tollitur anno
Membra jacent proprio defuncti clauſa ſepulchro.
Sed mens ad Saperos, ad Olympia gaudia tendit
Cum centum undecies Sol poſt cunabula Chriſti
Et ſexaginta undenosque perageret Orbes.

Anniverſarius Epiſcopi hujus Conradi, ut & Auguſtiſſimorum Conjugum Friderici ac Beatricis hodiedum ritu conſueto ſolemnis habetur certo quodam conſtituto die, quo poſt Officium divinum fit eleemoſyna, vulgo *die Haller-Spändt* appellata, diſtribuenda in pauperes & egenos: quorum unicuique pro peccatis mortuorum erogatur panis ad crucigerum cum triobolo.

Porro inter primos & mage præcipuos Monaſterii Benefactores ſæculis antiquioribus inclytos nominatur etiam Gebhardus de Hirsberg ſuæ familiæ poſtremus & ultimus, qui Religioſis Canonicis Rebdorffianis certa quædam prædia & alia bona immobilia, Epiſcopatui vero Eyſtettenſi totum Comitatum & arcem ſuam Hirſpergenſem ad pias cauſas moriens reliquit, quique de hoc ſpecialiter laudatur apud Bruſchium de Epiſc. German. Tom. 1. cap. 10. in Conrado 37mo Epiſcopo Eyſtettenſi idem poſt fata tumulatus apud Rebdorffenſes in Navi Eccleſiæ teſtimonium perhibente ſcriptura ibidem loci taliter in Choro legenda:

His numerandus adeſt Comitum poſtremus ab Hirsberg
Gebhardus pius, inclytus, & doctiſſimus Heros
Et genus, & nomen repetens fuit ultimus hæres
Prædia, proventus, & cui Comitatus honorem
Jura dabant, Sedi Almonicæ ſua fata reliquit
Quin etiam villis quinis dotavit, & auxit
Cœnobium, fecitque ſui memor eſſe merendo
Ac meritis, funus vitales deſerit auras.
In medioque cubat grandi ſub marmore templi,
Sic genus extinctum, vivunt bene facta per orbem.

Obiit autem Gebhardus nobiliſſimus Comes iſte anno 1305. die 4 Martii.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Elenchus

Reverendiſſimorum DD. Præpoſitorum Eccleſiæ Rebdorffianæ.

I. CONRADUS, electus anno 1219. præfuit 20. annis, terris demortuus die 23. Octobris anno 1239. quo tempore Gregorius Papa IX. Monaſterium Rebdorffenſe, cum omnibus bonis ac poſſeſſionibus attinentibus, in ſpecialem Sedis Apoſtolicæ protectionem recepit, per propriam quandam Bullam in id clementiſſime datam, prout ſequitur:

„ Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Præpoſito Eccleſiæ S. Jo-
„ annis Baptiſtæ in Rebdorff ejusque Fratribus tam præſentibus, quam futuris
„ Regularem vitam profeſſis in perpetuam memoriam. Quoties a nobis petitur quod
„ Religioni & honeſtati convenire dignoſcitur, Nos libenti animo decet concedere,
„ ac petentium deſideriis congruum impertiri ſuffragium. Eapropter dilecti in Do-
„ mino Filii veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Eccleſiam S. Joannis
„ in Rebdorff Eyſtettenſis Diœceſis, in qua Dominico mancipati eſtis obſequio ſub B.
„ Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communi-
„ mus Inprimis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo Canonicus, qui ſecundum Deum &
„ B. Auguſtini Regulam in eodem loco inſtitutus eſſe dignoſcitur perpetuis ibidem tem-
„ poribus inviolabiliter obſervetur. Præterea quascunque poſſeſſiones, quæcunque
„ bona eadem Eccleſia in præſentiarum juſte ac Canonice poſſidet, aut in futurum
„ Conceſſione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium ſeu
„ aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma Vobis veſtrisque Suc-
„ ceſſoribus illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda voca-
„ bulis (adducit hic Pontifex, & longo ordine recenſet omnia bona id temporis ad
„ Rebdorffenſe Monaſterium ſpectantia) decimas & alias poſſeſſiones veſtras, cum
„ pratis, vineis, nemoribus, uſuagiis, agris & paſcuis in buſto & in plano, in agris &
„ molendinis, in viis & ſemitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus ſuis.
„ Sane Novalium veſtrorum, quæ propriis manibus vel ſumptibus colitis, de quibus
„ hactenus aliquis non percepit, ſive de veſtrorum animalium nutrimentis a Vobis
„ decimas nullus exigere vel extorquere præſumat. Liceat quoque vobis Clericos
„ & Laicos liberos & abſolutos a ſæculo fugientes ad converſionem recipere ac eos
„ absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper, ut nulli Fratrum Ve-
„ ſtrorum poſt factam in Eccleſia veſtra profeſſionem fas ſit ſine Præpoſiti ſui licentia
„ niſi arctioris Religionis obtentu de eodem loco diſcedere, diſcedentem vero absque
„ communi litterarum veſtrarum cautione nullus audeat retinere, cum autem gene-
„ rale interdictum Eccleſiæ fuerit, liceat vobis clauſis januis, excluſis excommunica-
„ tis & interdictis non pulſatis campanis ſuppreſſa voce divina officia celebrare, dum-
„ modo cauſam non dederitis Interdicto; Chryſma vero, Oleum ſanctum, conſecra-
„ tiones altarium ſeu Baſilicarum, Ordinationes Clericorum, qui ad ordines fuerint
„ promovendi, a Diœceſano ſuſcipietis Epiſcopo, ſiquidem Catholicus fuerit, & gra-
„ tiam & communionem Sacræ Romanæ Eccleſiæ habuerit, & ea vobis voluerit ſine
„ pravitate aliqua exhibere. Prohibemus inſuper, ut infra fines Parochiæ veſtræ nul-
„ lus ſine aſſenſu Diœceſani Epiſcopi & Veſtro Capellam ſeu Oratorium de novo
„ conſtruere audeat ſalvis Privilegiis Pontificum Romanorum. Adhæc novas & in-
„ debitas exactiones ab Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, Archi-Diaconis ſeu Decanis aliis-
„ que omnibus Eccleſiaſticis, ſæcularibusque Perſonis a Vobis omnino fieri prohibe-
„ mus. Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe decernimus, ut eorum devotio-
„ ni, & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint (niſi forte excommu-
„ nicati vel interdicti ſint, aut publici uſurarii) nullus obſiſtat. Salva tamen juſtitia
„ illarum Eccleſiarum, a quibus corpora mortuorum aſſumuntur. Decimas præte-
„ rea poſſeſſiones ad Jus Eccleſiarum veſtrarum ſpectantes, quæ a Laicis detinentus,
„ redimendi & legitime liberandi ſit vobis de noſtra authoritate facultas. Obeunte
„ vero Te nunc ejusdem loci Præpoſito vel Tuorum quolibet Succeſſorum nullus ibi
„ qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem Fratres communi
„ conſenſu, vel Fratrum major pars conſilii ſanior ſecundum Deum & B. Auguſtini
„ Regulam providerint eligendum. Paci quoque & tranquilitati veſtræ paterna im-
„ poſterum ſollicitudine providere volentes Authoritate Apoſtolica prohibemus, ut
„ intra Clauſuras locorum ſeu Grangiarum veſtrarum nullus rapinam, ſeu furtum fa-
„ cere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem capere, tenere vel interfice-

„ re,

„ re, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates & Imunitates a „ Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus Ecclesiæ vestræ concessas, nec non li„ bertates & Exemptiones sæcularium exactionum a Regibus & Principibus vel aliis „ fidelibus rationabiliter Vobis indultas Authoritate Apostolica confirmamus, & præ„ sentis scripti privilegio communimus. Decernimus etiam, ut nulli omnino homi„ num liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones aufferre, vel „ ablatas retinere, imminuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia inte„ gre conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt „ usibus omnimodis profutura salvis Sedis Apostolicæ Authoritate & Diœcesani Epi„ scopi justitia, ac in prædictis decimis moderatione Concilii generalis. Siquæ igi„ tur in futurum Ecclesiastica Sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam „ violaverit, aut sciens contra eam venire tentaverit, secundo, tertiove commonita „ (nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit) potestatis honorisque careat „ dignitate, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & „ a Sanctissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi „ aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem „ ejusdem loci jura servantibus sit Pax Domini nostri Jesu Christi æterna, & hic fru„ ctum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis „ inveniant. Amen.

(L.S.)

Fac mecum Domine Signum in bonum.

Ego Gregorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Jacobus Tusculanus Episcopus.

Ego Reinaldus Ostiensis & Vallaterensis Episcopus.

Ego Frater Jacobus Prænestinus Episcopus.

Ego Godefridus Salmensis Episcopus.

Ego Thomas tituli S. Sabinæ Presbyter Cardinalis.

Ego Joannes tituli S. Praxedis Presbyter Cardinalis.

Ego Rainerius S. Mariæ & SS. Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis.

Ego Robertus S. Eustachii Diaconus Cardinalis.

Ego Richardus S. Angeli Diaconus Cardinalis.

Datum Laterani per manus Fratris Jacobi de Ordine FF. Prædicatorum S. R. E. Vice-Cancellarii 9. Calendas Julii Indictione duodecima Incarnationis Dominicæ anno 1239. Pontificatus vero Domini Gregorii Papæ IX. anno decimo tertio.

II. HERMANNUS Nobilis Franco ab Huttingen Necrologio Domestico inscriptus octavo Idus Junii anno 1243.

III. WALTHON, seu Gualterus die & anno Posteris ignoto terris demortuus, Pontificiam Bullam quandam ab Innocentio IV. obtinuit die 17. Julii anno 1254. scriptam, qua Pontifex iste speciales concessit indulgentias ad Festum Deditationis Ecclesiæ Rebdorffensis & S. Joannis Baptistæ primarii Tutelaris Patroni de more lucrandas.

IV. ALBERTUS sive Albrechtus carne mortali resolutus anno 1309.

V. CONRADUS II. ab Ordinario suo Philippo a Rodtmaashausen Episcopo Eystettensi instantissime requisitus pro subsidio charitativo, ut vocant, solvit pecunias a Monasterii sui subditis collectas, non nisi reversalibus ad quodvis præjudicium forte Posteris inde generandum caute declinandum vicissim receptis. Cæterum tempus dormitionis Conradi Præpositi hujus prorsus ignoratur.

VI. HENRICUS I. in Prælaturæ suæ munere sub annum 1317. clarus cujus tamen alia memoria non extat, præterquam quod Jus Patronatus suarum aliquot ruralium Ecclesiarum commutarit cum aliis bonis Episcopatus Eystettensis, cæterum annus & dies obitus illius pariter non habetur annotatus.

VII. PARIS ex nobili familia Dapiferorum hæreditariorum Eystettensium *de Mur* appellata progenitus, ædificavit laqueare, & testudines templi ac Chori Reb-

dorffenſis, poſt fatis abſorptus loculum accepit in Sacello Capitulari grandi ſaxo tumbæ ipſius ſuperimpoſito. anno 1326.

VIII. CONRADUS III. Nobilis Suevus ab Hauſen anno 1343. a Clemente Sexto Avenione in Galliis reſidente, item ab Ordinario ſuo diverſas obtinuit Bullas pro Indulgentiis Eccleſiæ Rebdorffenſi ad certas anni feſtivitates multifariam impertitas, tandem ſtatione ſua mortali deceſſit Succeſſori locum dans anno 1358. die 21. Septembris.

IX. UDALRICUS ab Egerſtorff temporibus ſuis Albertum ab Hohenfels Canoniæ ſuæ Benefactorem eximium habere meruit, demum Prælaturæ munere ſpontanee dimiſſo, ruralem quandam Paræciam in Treuchtlingen, Matrici Eccleſiæ Rebdorffianæ ſubditam & incorporatam ſuſcepit adminiſtrandam.

X. PETRUS Nobilis Oſtrofrancus a Veſtenberg dormivit cum Patribus ſuis die 14. Novembris anno 1363. Hujus ſub Regimine inter Canonicos Rebdorffenſes claruit nominatiſſimus ille Hiſtoriographus HENRICUS communiter Rebdorffenſis appellatus, qui ſcripſit Chronicon ſeu Annales rerum ab orbe geſtarum: quibus Abrahamus Bzovius & alii plures uſi ſunt. Sub ejusdem Regimine Berchtoldus, ex illuſtriſſima Burgraviorum Norinbergenſium familia, Aureatenſium Epiſcoporum XL. numero, auxit & confirmavit varias indulgentias, & gratias ſpirituales.

XI. HILDEBRANDUS a Kresberg de pluribus controverſiis Canoniæ Rebdorffianæ diverſimode ſuſcitatis, ſuapte ingenio & dexteritate rite compoſitis, oppido laudatus, emigravit anno 1378.

XII. HENRICUS II. Nobilis a Veſtenberg ſupremum diem clauſit die 23. Septembris anno 1395.

XIII. FRIDERICUS a Torzbach, anno 1417. in Concilio Conſtantienſi impetravit ſolemnes privilegiorum ſuorum Confirmationes a Sigismundo Imperatore clementiſſime datas. Plura etiam pro ſuo Monaſterio coëmit latifundia, tum per omnia laudatus pie in Domino requievit die 8. Novembris anno 1419.

XIV. GEORGIUS Nobilis Franco ab Huttingen, mortuus & ſepultus die 2. Maji anno 1434. Impetravit ab Alberto de Hohen-Rechberg XL. Epiſc. Eyſtättenſ. Bullam quandam ſpecialium Indulgentiarum.

XV. UDALRICUS II. Nobilis a Seckendorff vivere ſimul ac præſidere deſiit die Poſteris incomperto ſub annum 1442.

XVI. SYLVESTER ex Monaſterii Decano in Præpoſitum conſtitutus, tandem ultro faſces Regiminis dimittit, ac poſt ſtabilitam Reformationem, juxta Conſtitutiones Windeſimenſes introductam lætus emigrat anno 1465. Eodem ipſe Sylveſtro procurante Nicolaus de Cuſa e Canonico Regulari S. R. E. Cardinalis, infra in deſcriptione Collegii Warttenbergenſis amplius laudandus, in Diœceſana Synodo Eyſtettenſi diſpenſavit ſuper certis quibusdam circumſtantiis, juſto nimium aggravantibus in Anniverſario Comitis de Hirsberg nominati ſupra, tenendis & obſervandis; quo etiam tempore S. Joannes Capiſtranus Ordinis Minorum S. Franciſci Vicarius Generalis Canonicos Rebdorffenſes in Religioſam Confraternitatem adoptavit, eosdemque omnium gratiarum ſpiritualium & indulgentiarum præfati Ordinis ſui comparticipes effecit.

XVII. JACOBUS Küenlein decimus ſeptimus & ultimus hujus loci Præpoſitus, qui collapſam ſucceſſu temporis Regularem obſervanriam zeloſe reſtauraturus, plenariam cogitare cœpit Cœnobii ſui cum Capitulo Windeſimenſi, tunc Sanctitatis fama celeberrimo, unionem, & feliciter impetravit intentum ſuum reipſa exequendi licentiam a Reverendiſſimo & Celſiſſimo DD. Joanne, tunc temporis Eyſtettenſi Epiſcopo, cujus gratioſiſſimæ Conceſſionis tenorem in formalibus curioſo Lectori ſubjicimus.

„ Joannes Dei gratia Aureatenſis, alias Eyſtettenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Sanctæ Mo-
„ guntinæ Sedis Archi-Cancellarius &c. ad perpetuam rei memoriam &c. &c. Ad
„ confovendos Dei Servos noſtræ decet ſollicitudinis curam tanto propenſius impen-
„ dere, quanto ab exterioribus inquietudinibus minime perturbati divino liberius va-
„ cantes obſequio ſacræ Religionis felicia conſequuntur incrementa. Sane pro par-
„ te honorabilium ac devotorum Religioſorum noſtorum in Chriſto Dilectorum Fra-
„ tris Jacobi Præpoſiti totiusque Conventus Monaſterii S. Joannis Baptiſtæ in Reb-
„ dorff Ord. S. Auguſtini Canonicorum Regularium noſtræ Diœceſis ad audientiam
„ noſtram deducti, quod licet dictum Monaſterium a ſua primæva fundatione per
„ quondam felicis ac ſanctæ memoriæ Conradum tunc Epiſcopum Eyſtettenſem Præ-
„ de-

„ deceſſorem noſtrum fundatum ac inſtitutum exiſtat, ut Fratres ibidem Deo ſervi-
„ entes ſub dicta Regula S. Auguſtini in vera obedientia ac monaſtica diſciplina reli-
„ gioſe militarent, idque fuit haud dubium per tempora longiora continuatum, ve-
„ luti nonnulla evidentia ſigna hæc atteſtantur. Verum cum ſoleat antiquus huma-
„ ni generis hoſtis bonorum actibus ſemper invidere, ac non nunquam qui per ſe ſta-
„ re putant, in caſum præcipitare, frangilitatis humanæ factum eſt, ut ſublatis e me-
„ dio primæ Severitatis Patribus, Viri ſuccederent carnis curam in deſideriis habentes,
„ qui normæ primævæ inſtitutionis habenas laxarent, ac Regulari jugo abjecto vitam
„ monaſticam in abuſiones quasdam commutarint. Noviſſimi vero quorum nonnulli
„ jam debitum carnis perſolverunt, alii autem in humanis ſuperexiſtentes ad Cor re-
„ verſi, cogitaverunt, quam grave ſit damnationis periculum, legem abjicere Domi-
„ ni & voto ſemel emiſſo contraire; atque ideo collapſam Religionem reſtaurare cu-
„ pientes, quædam Regularia ſtatuta per recolendæ memoriæ Brandum Tit. S. Cle-
„ mentis S. R. E. Cardinalem Placentinum nuncupatum, tunc Apoſtolicæ Sedis Le-
„ gatum pro Reformatione Ordinis antedicti edita acceptarunt. Cum autem his
„ mediantibus ad frugem melioris vitæ pervenire conarentur, in non parvam lapſu
„ temporis fluctuationem inciderunt, aſſerentibus quibusdam probatis viris, dicta ſta-
„ tuta Monaſticis Cæremoniis minime ſatisfacere, ſicque prænominati Præpoſitus &
„ Conventus ſaniori freti conſilio, obſervantiæ Monaſteriorum Ordinis ſui ſub Con-
„ ſtitutionibus & ſtatutis Capituli Windeſimenſis Ultrajectenſis Diœceſis viventium
„ ſe ſubmittere decreverunt, a nobis humiliter poſtulantes, quatenus pro firmiori
„ ſtabilimento Regularis vitæ in eodem Monaſterio Rebdorff Auctore Domino felici-
„ ter continuandæ, ad id noſtrum ſub certis tamen modis & forma infra latius expreſ-
„ ſis, eidem Capitulo uniendi & incorporandi præſtaremus conſenſum. Nos igitur
„ Joannes Epiſcopus antedictus conſiderantes debito officii noſtri Paſtoralis, cui licet
„ indigne præſidemus, incumbere, ut his, quæ minus ſufficiunt, ſuperædificemus fir-
„ miora & plantemus, quo in ædificio Spiritualis ſtructuræ more prudentis Patrisfa-
„ milias novis ſuperadditis ad vetera cultus Divini Numinis augeatur, & ſuccreſcat
„ ſtabili radice roboratus. Deliberatione itaque matura deſuper habita, ac Venera-
„ bilium Confratrum noſtrorum in Chriſto dilectorum Sigismundi Præpoſiti, Joan-
„ nis Decani, totiusque Capituli noſtri accedente conſenſu, petitioni præmiſſæ annu-
„ entes ad honorem Omnipotentis Dei, Glorioſæ Virginis Mariæ Genitricis Chriſti,
„ ac S. Joannis Baptiſtæ ſubmiſſioni, unioni, & Incorporationi, de quibus præmitti-
„ tur, ex certa noſtra ſcientia tenoreque præſentium conſentimus, & annuimus, ſic-
„ que ſupra nominatum Monaſterium in Rebdorff cum omnibus & ſingulis ſui Per-
„ ſonis, bonis, ac rebus præſentibus & futuris, cæteris Monaſteriis ſub obſervantia
„ Regulari Capituli Windeſimenſis viventibus, eidem Generali Capitulo juxta vim,
„ formam & modum Conſtitutionum, ordinationum & privilegiorum a Sede Apo-
„ ſtolica, aut alias qualitercunque eisdem legitime conceſſorum annecti, uniri, & in-
„ corporari, ac illis absque noſtro, Succeſſorumque noſtrorum impedimento, aut con-
„ tradictione futuris perpetuis temporibus poſſint gaudere, & valeant pariter & po-
„ tiri, quin imo volumus, & expreſſe ordinamus, ut antedicta obſervantia Windes-
„ heimenſis in ipſo Monaſterio Rebdorff vigeat, ac continuetur, Fratresque ibidem
„ Deo ſervientes ſecundum ipſam in monaſtica diſciplina vitam ducere debeant, ac
„ Altiſſimo devote famulari. Poſſint etiam nomina Prælati & Officialium, juxta diſ-
„ poſitionem ſeu conſuetudinem dictorum Monaſteriorum Capituli Windeſimenſis
„ immutare, aut aliter nominare, ut videlicet Præpoſitus Prior, & Decanus, Sub-
„ Prior (privilegiis tamen & indultis ac cæteris munimentis antiquis ſæpedicti Mo-
„ naſterii in Rebdorff in aliis ſemper ſalvis, & per hoc non mutatis) Præterea quia
„ in Privilegiis Apoſtolicis & Conſtitutionibus ſupradicti Capituli Windesheimenſis
„ contineri dicitur, quod Inſtitutio ſive confirmatio, & Deſtitutio Prælatorum & Of-
„ ficialium, nec non Viſitatio, Reformatio, Exceſſuumque Correctio, & punitio loco-
„ rum, & Perſonarum omnium, & ſingulorum Monaſteriorum jam dicto Capitulo
„ ſubjectorum ad Patres ſive Præſidentes ejusdem, & Viſitatores per eos deputatos
„ pertineat, Nos volentes Monaſterium in Rebdorff, ac Perſonas illius cum eisdem
„ paribus ambulare paſſibus, hujusmodi inſtitutionem ſeu confirmationem, & Deſti-
„ tutionem, Viſitationem, Reformationem quoque, Correctionem & punitionem tam
„ in Capite, quam in membris, auctoritate noſtra ordinaria & ex certa ſcientia in
„ Præfatos Patres Præſidentes & Viſitatores, tenore præſentium plenarie transferi-
„ mus, per ipſos de cætero absque noſtris, Succeſſorumque noſtrorum contradictione
„ & impedimento exercendas. Rurſus cum jam nominatum Monaſterium Rebdorff
„ per antedictum Conradum, aliosque noſtros Prædeceſſores Epiſcopos fuerit ut plu-
„ rimum de redditibus menſæ Epiſcopalis fundatum & dotatum. Et ob hoc ipſi at-

„ que nos tanquam veri Patroni & Fundatores habuerimus in eodem Jus Dominii ſi-
„ ve Advocatiæ cum quibusdam oneribus & ſervitiis conſuetis usque ad hæc tempo-
„ ra legitime poſſeſſis. Cupientes tamen Fratres & Perſonas memorati Monaſterii
„ poſſe in prædicta Regulari obſervantia quietius & absque gravamine Domino fa-
„ mulari, omnia & ſingula hujusmodi ſervitia, & onera, ſive in Vectura Curruum,
„ vel paſtura canum venaticorum, aut aliis quibuscunque conſiſtant, de dicti Capituli
„ noſtri conſenſu tollimus libere, plenarieque remittimus. Sic tamen, quod in ſignum
„ liberationis ac remiſſionis hujusmodi ipſum Monaſterium Nobis, Succeſſoribusque
„ noſtris, & Eccleſiæ noſtræ in recompenſam & cenſum proprietatis ſingulis annis
„ decem Modios avenæ Menſuræ Eyſtettenſis futuris temporibus perſolvere, & in
„ granario noſtro præſentare debeat, quem quidem Cenſum decem modiorum ave-
„ næ liceat ſingulis annis pro ſumma 30. florenorum de Rheno redimere, optione ta-
„ li Monaſterio reſervata, ultra quam ſummam non licebit Nobis, aut dictis noſtris
„ Succeſſoribus idem Monaſterium quovis modo prægravare, aut Cenſum hujusmo-
„ di augere. In reliquis vero Juribus Epiſcopalibus ac Jurisdictione Ordinaria jam
„ dictum Monaſterium Nobis & præfatis Noſtris Succeſſoribus & Eccleſiæ Noſtræ
„ Eyſtettenſi ſubjectum manebit; eo adjecto, ſiquando Nos, aut eosdem Noſtros Suc-
„ ceſſores a Clero noſtro generale ſubſidium charitativum recipere contingat, extunc
„ conſueto ſubſidio ab ipſo Monaſterio ſoluto & expedito, non teneatur eodem anno
„ prætactum Cenſum decem modiorum avenæ dare, ſed pro illo tempore in hoc libe-
„ rum eſſe debebit. Denique Nos & ſæpedicti Succeſſores Noſtri tenebimur veluti
„ legitimi Patroni, Defenſores, ac Domini, & debemus locum ac perſonas Monaſterii
„ noſtri in Rebdorff cum omnibus ſuis poſſeſſionibus, ſubditis & bonis univerſis ab
„ omnibus impugnationibus, moleſtiis & injuriis protegere, atque defendere, & in
„ ſuis Juribus, quantum adjuvante Domino poterimus, conſervare, & manutenere,
„ ut Fratres ibidem exiſtentes valeant, quietius & liberius divinis vacare obſequiis,
„ ac pro ſalute & felici ſtatu Eccleſiæ noſtræ, animarumque remedio noſtrorum Præ-
„ deceſſorum & Succeſſorum noſtrorum Altiſſimo preces fundere. Ad quæ devote
„ & laudabiliter peragenda liceat Nobis, eisdemque Succeſſoribus noſtris prout Offi-
„ cii noſtri debitum requirit, diligentius intendere, utque tam Religioſa obſervantia
„ in dicto loco minime tepeſcat, ſed divino freta auxilio indies devotius ſuccreſcat,
„ ac in Dei laudibus pro Chriſti fidelium noſtræ Diœceſis ædificatione fideliter au-
„ geatur. Amen! In quorum omnium robur & fidem, perpetuamque firmitatem
„ præſentes deſuper fieri, ac noſtrorum Epiſcopalis & Capituli, nec non præfatorum
„ Præpoſiti & Conventus in Rebdorff ſigillorum juſſimus appenſione communiri. Et
„ Nos Sigismundus Præpoſitus, & Joannes Decanus, totumque Capitulum Eyſtetten-
„ ſis Eccleſiæ recognoſcimus, quod diligenti præhabita deliberatione, ac Capitulari-
„ ter Congregati præmiſſis omnibus conſenſum præbuimus, ſigillumque majus Capi-
„ tuli noſtri in fidem & teſtimonium præſenti apponi fecimus. Nosque Frater Jaco-
„ bus Præpoſitus, totusque Conventus Monaſterii S. Joannis Baptiſtæ in Rebdorff
„ præmiſſa omnia & ſingula rata & grata habentes, Sigilla Præpoſituræ ac Conven-
„ tus noſtrorum ex certa ſcientia præſentibus pariformiter appoſuimus in fidem &
„ evidentiam pleniorem. Acta ſunt hæc & data Eyſtetten 3. die Menſis Decembris
„ in Feſto S. Solæ Confeſſ. Anno a Nativitate Domini Milleſimo quadringenteſimo,
„ quinquageſimo ſeptimo, Pontificatus vero Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini
„ Noſtri D. Caliſti Papæ tertii anno tertio, & noſtri Joannis Epiſcopi Eyſtettenſis duo-
„ decimo, Invictiſſimo & Sereniſſimo Principe & Domino noſtro D. Friderico tertio
„ Romanorum Imperatore ſemper Auguſto fideliter regnante.

Queis litteris Exemptionis ab omni Jurisdictione Ordinarii in Locum & Perſonas, multisque inſuper privilegiis gratioſe obtentis, magis magisque Rebdorffenſes pro loci & ſua Reformatione apud Patres Windeſimenſes inſtiterunt, a quibus de ſuo ardentiſſimo zelo & profectu futuræ Religionis ſummopere commendabantur multis in litteris hinc inde miſſis. Etiam Confratribus, qui mutuo converſarentur, tandem inſequenti anno 1458. de gremio totius Capituli Generalis duo inſignes Viri & Commiſſarii Delegati Berchtoldus ex Ceraſorum horto, ſeu in Kirsgartten prope Wormatiam, & Rudigerus in Herzenhagen prope Gelenhuſium in inferiori Palatinatu reſpective Priores & Reformatores Rebdorffium miſſi fuere. Accepta libera D. Præpoſiti Jacobi reſignatione, & facta Electione 15. Junii die Veneris primum memorati anni, unus ex illis, quos ſecum ex variis Conventibus adduxerant Confratres Con-Canonicos, Vir qua pietate, qua litteris præclarus Joannes Herdenius in novum loci Priorem & Præſulem omnium ſubſiſtentium applauſu electus, & confirmatus fuit, iique Patres Reformatores ad præſcriptum, & voluntatem tam Capituli Generalis Windeſimenſis,

cujus

cujus ſe legibus & Juribus plenarie ſubjecerat Rebdorffium, quam Epiſcopi & Ejus Cathedralis Capituli cunctis ad votum completis, promeruere æternam memoriam hiſce verſibus in altero pariete Chori quondam deſcriptis:

Cum tamen interea flueret res Religionis,
Ordine diverſo, nec haberent orſa profectum,
Sed priſco dejecta modo petulantius irent,
Janus ab antiqua referens cognomina Quercu
Præſul, qui dignus, quem laude per aſtra feramus,
Haud mora, rem ſacram, mores, legesque priores
Inſtaurat, tulit hunc nec longius ire Vetternum,
Præpoſitura ruit, Priovatus gaudet honore
Cœnobium, ejectisque aliis, quos nomen inane
Nobilitatis habet, meliores nutrit Alumnos,
Qui ſancte vivant ſub Legibus Auguſtini,
Et maneat veteri ſacra diſciplina vigore;
Tunc Pater æterna Bertholdus laude canendus,
Huc ſe cum ſociis recipit, quos ante vel ipſo
Sub Ceraſorum-Horto Rheni procul flumen alebat,
Hunc vitæ integritas, & Cura Monaſtica primum
Vallibus in noſtris habuit, fovitque Priorem.

Judicet jam prudens Lector quanta (ſcilicet) veritate nitantur ea, quæ Caſpar Bruſchius ad manifeſtam celeberrimi hujus Cœnobii calumniam proferre auſus eſt, ſcribendo ſequentia cum iis, quæ primum fideliſſime retulimus, minime cohærentia: *Cum tandem a virtute Majorum degeneraſſent, & abjecto Religionis, litterarum & pietatis ſtudio, Venationibus ac Commeſſationibus potius (ne quid amplius dicam) dediti tum diſciplinæ, tum œconomiæ negligentes eſſent &c.* Eſto, tractu temporis vulpeculas quasdam clauſtrales, quas non nomino, vineam hanc demoliri cœpiſſe, ne ultro autem graſſarentur, maceria Vineæ, quæ ſemper per ſuos vigiles Cuſtodes Dominos Præpoſitos ac alios ſedulos Operarios, imo ab ipſomet Patrefamilias Epiſcopo diligenter inſpiciebatur, purgabatur, & excolebatur, arctior circumdabatur, & neutiquam deſerta ac dejecta, imo ipſi Cultores Domini Præſules fideles ſemper perſtiterunt, & in ea operam ſuam aſſiduam & indefeſſam locaverunt, ut Syllabus Præſulum, qui cunctis diebus ſuis egregie portaverunt in ea pondus diei & æſtus, donec de ſua Conventione a communi Patrefamilias in Cœlis denarium laboris reciperent, clariſſime edocet. Quin imo ipſe Epiſcopus Joannes a Quercu rigidus eo tempore vindex in deſides quosdam Clauſtrales Regulares præter ſuum Clerum, quem Synodis reformabat, etiam in exemptos, ut Dominicanos Eyſtadii, & Parthenonem ad S. Walburgam Ibidem ſevere animadvertebat, plurima quoque alia Monaſteria ſuæ ditionis ad priſtinum vigorem reducebat, ſummis qui inde laudibus ab ipſomet Summo Pontifice efferebatur. Elucebat ſed magis in ipſorum Rebdorffenſium animis ardor & ſtudium perfectionis, cui unice plurimi intendebant, & in ſeipſis producebant, ac conſervabant, quæ eos magis commendarent, quam vituperarent, neque, quod in parte vitioſum, toti corpori imputandum, etenim non una vel paucæ, ut dicitur, hirundines circumſcribunt Ver. Inſuper ex ipſis Reformationis litteris falſitas Bruſchii apparet, dum eos venationibus deditos proclamat, cum tamen canes venaticos in ſervitutem Epiſcopi alere a fundatione debebant, nullatenus autem tale jus unquam penes Monaſterium reſederit, ſed cum locus & Villæ ejusdem valde vicinæ Reſidentiæ Epiſcopi & Ejus Capitulo plenum ſibi adhuc in præſentem diem uſurpant. Peracta Reformatione & introducta huc obſervantia Capituli Windeſimenſis Vinea magis floruit, & palmites miſit fœcundiſſimos, jucundiſſimos, ita ut Albertus Archi-Epiſcopus & Elector Moguntinus in quibusdam litteris de Conceſſione Gratiarum Spiritualium anno 1513. ad Conventum Rebdorffenſem 25. Sacerdotes de Gremio exceptis Junioribus & Laicis Converſis & Donatis, aliisve abſentibus recenſuerit, & huic Rebdorffenſi Cœnobio quam laudabiliſſime ſequentes præfuere.

Priores.

XVIII. JOANNES Herdenius primus de Congregatione Windeſimenſi Prior anno 1458. cum nova Regularium Canonicorum colonia e Monaſterio Kirsgartenſi Diœceſis Wormatienſis Rebdorffium accitus, ob dictam Reformationem adverſa plurima perpeſſus patienter tamen ſuſtinuit, de omnibus fortiter triumphavit; in caſibus difficillimis ad ſolum Deum per ardentiſſimas preces recurrere ſolitus, tandem poſt longævam corporis infirmitatem lethifera peſte ſublatus anno ſui Regiminis 25. Chriſti vero Salvatoris 1483. tertio nonas Novembris, quo die cum duobus aliis de eodem gremio pariter Epidimiæ morbo ſublatis, uni eidemque tumulo illatus eſt in Sacello S. Clementis Papæ & Martyris Præſul optimus, ſane ſi quis alius de Canonia ſua Rebdorffenſi ſtrenue promeritus.

XIX. JOANNES de Moguntia juxta Reformationem Windeſimenſem ſecundus Prior inſtitutus, & is quoque ex memorato Cœnobio Kirsgartenſi deſumptus anno 1484. quo tempore ipſe Indulgentias Stationum Authoritate Pontificia conceſſas pro ſua Rebdorffenſi Eccleſia feliciter obtinuit: item cum Guilielmo Epiſcopo Eyſtettenſi cerda quædam latifundia pro nonnullis decimis ruralibus commutavit; demum ſenecta ætate grandævus terris ſupervivere deſiit anno Prælaturæ ſuæ plusquam laudabiliter adminiſtratæ decimo tertio, Gratiæ vero Humanatæ 1496. die 8. Januarii reconditus in Sacello S. Annæ Matris Deiparæ Virginis, quod ædificaverat.

XX. MICHAEL Franck, Patria Bäringenſis, Vir Religioſiſſimus Religioſos Canonicos ſuos ſingulari charitate complexus, numeroſiſſimam aluit æque Laicorum ac Clericorum ſuorum Clauſtralem familiam; Hierothecam etiam argenteam Sacræ Hoſtiæ Euchariſticæ recondendæ propriam confici procuravit, atque aliis inſuper titulis emeritus octennio Præſulatus ſui nondum finaliter expleto mortuus & ſepultus juxta proximum Prædeceſſorem ſuum in antedicto Sacello S. Annæ Matris Deiparæ Virginis Mariæ. Anno reparatæ ſalutis 1503. 16. Februarii.

XXI. CHILIANUS Leib ex Oſtro-Francorum Boſphoro, vulgo Ochſenfurt (ut inqult Bruſchius de Monaſteriis Germaniæ fol. m. 102.) oriundus, Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ linguæ peritiſſimus, primum ex Canonico Rebdorffenſi in Priorem Monaſterii Schamhaubtenſis ordinatus, inde tamen denuo retractus, & in nativa Canonia ſua die 7. Martii anno 1503. regimini præfectus. Clerum frequentiſſimum aluit, & in interiori ambitu ſui Clauſtri pientiſſimam Matronam Agnetem Eyslingerin rara vitæ Sanctitate conſpicuam, eamque pluries viſionibus ſupernis illuſtratam condigno honore ſepelivit; Religionis Novatores qua calamo, qua lingua & publicis colloquiis conſtanter expugnavit: Comitia Ordinis ſui in ipſa Matrice Windeſimenſi apud Batavos celebrari ſolita aſſidue frequentavit; item a Leone X. ſpecialem Bullam obtinuit, qua & is quoque Pontifex Rebdorffium in omnem ſuam ac Sedis Apoſtolicæ protectionem clementiſſime recepit, tenor autem hujusmodi Bullæ Apoſtolicæ talis eſt:

„ Leo Epiſcopus Servus Servorum Dei Dilectis Filiis Priori & Conventui per Prio-
„ rem regi ſoliti Monaſterii in Rebdorff Ordinis S. Auguſtini Canonicorum Re-
„ gularium Eyſtettenſis Diœceſis Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Cum a
„ nobis petitur, quod juſtum eſt, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut
„ id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter di-
„ lecti in Chriſto Filii veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu perſo-
„ nas veſtras, & locum, in quo Dominico mancipati eſtis obſequio cum omnibus bo-
„ nis quæ in præſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum juſtis modis præſtan-
„ te Domino poteritis adipiſci, ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, omnes-
„ que libertates & immunitates a Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſive
„ per privilegia, ſive per alia Indulta Vobis & Monaſterio veſtro conceſſas, nec non
„ libertates & Exemptiones ſæcularium Exemptionum ab Imperatoribus, Regibus,
„ Principibus, & aliis Chriſti Fidelibus Vobis & eidem Monaſterio veſtro rationabi-
„ liter indultas, ſpecialiter autem decimas, primitias, oblationes, eleemoſynas, Jura,
„ Jurisdictiones, cenſus, fructus, redditus, proventus, emolumenta, vineas, hortos,
„ campos, prata, paſcua, nemora, ſylvas, fluvios, lacus, ſtagna, piſcarias & alia bona
„ ad Monaſterium prædictum ſpectantia, nec non Parochiales Eccleſias, & alia bene-
„ ficia Eccleſiaſtica, quæ eidem Monaſterio ſeu Canoniæ veſtræ unita, annexa, & in-
„ corporata eſſe aſſeritis, ſicut ea omnia juſte & pacifice poſſidetis, Vobis, & per vos

„ eidem

„ eidem Monaſterio veſtro Authoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti
„ patrocinio communimus, ſalvo in prædictis decimis moderamine Concilii Genera-
„ lis. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis & communi-
„ cationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare
„ præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apo-
„ ſtolorum, ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incar-
„ nationis Dominicæ 1518. quarto calendas Septembris, Pontificatus noſtri anno 4to.

Cæterum zeloſiſſimus iſte Prior Chilianus plenus dierum, Jubilæus etiam Regiminis ſui, dum 50. annis, quatuor menſibus & tribus ſeptimanis præfuiſſet, anno ætatis ſuæ 83. Chriſti Domini vero 1552. die 17. Julii dormivit cum Patribus ſuis, & maximo ſuorum luctu eſt ſepultus in prædicto Sacello S. Annæ ad introitum. Scripſit præter alia *Chronicon ſui temporis*, quod incipit: *Laborandum hic minime videtur.* Extat M. S. in Bibliotheca Electorali Monacenſi.

XXII. ANTONIUS Neuber ab Aurach oppido intra limites Diœceſis Eyſtettenſis progenitus anno 1552. die 30. Auguſti ad Prælaturæ regimen aſſumptus, Celſiſſimi ac Reverendiſſimi Principis & Epiſcopi Eyſtettenſis munus ac titulum Conſiliarii ſibi, ſuisque Succeſſoribus comparavit; Bibliothecam ſcriptis moralibus privato calamo ſuo coadunatis, ac ſuggeſtui publico admodum idoneis illuſtravit, tandem annis quatuordecim in Præſulatu Rebdorffenſi rite tranſanctis, cum reliquis Prædeceſſoribus ſuis in pace Chriſti quieſcentibus die 6. Octobris appoſitus fuit in ſæpedicto Sacello S. Annæ.

XXIII. GEORGIUS Grueber patria Ingolſtadienſis ex Oeconomo in Priorem & Supremum Antiſtitem Rebdorffenſem nominatus, & confirmatus anno 1567. die 6. Novembris. Fuit Aſtronomus peritiſſimus, ſtravit pavimentum templi Rebdorffenſis teſſellato lapide, tum ſui regiminis anno 20. ſenio & labore feſſus, ſponte ſua reſignat, & ad Canoniam Marbacenſem in Alſatia ſecedens, ibidem poſt menſes quinque moritur, ac in Sacello Capitulari ſepelitur, cui tamen etiam apud Rebdorffenſes inſigne quoddam conſtitutum fuit Epitaphium usque modo in Sacello S. Annæ conſpicuum.

XXIV. CASPARUS Kriegl itidem Ingolſtadienſis natus, totum Cœnobium ſuum ædificiis qua ſacris qua profanis plurimum illuſtravit, tandem factus Hydropicus anno ſui regiminis plurimum commendati octavo, Servatoris vero Humanati 1594. die 25. Aprilis aqua intercute extinctus eſt, cum Patribus ſuis in Sacello S. Annæ condigno honore tumulatus.

Priores Infulati.

XXV. LEONARDUS Kraus ex Epiſcopali oppido Herrenriedenſi Diœceſis Eyſtettenſis ortus, pro tempore Sub-Prior Rebdorffenſis anno 1594. die 20. Maji ad Prælaturam aſſumptus ab Urbano Papa VIII. (adnitente potiſſimum Reverendiſſimo ac Celſiſſimo Principe ac Domino D. Joanne Chriſtophoro Epiſcopo Eyſtettenſi, nec non Joanne Schuzio Priore Aquisgranenſi pro tempore ſæpefatæ Congregationis Windeſimenſi Viſitatore Generali) anno 1624. primus inter omnes Antiſtites Rebdorffenſes Pontificalibus Inſignis authoratus, eximiam hanc Cœnobiticæ dignitatis prærogativam (cum Abbatibus Lateranenſibus per quævis jura ac privilegia per omnia communem) ſibi ac Succedaneis ſuis acquiſivit perpetuis futuris temporibus poſſidendam. Tandem de toto Canoniæ ſuæ ſtatu annis 38. & menſibus fere ſex optime promeritus, tortura calculi nimium quantum afflictus, ac terrore graſſantis belli Suecici in arcem & Epiſcopalem Reſidentiam Eyſtettenſem tanquam ad aſylum deportatus, vita ac regimine ſuo ſpectabilis undique, fatis conceſſit, cujus exanime corpus ad proprium Monaſterium comitantibus multorum lacrymis honorifice deportatum in Sacello S. Clementis Papæ & Martyris ſepulturam accepit.

XXVI. GABRIEL Reeb ſecundus Infulatus Prior Rebdorffenſis haud ſine graviſſimo animi dolore ſuſtinere debuit bella Suecica toti fere Germaniæ noſtræ plurimum infeſta, & hæc inter multoties frequentatas Canoniæ ſuæ direptiones, Religioſum tamen Clauſtrum ſuum ſub his quoque ferociſſimis motibus omnino derelinquere nunquam voluit. Confraternitatem S. Joſephi Authoritate Apoſtolica comprobatam, ac ſpecialibus gratiis Pontificiis ciementiſſime donatam anno 1649. in propria Eccleſia ſua Rebdorffiana ſolemniter inſtituit, ter venerandas quas habuit Chriſti & Sanctorum Reliquias pretioſiſſime condecorari, & exornari fecit; idem Religioſiſſimus Antiſtes corpus ſuum flagris ad ſanguinem usque cruentatis, catenaque ferrea

adeo donare consuevit, ut ad intima carnis illa penetrans, eique firmiter adhærens post mortem violenter exscindi debuerit. Devixit sexagenario major qua litteris, qua pietate, qua animi robore præclarus die 10. Martii anno 1652. in propria Ecclesia sua Rebdorffensi ad gradus Altaris S. Josephi (cujus omnimodæ veneration pro viribus studuit) condigno honore tumulatus.

XXVII. MELCHIOR Mos Eystettensis anno 1652. Idibus Maji ad Prælaturam exectus, & a Reverendissimo Domino Adolpho a Kusen Congregationis Windesimensis pro tempore Priore Generali confirmatus, tum etiam ab Ordinario loci Insigniis Pontificalibus solemniter investitus præ cunctis Præsularis officii sui functionibus nihil prius habuit quam disciplinam Claustralem, cui jugiter illibate servandæ nunquam non sagaciter intendit; præterea quoque Ecclesiam suam duobus novis altaribus, sacrisque utensilibus in sacrum ministerium coordinatis splendide satis instruxit, rem domesticam non tam strenua fovit, quam plurimum etiam adauxit, sed & insuper Canoniam suam ære alieno in totum exoneravit Antistes sane optimus maximus, vita & regimine longiore omnino dignissimus, nisi sors inimica utrumque ei invidisset; quæ tamen alia non fuit nisi adversa valetudo, qua ex gravi corporis læsione in altera coxendice ad septennium clinicus factus, nec ullis mediis naturalibus restituendus anno 1676. die 16. Julii coram immediatis sui Ordinis Superioribus sponte cessit, adhuc tamen pleno Sacerdotii sui Jubilæi senio donatus, tandem paralysi confectus, placida morte decessit anno Virginei partus 1682. die 7. Novembris in sæpedicto S. Annæ Sacello reclinatus.

XXVIII. ANIANUS Beck Patria Spaltensis, in districtu Diœcesis Eystettensis editus, titulo & officio Oeconomi de proprio Monasterio suo totis 24. annis emeritus, licet omnino renitens præficitur, & continuo tiara Præsulari solenniter inauguratur omnium suorum Pater Amantissimus & Superior inclytus, qui durante regimine suo Rebdorffensem Ecclesiam decora renovatione plurimum exornavit, nova organa in ea constituit, & universam suppellectilem sacram ad majorem officii divini splendorem insigniter adauxit. Indulgentias plenarias ad Festum S. P. N. Augustini toti Congregationi Windesimensi concessas, sæcularibus etiam populis in Ecclesia Rebdorffensi lucrandas promulgari fecit; Canonicæ vineæ sibi ab Altissimo locatæ nunquam non Cultor strenuus, ad denarium seu mercedem magnam nimis post vesperum vitæ hujus temporalis evocatus anno 1690. die 18. Novembris ætatis 69. postquam coronæ fratrum bene- & valedicens eos iterum, iterumque ad mutuam charitatem, ut potuit, viribus cohortatus est, notissimo illo Joannis Apostoli monito: *Diligite alterum! Diligite alterutrum!*

XXIX. FRANCISCUS Jobst jam ante pluribus annis in Officio Decani, seu (uti vocant) Supprioris inclytus, sæpefatæ Venerabilis Congregationis Windesimensis Prior Infulatus, qui primo statim aditæ dignitatis tempore in singulare Monasterii sui commodum, ejusdemque memoratæ Congregationis ornamentum nactus est privilegium ordinaria etiam Authoritate stabilitum: vigore cujus perpetuis temporibus ad Prælaturam electo, atque authoritate Superiorum de Congregatione Windesimensi legitime confirmato, plenissime confertur potestas, posthabita inauguratione seu (uti vocamus) Benedictione Episcopali, continuo exercendi Pontificalia, conferendi minores Ordines &c. &c. Item usurpandi & respective promerendi titulum & officium Consiliarii Celsissimi ac Reverendissimi Principis & Episcopi Eystettensis. Circa easdem tamen Actiones, seu Privilegia nonnihil afflictum est Cœnobium hoc Rebdorffense a Celsiss. ac Reverendiss Principe & Episcopo Eystettensi Antonio, nuper in Domino defuncto, sed Romæ tandem post multa utrinque litigia pro Rebdorffensibus decisum est, privilegiaque supradicta in plenum confirmata. Interim Franciscus noster potiori Regiminis sui tempore infirmitatibus corporalibus adeo conflictatus est, ut ad ulteriora præstanda inhabilis, sponte honori cedere, & Præsulatum alteri relinquere debuerit anno 1711. 16. Nov.

XXX. ERHARDUS. Prioris Infulati dignitatem adiit anno 1711. quam egregiis meritis ornavit Canonia Rebdorffensis novam sub ipso induit faciem, quam e fundamentis novam excitavit, novisque ædificiis, ad œconomiam spectantibus ampliavit. Obiit circa annum 1732. vel 33.

XXXI. JOANNES BAPTISTA Antistes meritissimus. Oeconomiæ & Disciplinæ Regularis summe proficuus. Amator decoris Domus Dei, Ecclesiam renovavit. Novum Organum curavit fieri. Hortis elegantibus ornavit Collegium. In Domino

mino obiit anno 1757. 5. Maji cum magno suorum luctu meritorum plenus, maximum sui relinquens desiderium.

XXXII. WUNIBALDUS Hacklinger Monacensis modernus Reverendissimus ac Amplissimus Antistes, ad Infulæ honores 13. Junii hoc currente anno electus est, quibus ut fruatur diu, regat feliciter, prosit, præsitque suis in seram usque ætatem Religiosorum Subditorum ac Piorum omnium votum est, cui & nostrum jungimus.

Inter Scriptores Canoniæ hujus celeberrimæ eminent:

I. *Henricus* REBDORFFENSIS a loco Religiosæ Professionis suæ nominatus. Scripsit Annales ab anno 1295. usque ad annum 1362. in quibus Imperatoris Adolphi, Alberti Friderici, Ludvici Bavari & Caroli IV. acta recenset. Videatur de hoc Hofmanni Lexicon universale. Vossius de Historicis Latinis ac alii.

II. *Chilianus Leib.* De quo supra egimus inter Priores Rebdorffenses Numero XXI.

REDHOSTENSE,

Alias *Rzedhostense*, item Monasterium in *Rzedhorst* nuncupari solitum, in vastissimo regno Bohemiæ venerabile quondam Cœnobium, jam olim seu superioribus Sæculis ante ferocissimam Thaboritarum effusam rabiem, quocunque demum tempore & authore pro Canonicis Regularibus Ord. S. Augustini fundatum & institutum, hoc tamen novissima ætate nostra Posteris ex solo & unico Gabriele Bucelino Part. 4. fol. 11. de nomine suo notum, ubi Redhostense Cœnobium istud recensetur solummodo inter ea Monasteria, quæ sub decursum Sæculi decimi quinti immanissima hæreticorum Hussitarum rabie fuerunt direpta, & in nihilum redacta.

REDINCHENSE

Quoddam hujus nominis Parthenium Cœnobium apud Belgas superioribus Sæculis Congregationis Windesimensis Commembrum, hoc tamen jam pridem a furentibus Geuseniistis Calvinianis sacrilege direptum & exustum; cujus proin memoria hodie unice restat apud Gabrielem Pennottum in Hist. tripart. Lib. 2. cap. 64. vel paucis taliter annotata: *Monasterium B. Mariæ in Redinchen prope Wageningam in Ducatu Geldriæ Diœcesis Ultrajectensis &c.*

REICHENBERGENSE.

Alias *Riechenbergense*, item a Gabriele Bucelino in Germania Sacra Parte altera fol. 264. *Reiffenbergense*, perperam appellatum, a Miræo vero de Cann. Regg. cap. 13. fol. 64. *Monasterium B. Mariæ Virginis in Ryckenberg* intitulatum, Diœcesis Hildesheimensis, in partibus Saxoniæ inferioris, prope Goslariam Civitatem liberam & Imperialem, ætate nostra Sacræ Congregationi Windesimensi coadunatum. Hujus Author & Fundator primarius fuit Venerabilis Vir Petrus de Reichenberg Insignis Collegiatæ Ecclesiæ Goslarienſis SS. Simonis & Judæ Canonicus & Hypo-Diaconus, qui non tam ex paterna hæreditate, quam propriis possessionibus & facultatibus suis uberrime ditatus, de speciali licentia Diœcesani seu Reverendissimi Principis DD. Bernardi XXI. Episcopi Hildesiani, novam Fundationem istam authoritate ordinaria legitime comprobantis, in splendidissima arce sua Reichenbergensi anno Salutis humanæ 1131. construi fecit Ecclesiam admodum præcelsam & magnificam, habentem cum utriusque lateris absíde & crypta subterranea in Choro cubitos latitudinis sexaginta duos, longitudinis vero ducentos: quam tandem undequaque perfectam & absolutam piissimus fundator anno 1173. ipso Festo Beatissimæ Virginis Mariæ, eidem Cœlitum Reginæ Sanctissimæ Dei Matri ritu consueto ac solenni dedicari fecit ab Adologo vigesimo quarto Episcopo Hildesiano, atque una simul Viros Religiosos sub Canonica S. P. Augustini Regula Deo devote militantes in proprio ac Claustrali (quod itidem splendide satis apparatum præfatæ Ecclesiæ magnis sumptibus adstrui fecit) Domicilio collocari voluit. Ut autem Reichenbergensis Canonia hæc a quavis hominum impiorum molestia, impetitione, ac perturbatione futuris temporibus salva semper ac secura posset consistere, pluribus eam privilegiis immunitatibus & exemptionibus non tam Ordinarii, quam aliorum etiam Magnatum speciali gratia & favore concessis insigniri fecit,

cit, maxime vero ab Innocentio II. & Friderico I. in ſpecialem reſpective Sedis Apoſtolicæ ac S. R. I. tutelam ac protectionem ſuſcipi procuravit, graviſſimis pœnis ac Cenſuris nempe Pontificalis Excommunicationis, privationis omnis honoris & dignitatis, rejectionis a pretioſiſſimo Corpore & Sanguine D. N. Jeſu Chriſti, comminatione divinæ ultionis, banni etiam Imperialis &c. &c. in quosvis transgreſſores & Violatores per publicas litteras datis & promulgatis. Floruit ergo & illibata perſtitit hæc Canonia Reichenbergenſis in genuino vigore ſuo ſub Jurisdictione Ordinarii a tempore primæ Fundationis usque ad annum 1433. quo currente Reverendiſſimus ac Sereniſſimus Princeps ac Dominus D. Magnus e Duce Saxoniæ Epiſcopus Hildesheimenſis, *Princeps optimus* a Caſparo Bruſchio de Epiſc. Germaniæ cap. 11. nuncupatus, ad inſtantiam Præpoſiti Reichenbergenſis pro tempore exiſtentis, & Capituli ejusdem ſuam lubenter remittens poteſtatem ac Superioritatem, Venerabili Congregationi Windeſimenſi ſeſe de poſthac aggregandi plenariam licentiam impertivit, cumque ſub prudentiſſima hujusmodi directione, ac zeloſiſſima Superiorum inſpectione, nec minori eorum vigilantia Religioſi Fratres mirum in modum amplius proficerent, eam ſibi Religioſæ pietatis famam apud omnes conciliarunt, ut odorifero virtutum ſuarum exemplo longe lateque perſpicuo, exteri etiam, & quidem ſequioris Ordinis & Inſtituti Terapeutæ Confœderationem eorum, ac bonorum operum participationem, ut vocant, realiter aſſequendam ardentiſſimis votis ambirent, quod & factum eſt cum Canonicis Lateranenſibus in ipſa Urbe degentibus anno 1468. Item cum Monachis Ciſtercienſibus apud Carantanos anno 1475. & cum Fratribus Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia dictis anno 1480. Accedit etiam, quod ſub id temporis Eccleſia Reichenbergenſis a populis etiam de longe venientibus magno concurſu devotiſſime frequentari ſolita, multis & magnis a Sede Apoſtolica ditata fuerit Indulgentiis, in remiſſionem peccatorum clementiſſime conceſſis; qualiter atteſtantur quamplures Bullæ Pontificiæ in hujuscemodi negotio Salutis expeditæ, brevitatis cauſa hic oportune ſubticendæ. Quamvis autem inter luctuoſas malignorum temporum viciſſitudines Reichenbergenſis Canonia hæc multifariis tribulationum procellis aliquando quidem merſa, haud tamen ſubmerſa, denuo Superior caput extulerit, nihilominus tamen iteratum incendium prioribus ſæculis invicto animo ſuſtinuit, ac primum quidem anno 1278. ſecundum vero durante ſæculo decimo ſexto paulo ante Lutheraniſmum per univerſam Saxoniam & Weſtphaliam propalatum, & licet piis fidelium oblationibus illa denuo fuerit in integrum reſtituta, firmam tamen & continuam novæ ſtabilitatis ſuæ perſeverantiam aſſequi haud potuit, quousque demum anno 1643. poſt ſuſtentatam longævi temporis devaſtationem, qua non ſolum omne Clauſtralium murorum ædificium miſerrime periit, ſed & ipſum Monaſterii Templum duobus Sacellis & Altaribus octodecim inſtructum, poſt immaniſſimas quoque perſecutiones, cædes, & rapinas bonorum omnium etiam immobilium, ſuadentibus & urgentibus potiſſimum Ducibus Brunſuicenſibus Acatholicis, in odium Romaniſtarum (ut vocant) violenter illatas, imo poſt totas injuriarum & calamitatum Myriades, queis durantibus nativi Religioſæ Manſionis hujus Domicelli miſerabiliter exulare compulſi ſunt, Adminiſtratoribus hæreticis ac fanaticis ad integrum unius ſæculi decurſum in vices eorum ſacrilege ſubſtitutis. Tandem utcunque ſuperatas, atque exantlatas, pace publica terris iſtis reddita non nihil reſpirare cæpit ſacra Domus iſta Reichenbergenſis, quæ modo vel pro poſſe reſtaurata, quaſi in dies nova incrementa capit, ſatagente potiſſimum Antiſtite loci, qui eſt Reverendiſſimus ac Ampliſſimus DD. Wilhelmus Zillet anno 1681. die 29. Sept. ipſo Feſto S. Michaëlis Archangeli e Venerabili Canonia in Sulta ad muros Hildeſianos in Præpoſitum Reichenbergenſem electus.

REICHERSPERGENSE

Magnificentiſſimum ætate noſtra Paſſavienſi Diœceſis in inferiori Bavaria Collegium cæpit anno 1057. Fundatrice pientiſſima Gebhardi Archi-Epiſcopi Salisburgenſis Sorore Dietburga de Helffenſtein, nupta erat hæc Wernero Illuſtri inter Bavaros Baroni, Connubii dulcem fructum, Gebhardum nomine, filium unicum, in flore adoleſcentiæ optimis Conjugibus immatura mors abſtulit; ſic tamen diviniorem mentem indidit, opes etiam cum Filio ad cœlum præmittendi. Deum ergo & cœleſtis Militiæ Principem D. Michaëlem hæredem faciunt, caſtrumque ſuum (Reicherſperga dicebatur) ad Oeni profluentem in Cœnobium Canonicorum S. Auguſtini verſum Numini dedicant. Ipſe Wernerus præmortua Conjuge Dietburga ibidem Religioſum induit, vitamque ad normam Canonicam piiſſime exactam feliciter exuit, ad æternam, ut ſperatur, hæreditatem receptus. Deſtructum tandem S. Thyemonis tempore a Bertholdo Pſeudo-Antiſtite Cœnobium, in Laicorum manu detentum, donec B. Conradus

radus I. Archi-Epiſcopalem Sedem Salisburgi conſcendit, qui pro eximia in Canonicum Ordinem, quem ipſe (ut habent Auctores Hiſtoriæ Salisburg. L. 4. cap. 1. & Chron. Reicherſperg. ad annum 1122. & 1123. referente noſtro Anonymo Gallo in Diſquiſitionibus fol. 379.) profeſſus, fuerat, beneficentia mox circa annum 1110. locum ex integro reſtauravit, & Berbinum, Virum Religione & pietate conſpicuum e Saxonia evocatum, primum Præpoſitum eſſe juſſit. Interim B. Conradus munifica manu decimas, & bona egentibus adjecit, & ex his titulis Fundatoris alterius nomen meruit. Confirmarunt acta Conradi Succeſſor Eberhardus, Conradus II. & denique Fridericus IV. Archi-Epiſcopi. Eberhardi I. tempore lis quædam Reicherſpergenſibus cum Capitulo Metropolitico, nec non Monaſteriis S. Petri, & Nunbergenſi de certis bonis interceſſit, quam idem S. Archi-Præſul ex æquo compoſuit, & decimas Salis ad S. Petri Cœnobium Balderici tempore conceſſione Conradi delatas, compenſatione alia facta, annuente Henrico I. tunc Abbate cum Priore Henrico & Conventu, Reicherſpergæ tradidit. Cæterum Donationes & Privilegia: Item alia Eccleſiæ huius Reicherſpergenſis monumenta litteralia, & quidem numero ſuo plura prolixe recenſentur in Metropoli Salisburgenſi Tom. 3. fol. 225. & ſequentibus. Catalogum Prælatorum mox ſubijciendum inchoamus a Berbino, primo, ut dictum, poſt Reſtaurationem huius Collegij Præpoſito; de aliis enim Præpoſitis hunc a prima Fundatione præcedentibus ne unicum quidem indagare potuimus.

Catalogus

Reverendiſſimorum DD. Præpoſitorum Eccleſiæ Reicherſpergenſis ad S. Michaëlem.

I. BERBINUS anno 1110. e quodam Superioris Saxoniæ Monaſterio datus, & cum prima Regularium Canonicorum colonia iſthuc in Præpoſitum adſcitus, uno quidem quinquennio circiter egregie præſtitit, verum inde graviſſimis Schiſmaticorum perſecutionibus fatigatus, cum non haberet, unde medelam peteret, aut ſubſidium quæreret, expleto ſui regiminis ſexennio, queisvis aliis (præter Ordinarium) hujus penitùs ignaris, ſeſe clam, Clauſtralibus Alumnis Reicherſpergæ perdurantibus vel ſolum pauciſſimis, vel omnino nullis, ſubduxit; atque iterum eo, quo venerat in Saxoniam remeavit, paulo poſt in Epiſcopum propriæ Eccleſiæ delectus, cui Paſtorali muneri etiam fuit immortuus.

II. GOTSCALCUS Divino afflatus Spiritu poſt ſexenne interregnum afflictis Reicherſpergæ rebus quovis modo conſulere omnino cupidiſſimus, anno 1122. Faſces quidem regiminis fuit adeptus, & in id Authoritate ordinaria legitime confirmatus, neutiquam tamen bene proſperatus, cum videret mala omni ex parte magis ac magis accreſcere, nimio timore & angore coanguſtatus, Præpoſituram ſuam ad manus Ordinarij pleniſſime reſignavit anno 1132.

III. GERHOHUS SS. Theologiæ Doctor ante hac Cathedralis Eccleſiæ Ratisbonenſis Canonicus & Eccleſiaſtes ſeu Declamator ad populum Urbi & Orbi notiſſimus, cujus proin ſat magna laus eſt apud R. P. Mathæum Raderum in Bavaria ſancta volumine 2do. folio m. 274. & de eo nobiliſſimi quoque Boicæ gentis Annales Adlzreitteri part. 1. lib. 22. num. 35. ſic habent: *Gerochus Reicherſpergenſis Cœnobij Præſul quinto Calendas Julij rebus humanis eſt exemptus, cum annum ageret ſeptuageſimum ſextum, cœlo maturus. Natale illi ſolum Pollinga Vicus Cœnobio nobilis in Superiori Boiaria, haud longe a Weilhaimio. A puero litterarum & pietatis Studioſus, Friſingæ primum & Moſpurgi, ubi Scholæ a Viris eruditis regebantur, deinde Hildesheimij apud Saxones apprime excultus, redux in Patriam, ab Hermanno Pontifice Auguſtano, ob ingenij felicitatem doctrinæque famam Principi Gymnaſio præfectus, Sanctiori Virorum Inſignium Senatui adſcriptus eſt, perpetuus Summorum Pontificum, qui in Sacerdotij & Imperij diſſidiis Sedem Romanam jure tenuerunt, cultor, & immotæ Fidei in eorum dignitate aſſerenda. Ætate jam matura, cum perfectioris vitæ Studio teneretur, retineretur tamen parentum, Fratrumque inopia, quo minus ad Religionem evolaret, utrisque perſuaſit, ſeſe ut Raittenbuchenſi D. Auguſtini pervetuſto Cœnobio, Mater quidem in Parthenone, Pater vero Fratresque inter Viros Deo manciparent. Hos ille mox ſecutus, ſic omnem Religioſæ ſeveritatis rationem brevi eſt complexus, ſuos ut Sodales, ipſos adeo Moderatores Dux Hortatorque præclariſſimis exemplis longo intervallo præverteret, tanta efficacitate, ut boni omnes ad illius mores velut rectiſſimam virtutum amuſſim ſeſe componerent. Fuere tamen dyſcoli, qui ut Lucifugæ animantes ejus luminibus offenſæ*

ægerrimeque ferentes, quas Roma attulerat, primævas Instituti sui leges, graviter eum sunt insectati, quando eos cœpit ad illarum observationem sedulo excitare. Illum Chuno I. Ratisbonensis Episcopus Sacerdotio initiavit, fecitque muneris sui Adjutorem. Chunone defuncto, Conradus Salisburgensis, exemplar egregiæ Sanctitatis, eum misit Legatum ad summum Pontificem, magno suo emolumento, &, rebus feliciter confectis, reversum admovit Cœnobij Reicherspergensis gubernationi, quam gessit ea moderatione, ut ex emendatis sodalium moribus pulcherrima lux Sanctitatis foras promicaret. Hinc excitata Opulentiorum liberalitas ad conferenda auxilia, quibus ruinosa Domus, qualem Gerhobus repererat, brevi resurgeret in formam ampliorem. Multi etiam e nobilitate non modo suas opes, sed se quoque ipsos, capti amore pietatis religioni dedere. Inter istas virtutum exercitationes, edidit egregios ingenij sui partus, quorum indicem videre est apud Raderum, & nos quoque infra propalabimus: *Quodque inter omnia fuit pulcherrimum, post se reliquit magnam in Reicherspergensi Collegio virtutum famam & existimationem, quæ præter alios complures, pellexit Gebhardum, Halæ Oenanæ Dynastam, ut florenti etiamnum ætate, post tredecim annorum Stipendia facta Cæsari Abenobarbo, res quibus affluebat, amplissimas, & arridentis fortunæ invitamenta Reicherspergensis Cœnobij disciplinæ postponeret, cui statim se post Comitia Babenbergensia consecravit, Matris & duarum Sororum exemplo, quæ nuper in Parthenonem, eodem loci a Gerhoho conditum, & Sanctis informatum moribus, concesserant.* Hæc ibi. Certe hic Vir tantus erat, ut etiam fama ejus nomineque per universum Christianum Orbem inclarescente, Summi Hierarchæ maximi eum facerent, Patres Purpurati Cardinales suspicerent, Episcopi venerarentur, Principes cum Imperatore suis Consiliis adhiberent, Græci pene adorarent, Galli Germanique summe admirarentur, Bavari feliciter coram intuerentur: Ejus Opera complura hodiedum sancte asservat Bibliotheca Vaticana. Natus erat Mundo sub annum 1093. denatus 1169. ætate vitæ compar Sanctissimo Patri nostro, suppar virtutum & doctrinarum splendore. Gretserus & Raderus integram ejus vitam concinnarunt, alijque præstantes Scriptores honorifice meminerunt. Sunt, qui Beati nomine insigniunt, licet in Apotheosin necdum relatus sit, nec miraculis externis coruscet: nempe vita, non faciunt miracula Sanctum. Multus & prolixus est in eo dilaudando Raderus; at quod de ignorata S. Augustini Regula ibi exhibet, jam supra V. *Augustanum S. Udalrici* in fine pro rei necessitate declaratum est, & ulterius declarabitur infra V. Wettenhausen. Cæterum Gerhohus post vitam sanctissime traductam, meritis plenus decessit quinto Calendas Julij, cum annum ageret septuagesimum sextum cœlo maturus. Corpus biduo post ad aram S. Crucis (quam vivus semper in corde gestabat) congruo honore in Basilica Reicherspergensi sepulturam accepit 1169.

IV. ARNO Prædecessoris sui proximi Germanus Frater, æque ac ejusdem virtutum ferventissimus æmulator, maxime quoad disciplinam regularem nunquam non illibate servandam attentissimus, Canonica electione promotus intravit anno 1169. atque aliquando Regulares suos Canonicos ad Synodum Romæ habitam ablegasse legitur. Obiit anno 1175.

V. PHILIPPUS genuinus Gerhohi sanctæ memoriæ Præpositi ante dicti Discipulus, vi votorum Capitularium ad regimen sublimatus, atque in id Authoritate ordinaria confirmatus Canonice intravit, ac subinde morum honestate ac vitæ integritate plurimum inclaruit, & dum fasces Prælaturæ quinquennio tenuit, ultro destitit. Prius haud absque maximo Fratrum suorum, aliorumque piorum Fidelium labore rivum ad suum Reicherspergense Claustrum induxit.

VI. RICHERIUS I. anno gratiæ 1181. electus ob admirandam rerum gerendarum peritiam passim ab omnibus *Vir discretus* appellari meruit, qui tamen ad exemplum proximi Prædecessoris sui post trienne regimen pariter spontanea resignatione destitit.

VII. PHILIPPUS jam ante memoratus iterato vacanti Prælaturæ Sedi anno 1184. vi votorum Capitularium impositus, brevi tamen & adhuc perdurante primo reiterati sui regiminis anno Successori locum dedit idem paulo infra tertio recensendus.

VIII. GERLOHUS a primo statim sui regiminis ingressu Apostolicæ perfectionis æmulus, ac proin ad Chorum, seu gremium Metropolitanæ Ecclesiæ Salisburgensis invitatus assensum quidem præbuit; inde tamen post tempus ad nativam Religionis suæ Reicherspergensem Domum revocatus, atque anno 1184. in hujus Præpositum constitutus, post expletum Regularis Prælaturæ suæ decennium urgente longæva Corporis infirmitate commissam & usurpatam hactenus Claustralis regiminis facultatem ad manus Ordinarij plenarie resignavit.

IX.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

IX. OTTO I. Nobili ac pervetusta Engelbrechtiorum Familia progenitus idem & Gualtero Principi atque Episcopo Patavienſi ſanguine junctus, ex Archi-Ducali & inferioris Auſtriæ Canonia Clauſtro-Neoburgica poſtulatus, in novum Chori Reicherſpergenſis Antiſtitem fuit evocatus, verum poſt modicum trimeſtre ſpatium rurſum a Clauſtro-Neoburgenſibus expetitus eo perrexit, Reicherſpergenſibus interim abitum & carentiam illius acerbe deplorantibus.

X. PHILIPPUS tertia jam vice ad ſupremam dictaturam Reicherſpergenſem advocatus. Vir fuit omnino mitiſſimus, atque obſervantiæ Regularis per omnia Studioſiſſimus, utpote qui quaſi unice Deo ſuo vivens, totis 50. annis in Cœnobio ſuo Reicherſpergenſi ſine querela converſatus, aſſidue ſe vigiliis & labori dedit, plerumque tempus ſacris Libris conſcribendis impendit, ſic pluribus titulis ſtrenue promeritus, tandem poſt tertium ſui Præſulatus regimen, quod tamen non niſi unius anni fuit, ſenio & labore feſſus, emigravit decrepitæ ætatis ſuæ anno 90. Chriſti vero 1195.

XI. ARIBO poſt duodennem & hanc quidem id temporis omnino difficillimam Parochiæ Prombergenſis Adminiſtrationem anno 1195. in Præpoſitum Reicherſpergenſem adſcitus, cum primo ſtatim Clauſtralis Regiminis ſui anno vel invitus attenderet, & coram inſpiceret Monaſterij ſui ſtatum æquè in ſpiritualibus ac temporalibus oppido flacceſcentem, ac proin votis ſuis minus arridentem, annua penſione quot annis ad dies vitæ ſibi reſervata, conceſſit ad vicinam S. Nicolai Patavienſis Canoniam, poſt aliquot annos inibi mortuus & ſepultus.

XII. HERMANNUS I. electus anno 1196. toto Prælaturæ ſuæ decurſu multifariis adverſitatum ac perſecutionum procellis conſtanter agitatus demum miſeriarum ſatur emigravit anno 1201.

XIII. LEONARDUS, electus anno 1201. ſedulo commendatur in actis de ſpeciali mentis tranquillitate, toto perdurante ſuo regimine palam oſtenſa, poſt expletum autem Prælaturæ ſuæ quadriennium de pleno Capitularium aſſenſu Reicherſpergenſibuus ſuis honeſtiſſime valedixit, & abiit in Carinthiam ad Canonicos Oberndorffenſes, a quibus itidem in Præpoſitum conſtitutus demum ibidem mortuus etiam & ſepultus terris defecit.

XIV. HERTFRIDUS, de Choro Metropolitanæ Eccleſiæ Salisburgenſis vocatus, & in Præpoſitum Reicherſpergenſem anno 1206. conſtitutus, incuſatur a Poſteris gravis admodum ignaviæ, toto adminiſtrationis ſuæ tempore turpiter admiſſæ; potuiſſet enim, & debuiſſet (ut ajunt) præter alia jura ac emolumenta luride neglecta etiam Capellam in Wolckerſtorff donationis ac confirmationis litteris jam realiter impetratis ex toto in perpetuam Monaſterii ſui poſſeſſionem attrahere; verum tædio, & ignavia ſuppreſſus diem peremptorium peſſime neglexit, ac proin litem usque in hodiernum diem ſub judicibus reliquit. Reſignavit demum, & quaſi homo deſperatus eo quo venerat ut puta Salisburgum inglorius perrexit anno 1209.

XV. ORTOLFUS I. ex Oeconomo Domeſtico ſeu (uti vocant) Cellario ſub annum 1209. aſſumptus, atque etiam in Sacellanum Leopoldi Ducis Auſtriæ fuit quidem delectus, nullam tamen prærogativæ hujus mercedem aut commodum inde tulit, quam inperatam Subditorum Agreſtium, ac deteſtabilem Monaſterii ſui mutilationem, imo & truculentam eorundem cædem. Cæterum ipſe Ortolfus tempus Prælaturæ ſuæ ad novennium usque perduxit, ac proin pluribus aggregatus terris diſparuit.

XVI. HENRICUS I. electus anno 1218. ſub decenni Prælaturæ ſuæ regimine triſti animo ſuſtinere compulſus eſt ſacrilegam cunctorum fere Monaſterii ſui bonorum invaſionem ac direptionem, atque iſtam a vicinis regulis ut puta Nobilibus de Waldeck, Morſpach & Schönanger plus quam violenter illatam; unde bonus Præpoſitus iſte anguſtiarum plenus ac rebus adeo afflictis bene conſulere neſcius, per aſſiduas tamen ac flagrantiſſimas preces ſuis in ſolatium & auxilium adeſſe juſſus, Crucem magnam, in templo Reicherſpergenſi e ſublimi pendulam, ante ſummum altare reponi, & ante illam a Religioſis Canonicis ſuis coram adſtantibus magnis fletibus ac genitibus decantari ſancivit reſponſorium illud: *Aſpice Domine &c. &c.*

XVII. FRIDERICUS I. Illuſtris Comes ab Orttenburg Reicherſpergenſis Eccleſiæ Profeſſus electus anno 1228. fuit Religioſorum Confratrum ac Filiorum ſuorum ſedulus amator ex aſſe bonus, verum exacto ſui regiminis triennio in Principem ac Præpoſitum Berchtoldsgadenſem poſtulatus itidem illic cum magna ſui nominis laude honoratus digniſſime præſedit.

XVIII. UDALRICUS I. Liber Baro de Baumgarten & Waldeck, electus anno 1231. fuiſſe laudatur quo ad fidelitatem & paternum amorem palam in omnes liberaliter exhibitum per omnia Prædeceſſori conſimilis; idem poſt quadriennium ex certis cauſis animum ſuum moventibus ab officio ſuo ſpontanea reſignatione liber & abſolutus.

XIX. CHUNO, electus anno 1235. ſubinde vero & poſt expletum breve & unius ſolum anni clauſtrale gubernium Choro Metropolitanæ Eccleſiæ Salisburgenſi aſſociatus.

XX. UDALRICUS II. de Viechtenſtein, electus anno 1236. ſubinde vero perdurante anno Chriſtiano Viennæ in Auſtria, ubi tum negotiorum cauſa Monaſterii ſui fuit diverſatus, urgente gravi infirmitate mortuus & in Monaſterio Fratrum Prædicatorum Ord. S. Dominici condigno honore ſepultus 1250.

XXI. HARTWICUS, ex Vicario Parochiali Prambergenſi in Auſtria ad regimen Præpoſituræ Reicherſpergenſis vocatus eſt anno 1251. qui tamen quadriennio ſolum juxta tamen oppido laudatus præfuit, & ſpontanea reſignatione Succeſſori locum dedit.

XXII. WALTHERUS, electus anno 1255. ad tres ſolum menſes præfuit, & ad Canoniam Rhorenſem itidem in ejusdem Præpoſitum delectus abiit.

XXIII. GUNDACKARUS, electus anno 1255. inde tamen propemodum infinitis adverſitatibus agitatus, ac proin tot tantisque malis amplius ſufferendis ſua opinione impar ac inidoneus, conſummato ſui regiminis quadriennio, Prælaturæ faſces ultro dimiſit, easque ad manus Ordinarii pleniſſime reſignavit.

XXIV. GEROLDUS, anno 1260. ex Canonia Ranshovienſi poſtulatus, & is quoque poſt graviſſimos labores & angores pro bono communi fortiter exantlatos libere reſignatus.

XXV. HENRICUS II. electus anno 1264. inutilis Oeconomus, ideoque ob rem familiarem peſſimè neglectam poſt quadriennium pro meritis exauthoratus.

XXVI. WALTHERUS jam ſupra laudatus anno 1268. ad regimen Reicherſpergenſe revocatus ob religioſam charitatem paſſim erga quosvis liberaliter oſtenſam, atque integerrimam (quam continuo præſetulit) morum honeſtatem, ſed vel maxime propter induſtriam, ac utiliſſimam rei familiaris adminiſtrationem, paſſim apud omnes nomen ac titulum *Optimi Præſulis* ſtrenue promeritus, demum poſt duodenne regimen vitæ mortalis curſum feliciter abſolvit deſinente anno 1280.

XXVII. SIFRIDUS, electus anno 1281. commiſſum ſibi gregem Dominicum æque feliciter ac laudabiliter direxit, pavit, & gubernavit, quoadusque poſt abſolutum ſeptenne regimen in fata declinavit anno 1288.

XXVIII. CONRADUS I. de Radecgkh eodem anno antedicto 1288. electus claruit inſigni prudentia, nec minore rerum gerendarum peritia præditus, ac primus omnium in litteris noto illo *Nos Dei Gratia &c.* prædicato conſtanter uſus ad octennium præſedit.

XXIX. UDALRICUS III. electus anno 1297. quadriennio præſtitit, hodie ſolo nomine ſuo notus.

XXX. FRIDERICUS II. electus 1301. annis ſex ad clavum ſedit, & terris devixit anno 1307.

XXXI. RICHERUS II. electus anno 1307. præfuit annis 7.

XXXII. OTTO II. electus anno 1314. præfuit usque ad annum 1320.

XXXIII. CHRISTIANUS, ex Parocho in Etlitz anno 1320. in Adminiſtratorem conſtitutus, provixit in officio ſuo usque ad annum 1325.

XXXIV. CONRADUS II. itidem Adminiſtratoris ſolum nomine honoratus, atque anno 1325. ad gubernium clauſtrale promotus annis 5. præſedit.

XXXV. ORTOLPHUS II. de Teuffenbach, electus anno 1330. tertius Adminiſtrator factus, duobus ſolum menſibus rebus præfuit.

XXXVI. HERMANNUS II. eodem prætacto anno 1330. in Præpoſitum electus ob deteſtandam & execrabilem bonorum Monaſterii dilapidationem anno ſui regiminis quinto pro meritis exauthoratus.

XXXVII. ORTOLFUS de Teuffenbach jam ante memoratus Presbyter Sæcularis, utpote Cathedralis Eccleſiæ Patavienſis Canonicus, atque Archi-Diaconus Matticenſis, inſuper Plebanus Maurkirchenſis & Ludovici cognomento Bavari Rom. Imp. ac Ducis Bavariæ Cancellarius, jam ſecundo Reicherſpergenſibus in Adminiſtratorem datus, eidem huic Monaſterio ſuo Undenæ Adminiſtrationis ſuæ tempore quam plura

lati-

latifundia in perpetuam poſſeſſionem tradidit, quo eodem tempore Albertus Princeps & Epiſcopus Patavienſis Eccleſiæ Reicherſpergenſi in qualecunque ſubſidium & levamen in perpetuam poſſeſſionem appropriavit & incorporavit Parochiam Teiskirchenſem cum Jure Patronatus, ac aliis quibusvis juribus & appertinentiis depoſthac ſecure perfruendis, cum addito, *ut nullus depoſthac alius eligatur in Vicarium ſeu Plebanum Teiskirchenſem niſi Religioſus Canonicus Reicherſpergenſis.*

XXXVIII. DIETMARUS de Perghaim in Præpoſitum electus anno 1346. multa quidem bona Monaſterio ſuo præſtitit, juxta tamen ob congruam ſuſtentationem, & amabilitatem Fratribus pertinaciter denegatam, nemini non exoſus factus, multarum extitit author & ſeminator querrarum & diſcordiarum, unde & cultus divinus ipſius ſub regimine multo tempore penitus fuit intermiſſus, factumque eſt omne tempus, quo in officio Prælaturæ vixit Dietmarus, 40. anni, & mortuus eſt.

XXXIX. GRIFFO de Ottenberg in Præpoſitum electus anno 1386. mox a ſuſcepto regimine regularis diſciplinæ per omnia ſtricte ſervandæ mirificus Zelator, ſimul ac rei familiaris fidelis ac ſedulus Adminiſtrator, qui pluribus Allodiis hinc inde coemptis, ærarium notabiliter augmentavit, qui porro ſpecialiter in id invitatus, Provinciale Dicaſterium tum Riedenſe, tum Schardingenſe ſuo tempore ſtrenue frequentavit, & Quiritibus coram aſſidentibus, pro bono publico ſententiam dixit. Cæterum decimas Papales exſolvere renuens disgratiam Sedis Apoſtolicæ imo & Sententiam Excommunicationis aliquando incurrit, inde tamen ſuo modo reconciliatus, & enodatus priſtinam gratiam recuperavit. Præfuit annis 26. & terris emortuus eſt anno 1412.

XL. GEORGIUS I. cognomento Chern toto Prælaturæ ſuæ tempore Oeconomus prorſus damnoſus & inutilis apparuit, qui poſtquam triennio ad Clavum ſedit, Viennam in Auſtriam profugit, ibidem poſt fata ſua ad S. Stephanum reconditus.

XLI. PAULUS Tellenbeck, electus anno 1415. præ cunctis ſuis tum Prædeceſſoribus tum Succeſſoribus longiori regimine præſtitit & admodum in actis commendatur, fuiſſe ſingularis Fratrum amator ſimul & Oeconomus ſedulus, ac induſtrius, quo usque ſenio & labore feſſus, dum Prælaturæ ſuæ annos 53. recenſuit, ultro deſtitit, tandem pie in Domino mortuus & ſepultus anno poſt reſignationem ſuam ſecundo, Chriſti vero 1470.

XLII. BARTHOLOMÆUS, electus anno 1468. fuit quorumvis jurium ac privilegiorum Monaſterii ſui defenſor acerrimus, eaque propter paſſim vulgari nomine *der Schürmer* appellari ſolitus, qui juxta ſimul titulo & honore Conſiliarii ac Sacellani honoratus, & inclytus, ob ſæcularem tamen pompam Religioſum Antiſtitem neutiquam decentem, & æs alienum, quale multum imo plurimum contraxit, cunctis odibilis factus, demum vitam terreſtrem cum morte commutavit anno ſui regiminis 14. Chriſti vero 1482.

XLIII. JOANNES I. ex Nobilibus de Leonberg progenitus, electus anno 1482. ſtrenuo ac laudatiſſimo regimine ſuo nomen ac titulum ſecundi Fundatoris digniſſime promeritus, tempus Prælaturæ ſuæ protraxit usque ad annum, quem ſibi fatalem habuit, 11. Chriſti vero 1493.

XLIV. HIERONYMUS I. cognomento Stettner, electus anno 1493. admodum commendatur in actis fuiſſe Religioſorum Fratrum ac Filiorum ſuorum ſingularis amator, ut & ſollicitus bonorum temporalium Procurator, qui poſtquam biennio laudatiſſime ſimul ac utiliſſime præfuit, vitam cum morte poſuit anno 1495.

XLV. MATHÆUS Purckoer, electus anno 1495. fuit toto Prælaturæ ſuæ tempore Monaſterii ſui Reſtaurator egregius, qui plura allodia multifariam oppignorata feliciſſime redemit, aliaque non pauca de novo coëmit, templum ſuum Reicherſpergenſe & quævis alia Matrici Reicherſpergenſi ſubdita plurimum exornavit, rexit annis 32. ac pie in Domino demortuus eſt anno gratiæ 1528.

XLVI. HIERONYMUS II. cognomento Weirer, electus anno 1528. perdurante regimine ſuo Oeconomica induſtria ſua paſſim egregie præſtitit, qui idem ipſe tamen in coëmendis hæreticorum libris aliquando notabiliter obfuit, cæterum Clauſtrale regimen ſuum ad annos 20. protraxit.

XLVII. BERNARDUS Stral, electus anno 1548. præ cunctis Prædeceſſoribus ſuis tituli Oeconomi fidelis ac ſeduli ſtrenue promeritus, ac decennio in regimine Prælaturæ ſuæ honoratus & inclytus præſtitit, quousque tandem terris emortuus, tumulo illatus fuit anno 1558.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XLVIII. WOLFGANGUS I. cognomento Gaſsner in Præpoſitum electus anno 1558. Prædeceſſori ſuo in laudatiſſimo regimine per omnia conſimilis laudatur inter alia in templo Parochiali Riedenſi propriis ſumptibus ſuis ſuggeſtum ſeu Cathedram lapideam conſtituiſſe, præfuit annis 15.

XLIX. WOLFGANGUS II. cognomento Tallinger, electus anno 1573. infelix lolium, bipedum requiſſimus, ac quaſi unice fruges conſumere natus, qui mox ab aditu Prælaturæ ſuæ plus canibus enutriendis invigilavit, & venationibus, quam ſacris, multa inſuper debita & quidem graviſſima contraxit, demum exauthoratus anno damnati regiminis ſui quinto.

L. JOANNES II. cognomento Radlmayr, electus anno 1578. & ſic quidem recte & optime, at non ſine maxima difficultate, dum ſcilicet pientiſſimus Princeps Terræ Guilielmus V. utriusque Bavariæ Dux Reicherſpergenſi Monaſterio ſuo id temporis adhuc debitis paſſivis utcunque gravato, ſua opinione volens parcere ſumptibus, novum Præpoſitum eligendum indulgere noluit, ſed Adminiſtratorem ſolum rei Oeconomicæ ad interim cum plenitudine poteſtatis regimini præficiendum, contra ac Reicherſpergenſe Capitulum quoad potuit, precibus oportunis, importunis conſtanter oppoſuit, electionem novam libere faciendam impetravit. Ac proin Neo-Præſul Joannes iſte laudabiliter æque ac utiliter etſi quadriennio ſolum præfuit ſane vita & regimine longiori digniſſimus, qui diem ſuum obiit anno 1582.

LI. THOMAS Radlmayr, anno 1582. electus, cum annos 6. non ſine magna laude rexiſſet, in fata declinavit anno 1588.

LII. MAGNUS Keller, antea Decanus Conventus Reicherſpergenſis in Præpoſitum Canonice eligitur anno 1588. & poſtquam annos 24. ſumma cum laude præfuiſſet, anno 1612. die 20. Junii mortuus eſt.

LIII. ABSALON Bernauer, Congregationis Reicherſpergenſis itidem Decanus Prædeceſſori ſuo D. Magno ſenio & infirmitate confecto, anno 1611. 23. Auguſti in Coadjutorem datus, Eoque mortuo Jus plenum Prælaturæ ſuſcepit, & regiminis ſui anno quarto die 19. Martii 1615. pluribus aggregatus fuit.

LIV. GEORGIUS Gwer primum Canonicus & Decanus Reicherſpergenſis, poſt vero Vicarius in Orth conſtitutus, & tandem anno 1615. die 28. Aprilis ſuffragante uniformi electione ad Prælaturæ regimen aſſumptus, cui quinquennio præfuit in tabulis *laudabilis Præpoſitus* appellatus, demum ad plures digreſſus anno 1620.

LV. JOANNES III. Giſtelius appellatus, itidem de proprio gremio ad regimen aſſumptus ante hac Vicarius in Promberg uno ſolum anno & perpaucis ſolummodo diebus aliquot honoratus anteſtitit, utpote citius præter ſpem in fata vocatus anno 1621.

LVI. JOANNES IV. cognomento Zorn, prius Decanus Reicherſpergenſis, & Vicarius Prombergenſis, ſolertiſſimum Eccleſiæ ſuæ Prælatum egit usque ad annum 1627. quo decurrente triſtis admodum & invitus ægris oculis contueri, & ſatis magno animi mœrore ſuſtinere debuit caſuale incendium, quo totum fere Clauſtralis Collegii hujus ædificium, cum inſigni prorſus Bibliotheca inſtructiſſima haud ſine graviſſimo damno in cineres abiit.

LVII. MELCHIOR Hinderberger, non ſolum Patria, ſed & Regulari quoque Profeſſione ſua Reicherſpergenſis natus, Oeconomus fidelis & prudens Prælaturam & alia ſacræ Domus ædificia e fundamentis nova conſtrui fecit. Nunquam non ſincerus Religioſorum Filiorum ac Confratrum ſuorum amator, qui uti charus omnibus ſemper vixit, ita oppido mœrentibus omnibus illis devixit anno Prælaturæ 10. Chriſti vero 1637.

LVIII. JACOBUS Chriſtianus patria Burghuſianus Bojus, ex Canonico Reicherſpergenſi & Vicario Parochialis Eccleſiæ Puttinenſis in Auſtria ſolemni electione in Præpoſitum conſtitutus, Eccleſiam ſuam ope Prædeceſſoris e cineribus ſuis reſuſcitatam, & feliciter abſolutam conſecratione Epiſcopali inaugurari fecit, Villam Reicherſpergenſem, & alias utcunque pejoratas reſtituit, tum poſt duodennem adminiſtrationem magnis meritis onuſtus a laboribus ſuis requieſcere deſuper vocatus expiravit Neoſtadii in Auſtria, ſepultus in Putten anno 1649. die 12. Octobris.

LIX. ADAMUS Pichler gente Boius, Patria Riedenſis, natus huic ſæculo 1606. Canonicæ Religioni nuncupatus 1624. demum vero vi votorum Capitularium ad Prælaturam evectus 1650. die 14. Februarij, dum prius variis, ut puta Decani, Vicarij Parochialis &c. Regularibus officiis perfunctus, poſt etiam univerſim annis 48. Sacra-

tus

tus Myſtes ad aram ſtetit; Præſulatum vero geſſit annis 25. quos inter viginti publicis conſecravit Provinciæ curis inter ſumme præcipuos Statuum Provincialium Bavariæ Deputatos, ut vocant, recenſitus; atque hæc meritiſſimi hujus Præſulis munia, ſed quænam opera illius? Ædificium Collegiale fere totum venuſte ſatis ac ſplendide conſtruxit, Sacram Eccleſiæ Suppellectilem pretioſam admodum apparavit, ſagaciſſima rei familiaris adminiſtratione Oeconomiæ ſtatum plurimum adauxit, adeo, ut nulli Comprovinciali Regulari Collegio hodie Reicherſperga cedat. Primus ex Prædeceſſoribus ſuis mitra Præſulari inauguratus Religioſi ſtatus ſui honores multiplicavit, toti Provinciæ ſanis ſanctisque Conſiliis publicæ magnæque ſatis utilitati fuit, idem juxta ſimul charus Deo, Principibus, Populo, Suis. Et hæc ejus opera. Sed quænam virtutes, vivendique ratio? a teneris unguiculis ad pietatem compoſitus vixit. Jam ille parvulus plenis habenis ſine declinatione ſcivit amare Deum, Deique Matrem, quo ſemper amore crevit ad ultimum vitæ Epilogum. Caſtiſſimus Vir liliati Cordis ſui folia ſic expandit, ut paſſim odore bonæ ſuæ famæ ad ſe attraxerit hominum animos; amabilis ore, more, corde, re cogebat, ut redamaretur ab omnibus. Omnes haſce virtutes elevabat in Præſule Adamo humilitas, quæ relucebat in eo, ſi converſari debuit cum hominibus, quos honorabat ut Dominos, amabat ut Filios. Si cæteras virtutes complecti velles univerſas, actum ageres, vere enim fuit Præſul ampliſſimus, cum ampliſſima virtutum amplitudo ſemper apparuerit ex Eo. Uti liceat hic Phraſi elogiorum ejus funeralium, quæ inter cætera hæc adijciunt. Paupertas in Adamo e viliori veſte, menſa, ciboque communi, tanquam gemma lucida enituit. Manſuetudo inter minus proſpera tanquam roſa, inter ſpinas præſtans emicuit. Hinc perturbationum nebulas magnanimi pectoris placida ſerenitate ſemper diſſipavit. Verbo: Adamus omnibus omnia factus, pauperibus ſolatium, ſubditis gaudium, omnibus humilis ſine pedore, omnibus ſincerus cum candore: In hoc ſuis tantum invidus, nimirum quod ſolos Laudes matutinas Deo occinere non admiſerit, niſi & ipſe ultimo licet etiam ſenio confectus præſens foret. Et ne quid etiam Pietati deeſſet, ſemper conſtans pro cultu Deiparæ Virginis Mariæ fortis Athleta fuit. Plura pietatis Liber vitæ continet. Magna perpetuitas laudis, quam Adamus ſibi in præclara ſtructura ædificiorum, in pretioſa Eccleſiæ Suppellectile coëmpta in terris ſtruxit, ad oculum omnibus patet. Denique Adamus magnitudinis animo, Spiritu Conſtantiæ plane Filius, quia in rebus magnis atque excelſis adminiſtrandis ſemper felix. Inde & inter Statum Provincialium Bavariæ Deputatos annis 20. ſedit, ad hanc virtutum & induſtriæ amplitudinem quid reſtat? niſi meritorum corona. Hanc Deus in cœlo dabit, hanc Deus in terra dedit: Dum Adamus prima, ut jam ſupra dictum eſt, mitra decorari meruit. Hinc Adame tota Poſteritas *ſe ipſam & omnem laudem tibi debet.* Pientiſſime tandem obdormivit in pace, ipſo primæ Translationis S. P. Auguſtini Feſto die 11. Octob. ætatis ſuæ unde Septuageſimo.

LX. ANTONIUS Ernſt Ingolſtadienſis Boius inter gratas Muſas quaſi natus & educatus, defæcatiſſimi ingenij, nec non tenaciſſimæ ſimul ac fideliſſimæ memoriæ, in omni tum ſublimiori tum humaniori litteratura præſtantiſſimus die 24. Novembris 1675. in illuſtre Canoniæ Reicherſpergenſis Caput unanimi ſuffragantium calculo delectus, toto tempore quoad vixit in Religione, ab omnibus etiam exteris ſemper & ubique magni habitus, corpore & animo præſtantiſſimus, Vir fuit etſi plane incomparabilis, Jobinæ patientiæ ultimis vitæ temporibus continuo graviſſimis corporis infirmitatibus afflictus, quousque demum mortem quam quaſivit in Thermis Adlholzianis invenit die 22. Septembr. anno 1685.

LXI. THEOBALDUS Antiſner ex Obernberg in Bavariæ oppido Reicherſpergenſibus vicino progenitus, qui totam ingenij & naturæ indolem a Reverendiſſimo Ven. memoriæ Prædeceſſore ſuo hæreditaſſe viſus eſt. Adhuc in primo virilis ætatis vigore ſumma quæque temporibus ſuis palam edenda ipſa Operis exhibitione pollicebatur: Dum nempe ad maxima quæque natus in apertiſſimam Collegij ſui utilitatem glorioſe ſatis manifeſtavit, maxime vero altiora ſacrarum Scientiarum Studia pro toto poſſe continuo fovit & adamavit, nec minus communi Subditorum Sæcularium imo & totius Patriæ ſaluti publicæ ſolerter admodum invigilavit, utpote Conſiliarius in forenſi Regimine Provinciali præ cunctis aliis Statibus Eccleſiaſticis honoratus & inclytus. Maximus omnium & mole corporis, & virtute animi, tum ſibi nihilominus parvus & vilis erat, ut neſcius, utrum verius Patrem an Confratrem, Magiſtrum an Diſcipulum, Dominum an Servum, Prælatum an Subditum egerit. Jura Collegij & Eccleſiæ ſuæ ſtrenue defendit, quam etiam Argentea Supellectili ſplendidiſſime ornavit. Calamitoſo Belli tempore egenos plurimos, aut Nobiles aut Religioſos aut alios penuria preſſos, pavit, aut ſublevavit. Pro Hoſpitibus ſumptuoſa & magnifica excitavit

ædificia. Asthmate tandem vehementissimo laborans mentem sibi eripi passus, non Deum, ad quem omnibus Ecclesiæ Sacramentis rite præmunitus avolavit ultima Februarij die Veneris sub pulsu, quem *Tenebræ* vocamus, anno 1704. ætatis 51. Religionis 31. Sacerdotij 25. *Lux perpetua luceat ei.*

LXII. HIERONYMUS Schwegler. Natus mundo Mainburgi anno 1656. 20. Decembris, Religioni 1679. Anglipoli in arena tum Philosophica tum Theologica ad lauream properavit, a Sacerdotio ad curas Parochiales, a curis Parochialibus ad Decanatum promotus per septennium omnem laudem messuit. Jubente sacra Obedientia avulsus a Fratribus suis discessit usque ad Hungaria confinia, ac in Edliz Vicarium in Spiritualibus, & Administratorem in Temporalibus acturus. Post decennium vocatus ad Infulam supremum Præsularis dignitatis gradum conscendit. Biennio autem tantum stetit in Thabor, monte gloriæ, obumbratus plerumque nube morborum, inde mortis fulmine dejectus e Throno in Thalamum, e Thalamo in tumulum (Sacramentis extrema unctione, & sacro Viatico optime provisus) cecidit, ascensurus ex tumulo, ad cumulum bonorum omnium, cœlum nempe, & sic beato fine coronavit opus, anno 1707.

LXIII. HERCULANUS. Auras vitales primo hausit Rosenhemij celebri Bavariæ oppido anno 1664. honestissimas cunas nactus. Monachij inter Humaniores Musas educatus, vestem Canonicorum Lineam Ordinis Apostolici Candidatus petiit & obtinuit in monte Richeriano. Ibat de virtute in virtutem. Sacerdotio initiabatur anno 1690. Triennio Parochiali, intermedio septennio Granarij, Decanatus iterum triennali expleto ad amussim officio, virtutum suarum coronam (Abbatialem Infulam) obtinuit. Summis hanc meritis ceu gemmis exornavit. Canonicorum Stallos in novam & cultiorem formam reposuit, ubi ad Divinas Laudes in Choro persolvendas intra Regiminis sui decursum RR. DD. Canonicis alios viginti quatuor neo-conductos ad numerum Apocalypticum 24. Seniorum ante Thronum Dei constitutorum explendum adnumeravit, omnesque Ecclesiæ Lateranensis Romæ incorporari fecit. Altare summum S. Michaëli Archangelo magnificum exstruxit. Roma obtinuit corpus S. Claudij Martyris. Deo, cælitibusque plura erexit templa. Flammis absumpta Collegij quædam ædificia resuscitavit. Hoffmarchiam ligneam mutavit in lapideam non minimo subditorum bono & commodo. Hostium incursus magnanima semper fortitudine vel superavit, vel plurimorum millium lytro redemit. Dynastiam in Orth ab Illustrissimo Comite de Maxelrain amicabili suada in Supplementum damnorum iniquitate belli illatorum obtinuit. Totius Patria bono Labores suos impendit, nam biennio Prælatorum, octodecim annis Burghusiani Excelsi Regiminis & districtus honorificum Quæsturæ munus administravit ea sedulitate, ut ultimo vitæ ac laborum anno ad honorum apicem elatus, totius Patriæ Patribus Deputatis fuerit adscriptus. Comites tot Laborum erant Virtutes, Vigilantia, Prudentia, Mansuetudo, Justitia, Pietas in Deum & Homines. In JEsum Eucharisticum, & Virgineam Ejus Matrem ardentissimo tenerrimoque ferebatur affectu. Professione tandem Jubilæus die 8. Decembris anno 1734. Paterna benedictione suis charissimis Concanonicis impertita, in eorum preces & Sacrificia humillime se commendans, pectori S. P. N. Augustini Regula superposita, quam sanctissime ut amavit, ita servavit, candelam Lauretanam suis affectibus inflammatam tenens, & Crucifixi imaginem firmissime complexus, sub dulcissimis JEsu, Mariæ, Joseph invocatis nominibus puram animam efflavit. Sic mundo valedixit, & cœlo revixit. *Moriatur anima mea* (dic mecum quiscunque hæc legis) *morte hujus Justi!*

LXIV. MATHIAS Führer Laureaco in Austria superiore ex piis ac perhonorificis Parentibus Oriundus anno 1688 Februarij 25. die prognatus est. Anno 1706. die 29. Septembris per Professionem solennem se Deo in monte Richeriano consecravit. Aristotelis placita intra Canonicos Parietes hausit, Theologiæ Studiis summa cum Laude vacavit Dilingæ. Ad gremium Matris reversus anno 1713. munere Sacerdotali fuit decoratus. Theologiam, quæ mores spectat, suis Concanonicis prælegit aliquanto tempore, mox ad curam animarum applicatus, missusque in Austriam inferiorem per totos 14. annos in Operosissimis Cooperaturis montes & valles in æstu & frigore Apostolicis pedibus percucurrit. Ast subin Reverendissimo Herculano ab hac luce subtracto, factum est, ut ob commune votorum suffragium eidem in dignitate Abbatiali successerit, quam tamen modeste diu acceptare renuebat, licet ei delata sit non sine omine prævio eoque duplici; cum enim ad huc Mansuetioribus Musis litaret Lincij pientissimus P. Martinus Gottseer Soc. JEsu in fronte juvenis Infulam sibi apparere contestatus est, ipsiusque Antecessor Herculanus Mathiam sibi successurum prædixit. Mox ab initio Glorioso sui Regiminis maxime cordi ipsi erat Bibliotheca, quam amplio-

ampliorem fieri fecit, & quam plurimis, raris, pretioſis omnium facultatum libris & monumentis illuſtravit, Decorem Templorum auxit, paramenta pretioſa pretioſioribus cumulavit, Sacriſtiam veterem ampliavit, ac in novam & ſplendidam formam convertit, Sacriſtiam in Eccleſia Orthenſi novam condidit, Eccleſiam Holenthon in Auſtria inferiori a fundamento erexit, Altaribus Brombergæ arte pictoria exornandis liberali adfuit manu, ære campano plures turres vocaliores reddidit. Paupertatis Religioſæ erat amantiſſimus, in Pauperes miſericordia plenus, præſertim illa turbulentiſſima tempeſtate, dum Bavaria erat Martis Theatrum. Nec ſuis aliquid deeſſe paſſus eſt, adeo ſimul in egentes effuſus, ut pauperum agmen in hac calamitate nutriverit, ſubditosque & re frumentaria laborantes clementiſſime juverit beneficio nullo ævo intermorituro. Annus 63. Climactericus ſimul & Enneaticus fatalis ipſi fuit. Laborare enim cepit ex capitis vertigine, interea tamen ſemper matutinis horis præſens ægro licet capite, & tardigradis greſſibus Chorum adiens, dicere ſolitus: *Naturæ haud eſſe indulgendum ſed obſiſtendum in Numinis ſervitio, ejusque Laudibus.* Apoplexia tandem tactus Anno 1752. Januarii 13. die quaſi in momento facis ad inſtar in Collegii ſui uſus conſumptus exſpiravit, cujus tumbæ Epitaphii loco inſcribimus illud Sapientis dictum: *Juſtus ſi morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit.* Sap. 6.

LXV. CAROLUS Modernus Reverendiſſimus, Perilluſtris ac Ampliſſimus Præſul, & Lateranenſis Abbas, laudatiſſimis Anteceſſorum ſuorum veſtigiis inhærens, virtutes in tot aliis diſperſas collectas tenet, Præſulum apex, Ordinis Canonico-Apoſtolici præclarum Sydus Richerianum montem fulgentiſſimis meritorum radiis Illuſtrat Solis inſtar, qui ut Sero occumbat ſuis, ſinceriſſimum animi mei votum eſt.

Cæterum præter alios nobis invitis ignotos qui ſcriptis etiam Canoniam hanc Reicherſpergenſem celebrem fecerunt

ARNO ejusdem inſignis Canoniæ Decanus, uti & Frater uterinus celeberrimi Viri Gerhohi Præpoſiti Ordine tertii, cui & Prælaturæ munere ſucceſſit, Germano ſuo doctrina & virtutibus, gerendique dexteritate haud impar. Scripſit

Contra Folmarum Præpoſitum Trieſſenſteinenſem de ejusdem erroribus circa Euchariſtiæ Sacramentum prolixum volumen. Extat MS. in Bibliotheca Monaſterii Rottenhaslacenſis Ord. Ciſtercienſis prope Burghuſium in Bavaria.

GERHOHUS ejusdem Eccleſiæ Reicherſpergenſis Præpoſitus Ordine tertius, de cujus inſigni virtutum fama, qua Ordinem noſtrum Canonico-Auguſtinianum illuſtravit, hic quidquam attexere ſuperfluum eſſe duxi, & ſupra ſatis oſtendimus, hoc unum reſtat, ut & egregios ingenii ſui partus propalemus. Elucubravit autem Gerhohus iſte

De Auctoritate Romanorum Pontificum & Dominorum Cardinalium. Contra Sectatores Petri Abaiolardi.

Ad Canonicos Friſingenſes diverſa opuſcula.

De Anti-Chriſto.

De Virgine Maria in Cœlum aſſumpta.

De Fide.

De Divini Spiritus ordine donorum.

Expoſitionem in Pſalmos Davidis octo Voluminibus, quorum aliquod in folio membraneo deſcriptum continens expoſitionem 20. Pſalmorum in Bibliotheca Cann. Regg. Ranshovienſium adſervatur.

Plurima Scripta ad Epiſcopum Pragenſem Danielem.

Dialogum inter Græcos & Latinos.

Libellum de Glorificatione Filii Hominis ad Archi-Epiſcopum Salisburgenſem Eberhardum.

Opuſcula plurima ad Alexandrum II. Papam, & ad Epiſcopum Babenbergenſem.

Contra errores Folmari Præpoſiti petræ Stillantis in Franconia plures Epiſtolas. Extant aliquæ Tomo IV. Bibliothecæ SS. Patrum Editionis Pariſienſis.

Vitam B. Wirnthonis Ord. S. Benedicti Abbatis Formbacenſis defuncti anno 1127. teſte Gabriele Bucelino in ſuo Menelogio Benedictino die 10. Martii.

MAGNUS, Natione Bojus, ejusdemque Cœnobii Canonicus Regularis floruit ſub Henrico IV. Scripſit

Chronicon ab orbe condito ad ſua usque tempora. Opus, ut ait Jacobus Gretſerus S. J. Theologus, doctum ſane, & fere ſupra ætatis illius conſuetudinem accuratum, in quo inter alia Ven. Gerhohi ſui Antiſtitis Religioſiſſimam vitam fuſe contexuit, nec non triſtem Cataſtrophen V. Arnoldi Con-Canonici ſui in mortis lucta Dæmonum inſidiis acerrime petiti, at ope B. Virginis, cui longe addictiſſimus erat, præclare adjuti, pluribus explicavit, cujus Hiſtoriæ Seriem hic breviter annectimus ex Radero Volum. 3. fol. 88. Arno, ſeu Arnoldus cognomento Pius fuit Gerhohi Præſulis conſanguineus, qui rebus humanis & fugientibus neglectis & contemptis, Reicherſpergenſi ſe Cœnobio addixit, vixitque inter D. Auguſtini, quos Canonicos appellant, Sectatores pie, religioſe ac quiete, quoad morte defungeretur: quæ memorabilis fuit, eoque Poſteris in memoriam redigenda, uti ſperandum, inde ſalutis reportent fructum, cum ex præjudiciis Arnoldi, aliorumque, quid ſibi quisque in morte timendum, quid cuique agendum, ubi ad Supremi Dictatoris tribunal reus citabitur, recognoſcet, ad ſæculorum enim temporumque omnium & morum emendationem ſupremus Judex hujusmodi totius ante actæ vitæ cauſas actionesque Tragicas voluit conſignari. Anno ſexto & ſexageſimo ad milleſimum centeſimum, hebdomade, qua ſalutaris in terram Numinis adventus exſpectatur, extrema cœpit Arnoldus lenta quidem illa, ſed continente febri æſtuare, & humore vitali in dies deficiente marceſcere, contabeſcere, & demum ad confinium mortis & vitæ properare, idque propridie Virginis in templo luſtratæ. Interea loci, Domeſtici ſubinde pro uſu, & more Comilitonem ſuum officii cauſa adeuntes identidem rogitabant, ecqui haberet? valeretne, an omnino ſpes omnis valetudinis decollaſſet? quibus æger quantumvis ardore febris exhauſtus læta ſemper & exporrecta fronte, Arnoldus, inquit, bene ſe habet, nihil dolet, nihil prope ſentit, quantumvis diuturnitate morbi fractus & confectus. Ut vere quidam de diuturnis & gravibus corporis morbis cecinerit:

Si longus, levis eſt; ſi gravis ille, brevis.

Cibum raro capiebat, rarius etiam petebat; vultum, quem valens florensque ſemper placidum, mitem, ſerenum, pacatum gerebat, mutata valetudine non mutavit. Pridie demum Calendas Februarias, cum augente morbo brevi ſibi decedendum ſentiret, optaretque animam in ſinum omnium Religioſorum Matris & Virginis, cujus, ut dixi, celebritas luminum jam præ foribus erat, effundere: vocatis omnibus in valetudinarium, ubi decumbebat, Patribus, ſacris omnibus ad ingrediendum æternitatis iter munitus, orabat ſingulos, ut nec ſibi in extrema jam imminente hora adverſus tam exercitatum, impotentem, ſuperbum & atrocem hoſtem deeſſe vellent, ſibique Deum, Dei Matrem, omnesque Cœlites votis, precibus, lacrymis, & ſacrificiis propitiarent. Dum hæc ille cogitat, omnesque Religioſi præſentes in Suffragia procumbunt. Ecce tibi totum Conclave repente tota Acherontis completum Legione, inundatumque conſpicit: Tum vero triſtia Orci monſtra furcis & harpagonibus, quem ſtantem & valentem non ſunt auſa aggredi, ægrum corpore & viribus defectum proſtratumque certatim invadunt, & prædam ſecum in exitium trahere infernales harpyæ conantur. Hic ille lumina primum pandere, metu pavere, totisque artubus contremiſcere. Mox quanta potuit voce clamitare; En ingentes Stygiarum Larvarum copias, quas Domicilium vix capit. Non videtis, inquit, infeſta Orci portenta. Hi ſunt perduelles illi juratique Numinis & hominis hoſtes cœlo dudum proſcripti, pulſi, & ſempiternis inferorum ſuppliciis addicti: agite pugnemus in hoſtes, moxque arrepta Chriſti de Cruce pendentis imagine irruentibus feris velut Clypeum objicit, & qua impetum faciebant, obvertit, identidem eadem ſe conſignans, muniensque, moxque in ora hoſtium eandem impingere, vimque defendere, & importunarum belluarum impetum retundere. Stipabat lectum jacentis corona Patrum metu attonita, & tantum non exanimata, quantumque pſalmis, votis, & lacrymis potuit, præliantem adjuvabat. Arnoldus cohortibus inferorum paululum averſis, ſignum ſalutare nunc exoſculando, nunc venerando, nunc ſe ipſum conſignando: En, inquit, ut Lucifugæ iſtæ Ululæ & Menſtroſæ Noctuæ SS. Crucis radios averſantur, quam nunquam contra intueri ſuſtinent? ut Divinum, quo ſtrati victique ſunt, ſignum fugitant. Pronuntiate Comilitones mei, pronuntiate Domini precationem, Patrem Cœleſtem in auxilium vocate, Religionis noſtræ Symbolum recitate. Deum unum profiteamur, Deique Filium cum Sanctiſſimo Spiritu ab utroque procedente adoremus. Nihil iſti nocturni Lemures magis horrent, nihil magis eosdem percellit, & terret, præſentem Virginis Mariæ Dei Matris opem implorate. Ipſa mihi Natum placabit, ipſa veniam orabit, & impetrabit. Ubi ſunt mei Contubernales? non plures adſunt? ubi Sacræ dicatæque Deo Virgines? ingenti mihi turba Patronorum opus eſt, ut fulgent Apoſtolorum vultus? quos, ut accenſa per noctem ſydera conſpexi. Sed vos obtecro,

qui

qui me circumſtatis, redite ad Mariam. Maria Columen, & præſidium meum iratum mihi Numen flectet, Filium conciliabit; illa mihi aditum ad gratiam parabit, adeoque in gratiam apud Natum ſuum reponet. Inſtiterunt deinde præſentes omnium Cœlitum Ordines precibus adire, cæperuntque ex Litaniarum formula a Chriſto Domino, Sanctiſſimaque Triade ad Mariam deſcendere, cum ille Luctator ſubito exclamat. Redite ad Mariam, terque quaterque iterate Mariam. Jam enim ad ſupremi Dictatoris Tribunal cauſam dicebat. Stabant hinc, ut Arnoldus affirmabat, delectæ Cœlitum Turmæ, illinc execrabiles Calumniatorum ex Orco emerſi greges. Atrociter accuſabant hi, conſtanter propugnabant illi, ſæpe res in lubrico verſari, & reus conſcientia factorum teneri, conſtringi & in arctum cogi videbatur. Lachanizabat interim miſer, & in ultima vitæ linea ſtabat, ægreque ſpiritum reciprocabat, cum urgetur ſimul, & cogitur ad objecta reſpondere, ſimulque cum morbo & morte luctari, quæ ſingula per ſe ſatis ad debilitandum frangendumque reum valere poterant: non abjecit tamen Clypeum & haſtam fortis Luctator, & quamvis omnem ſalutis ſpem in cœlo ſitam haberet, ſolaque Numinis clementia, & Virginis patrocinio niteretur, reſponſabat tamen inſtantibus, &, accuſate, inquit, modo Criminatores, accuſate, habetis confitentem reum, ſed jam diu pœnitentem. Verſus inde ad Mariam, ſi verbum, inquit, dixerit Maria, ſalvus & beatus ero. O ſi mihi fiat ſecundum verbum ejus! Tum rurſus inſilientem in ſe hoſtem ſigno Cœleſti, graſſatorem, furem latronem vocitando fortiſſime retudit. Jam diſpulſis noctis tenebris & tenebrionibus aurora appetebat, cum Arnoldus aſſidue in celebranda Virgine occupatus, tandem lætior cum Regio Propheta exclamat: *Lætatus ſum in bis, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.* Tum intento in circumſtantes vultu, digitoque in Chriſtum cruci affixum, ecce, inquit, hic ſalus, hic redemptio noſtra. Et mox: O virtutem, ait, obedientiæ, quæ maximam noxiarum ejus partem haud dubie delevit, cum nihil in Religioſa vita tantam apud Deum vim & auctoritatem habeat, quam paratum ad omnia majorum imperata obſequium, quod magnas ſubinde parenti creat difficultates, quibus ſuperatis merito Victor poſt victoriam triumphum agit. Arnoldus inde cœleſtium gaudiorum viſu exhileratus, ô quantam, inquit, & non comprehendendam Mortalibus, inexplicabilemque Cœlitum ſpectavi gloriam, apage cum Mortalium omnium gaudiis, officiis & inaniis. Poſtremo velut e graviſſimi certaminis lucta reſpirans, Maria, inquit, Soſpitatrix mea, veniam mihi ſalutemque impetravit. Denique quaſi vocantem ſe invitantemque ad cœlum ſequi conaretur, venio, inquit, venio, & omnibus corporis connixus viribus, cum fracti & exhauſti diuturno morbo artus conanti non reſponderent. Eheu! non poſſum, exclamat, non poſſum movere extra tectum aut lectum pedem, & cum dicto recidit in tergum, quievitque, & quo non potuit vocantem ſequi corpore, mox orto ſole præeuntem, edito ſpiritu ſecutus eſt animo in cœlum. Sic, inquit, Scriptor vetus, & ut videtur ſpectator admirandæ hujus Cataſtrophæ, ſic non ammiſimus hunc bonæ memoriæ Presbyterum, ſed præmiſimus. Ituri enim ſumus & nos, & Princeps hujus mundi, niſi Deus avertat, venturus eſt ad nos. Nam & hic Presbyter in agonia ſua non omiſit dicere, quod hoſtes maligni ad nos quoque eſſent venturi. Nec mirum, nam & Dominus de ſe dixit: Venit enim Princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam. Præſtet ipſe Dominus, ut ſi ad nos quoque idem malignus veniat, nihil ſuum in nobis inveniat. Quod, ut fiat, ſicut monet Dominus, vigilemus, & oremus, ne intremus in tentationem. Hactenus Raderus loco ſupra citato.

REICHERSPERGENSE

Aliud, ſeu a priore illo Canonicorum Collegio omnino diverſum fœminini tamen ſexus, etiam pridem antiquatum ſacrarum Virginum de Ordine S. P. Auguſtini Domicilium, a famoſo illo ſanctæ memoriæ Reicherſpergenſi Præpoſito Gerhoho propriis ſumptibus apparatum, & tum adſpectante Eccleſia ſua in honorem Deiparæ Virginis fuit dedicatum, prout amplius explanat Raderus ante citatus fol. m. 286. in vita ejusdem Gerhohi ita ſcribens: *Adjecit & novum Gerhobus Virginum Sacrarum Domicilium, in quo nobiliſſimæ tenerrimæque Virgines ſe cæleſti Sponſo æternum proprias dedicaverunt.* Item infra loco citato: *Hic* (Gerhohus) *in corrigendis Magnatum moribus laboravit, ac Monaſterii Sanctimonialium B. Virginis extitit fundator &c.* Olim inter perſonas Regulares tum Natalium ſplendore, tum rara vitæ Sanctitate præcipuas ad Parthenium Clauſtrum iſtud cum duabus Sororibus ſuis conceſſit etiam Gebhardi e Comitibus Helfenſteiniis Archi-Epiſcopi Salisburgenſis natione Suevi, jam ſupra memorati Honoratiſſima Genitrix Illuſtriſſima Domina Hedwigis ſanctæ memoriæ Vidua, omnis Religioſæ pietatis moribus clariſſima, quæ etiam in eodem hoc Parthenio

Clauſtro demum ſanctiſſime requievit, ex quo vero poſt annos omnis Reicherſperga caſuali incendio conſumpta in cineres abiit, Venerabile Monaſterium iſtud usque hactenus e buſto ſuo reviviſcere nondum apparuit.

S. REINOLDI.

Intitulatum Sacri Ordinis Canonicarum Regularium S. Auguſtini Venerabile Parthenæum a Gab. Bucelino Germaniæ Sacræ Part. 2. fol. 75. in hæc verba relatum: *Fuit S. Reinoldus Ordinis D. Benedicti Monachus S. Panthaleonis Coloniæ Martyrio denique coronatus, cujus ſacrum corpus Tremoniam translatum eſt in Sacellum quoddam ab Henrico de Moers Archi-Epiſcopo veſtitutum, cui paulo poſt Cœnobium Virginum D. Auguſtini accrevit, cujus præcipua Fundatrix Margarita de Waldecken extitit ſub annum Chriſti* 1447.

RHENOBERGAM,

Urbem in ipſo limite Ducatus Clivienſis, & ditione Archi-Epiſcopi Colonienſis ſituatam, eamque ætate noſtra a Cæſareanis & Confœderatis fortiter expugnatam, præter alia diverſorum Ordinum Monaſteria quoddam etiam Sanctimonialium Congregationis Windeſimenſis Contubernium habuiſſe, jam pridem gratioſe me per litteras edocuit Comprovincialis Monaſterii Noveſiani Prior, idem pro tempore etiam memoratæ Ven. Congregationis Prior Generalis Reverendiſſimus ac Ampliſſimus Dominus Joannes Zillet jam ſupra laudatus.

RHORENSE.

Monaſterium Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini in inferiori Bavaria non procul a Laber fluvio in vico *Rhor*, in honorem Beatæ Virginis Dei Genitricis Mariæ anno 1133. inſtitutum, cujus Author & Fundator extitit Adalbertus Nobilis Vir, qui non modo ſuas facultates & quidem ampliſſimas ex paterna hæreditate ſibi relictas, ſed etiam ſe ipſum totum Deo conſecravit, & votum ultroneæ paupertatis profeſſus eſt, ibidemque in Choro ante ſummum Altare ſepultus. Quam fundationem quoque tum Summi Pontifices Innocentius Papa II. Eugenius III. Innocentius IV. & Martinus hujus nominis V. tum etiam Auguſtiſſimi Imperatores Fridericus I. Fridericus II. Rudolphus I. Romanorum Rex deſuper datis Bullis & Privilegiis, prout videre eſt in Metropoli Salisburgenſi Tom. 3. fol. m. 255. confirmarunt.

Syllabus

Reverendiſſimorum Præſulum Canonicorum Regularium Eccleſiæ ad B. Virginem in Rhor Diœceſis Ratisbonenſis &c.

I. BRUNO Vir Religioſiſſimus, cujus directioni mundi vanitates exoſi, facultatibus ſuis omnino dimiſſis, ſeſe ſubdidere Illuſtriſſimi Comites de Altendorff, de Löbring, de Khoning, de Horde, de Rottenburg & alii plures ex prima Nobilitate progeniti. Item ſub ejusdem hujus Brunonis regimine Monaſterium hoc ab Innocentio Papa II. authoritate Pontificia fuit confirmatum, multisque juribus ac privilegiis inſtauratum. Tum Venerabilis ac Religioſiſſimus Antiſtes iſte cum in ſuſcepto Prælaturæ munere ſat impiger boni Paſtoris partes adimplere totis viribus allaboraret, & hinc multa prædia ac alia bona immobilia in augmentum primæ fundationis perpetuo proprietatis titulo poſthac poſſidenda Canoniæ ſuæ transfundere non deſiſteret, vendentium propinquos & hæredes in peſſimos ſibimet accerſivit inimicos, adeo quidem, ut iſti ipſorummet Religioſiſſimi Præſulis hujus famulorum maligna conſpiratione ſubornati, ſeſe Monaſterio armati violenter inferrent; quare moleſtiſſimis hujuscemodi litibus & controverſiis utcunque ſopiendis, pro Advocato ſuæ Rhorenſi Eccleſiæ gratioſe concedendo loci Ordinario ſeu Henrico Epiſcopo Ratisbonenſi devotiſſime ſupplicavit ipſe Bruno Præpoſitus, qui tamen rebus nondum plene compoſitis, morte naturali deceſſit die 18. Septembr. anno 1138.

II. EBERHARDUS Liber Baro ab Allnbach, magni nominis Vir, bonæ vitæ ac famæ, qui non ſolum multas Deo ac Religioni lucratus eſt animas; ſed multa quoque bona immobilia in perpetuam ſui Monaſterii poſſeſſionem coëmit: præfuit haud ſine magna ſui nominis laude totis 20. annis, tum febri correptus & jam ad ultima

fata

fata trahendus, convocatis fratribus Herbortum virum ſibi per omnia probatum in Succeſſorem denominans, paucis poſt diebus non ſine communi ſuorum luctu deceſſit die 22. Martii anno 1159. Ejus ſub regimine de ſpeciali Ordinarii permiſſu, & unanimi Religioſorum Fratrum aſſenſu Tutoris officium, neutiquam tamen (ita volente ac ſtatuente Alberto fundatore adhuc in vivis exiſtente) in filios aut conſanguineos jure hæreditario devolvendum, Illuſtri Viro D. Gebhardo de Abenſperg fuit delatum. Item in diebus ejusdem Eberhardi Præpoſiti poſtquam annis 16. ſub ſuavi jugo obedientiæ in Religione Canonica Deo ſtrenue militavit, die 9. Octobris in Natali SS Dionyſii Areopagitæ Epiſc. & Soc. MM. rite expiatus, & ſacris munitus, in pleniſſima Religioſorum Fratrum corona piiſſima morte deceſſit Albertus antedictus primus Rhorenſis Eccleſiæ Fundator in Choro templi prope ſummum Altare ad cornu Evangelii depoſitus.

III. HERBORTUS Wiemer non tam a Prædeceſſore ſuo ad regimen Prælaturæ (ut ante dictum eſt) ſpecialiter commendatus, quam libera electione (præſidente Hartwico Epiſcopo Ratisbonenſi) canonice celebrata pro meritis evectus, & authoritate ordinaria confirmatus, multa prædia in uſum Eccleſiæ ſuæ coëmit, item Parochialem Eccleſiam in Ober-Oellenbach ſituatam pari titulo a Conrado Comite de Rhening obtinuit, ac tandem anno 1174. die 6. Auguſti ſub hora Completorii ad verſiculum illum, *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum &c.* in Choro præſens animam Creatori ſuo tradidit Vir admodum modeſtus & humanus paſſim ab omnibus magni ſemper habitus.

IV. WOLFRAMUS de Allatzhauſen ex familia Comitum de Rhening & Rottenburg ſubrogatus, diligentiſſimus fuiſſe perhibetur Monaſterii ſui Adminiſtrator, qui Religioſa pietate ſua, & gratiſſima morum ſuavitate multos Nobiles ad amorem vitæ Religioſæ pertraxit, ita ut non pauci eorum ſua prædia, aliaque Bona Eccleſiæ Rhorenſi tradiderint poſſidenda. Obiit tandem ipſe diem ſuum, & magnam ſui nominis laudem Poſteris reliquit die 19. Martii anno 1186.

V. LUDOVICUS de Mandlkirchen appellatus unanimi ſuffragantium calculo regimini præfectus Dominici gregis in animam ſibi commiſſi fidelis Paſtor & Rector annis 22. indefeſſo labore perſtitit præſente demum toto Canonicorum cœtu lætus emigrans die 28. Julii anno 1208.

VI. HUGO I. omnibus aliis Canonicis Capitularibus (ob graviſſimas perſecutiones a moleſtiſſimis Cœnobii advocatis multifariam pro tempore ſuſcitatas) Prælaturæ faſces, etiam poſt trinum ad electionem congreſſum, omnino detrectantibus ſenex admodum Sedi vacanti impoſitus, ſeptennio præfuit Vir admodum pius, benignus, & in pauperes clementiſſimus; potens inſuper opere & ſermone poſt plura latifundia ſuæ Canoniæ juſtiſſime coëmpta mortuis accenſus die 19. Novembris anno 1215.

VII. HUGO II. Ottonis Ducis Bavariæ Sacellanus, de proprio gremio communibus omnium votis ad ſupremam Cathedram Rhorenſem evectus fuiſſe laudatur, Eccleſiæ ſuæ Diſpenſator fidelis & prudens, qui de ſingulari induſtria ſua diverſas acquiſivit bonorum immobilium donationes, item alia jura ac privilegia qua ſacra, qua profana, quousque terris abiens cœlis immigravit die 12. Novembr. anno 1247.

VIII. GODEFRIDUS delatam ſibi Prælaturæ dignitatem fortiter quidem abnuens, nihilominus tamen, quamvis invitus admodum, præeſſe cogitur ad annum 1248. in temporalibus æque ac in ſpiritualibus oppido providus. Ejus temporibus Monaſterium Rhorenſe ſecunda jam vice Apoſtolica Authoritate confirmatum fuit ab Innocentio IV. a quo una cum quatuor Bullis Papalibus in Confirmationem bonorum immobilium diverſimode coëmptorum datis, ſpeciale quoque privilegium aliquod fuit impertitum tempore interdicti Generalis in Eccleſia Rhorenſi ſuppreſſa voce divina celebrandi, non pulſatis tamen campanis & excluſis excludendis quavis cenſura Eccleſiaſtica innodatis, prout amplius conſtat ex ejusdem Bullæ tenore in Metropoli Salisburgenſi Tom. 3. fol. 257. Cæterum ipſe Godefridus Præpoſitus ſecunda jam vice Romam abituriens præter ſpem omnium in via laſſus defecit vita ſimul & regimine, reduxque Domum amplius non apparuit, quia tulit eum Dominus de mundo terreſtri ad gloriam immortalem.

IX. HENRICUS de Allenzhauſen unanimi conſenſu Capitularium Sedi vacanti ſuperimpoſitus, fuiſſe laudatur Oeconomus admodum induſtrius ac multa Cœnobio ſuo contuliſſe, beneficia ſuo loco meritiſſime notatus Mortilogio Domeſtico inſcriptus legitur die 24. Aprilis anno 1253.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

X. WALTHERUS Nobilis de Werth electus anno 1253. haud minus sanguine quam virtute clarissimus, magna sua prudentia, probitate & mansuetudine cunctis probatus & acceptus magnæ etiam apud omnes famæ & Auctoritatis, ingentem sibi comparavit nominis æstimationem, Antistes inclytus cum Patribus suis dormiisse connotatus die 24. Aprilis anno 1254.

XI. CONRADUS de Allnbach rerum gerendarum industria præclarus obiit anno Domini 1256.

XII. RIMARUS Stanzhauser exquisiti Vir ingenii obiit anno 1287.

XIII. HILDEBRANDUS ingenti liberalitate sua præclarus, rerum itidem Domesticarum apprime Studiosus in fata declinavit anno 1300.

XIV. HERMANNUS de Ulrein in omni actione sua magna providentia sublimis, post expletum 14. annorum regimen anno 1314. Diem suum obire coactus fuit.

XV. BERENGERUS Perckhauser obiit anno 1336.

XVI. UDALRICUS Randecker cognomine suo dictus, fatis concessit anno 1339.

XVII. NICOLAUS obiit anno 1346.

XVIII. CONRADUS cognomento Vaher appellatus diem suum obiit anno 1367.

XIX. CONRADUS Regeldorffer dictus obiit anno 1405.

XX. BERTHOLDUS Regldorffer obiit anno 1414.

XXI. CONRADUS & is quoque Regldorffer cognominatus post annos duos & menses quinque, quia bono publico parum utilis, & inidoneus in totum ex authoratus fuit.

XXII. VDALRICUS dictus Plumberger obiit anno 1426.

XXIII. CONRADUS ante dictus denuo restitutus obiit anno 1430.

XXIV. PETRUS Fries e Canonia Vndenstorffensi postulatus per omnia Reformator egregius, idemque nomen ac titulum secundi Fundatoris condigne promeritus, diem supremum obiit 18. Junii 1455.

XXV. JOANNES Peininger administratione sua multum laudabilis templum Monasterii testudine firmavit

XXVI. WOLFGANGUS Hambstückel obiit anno 1493.

XXVII. ERHARDUS obiit anno 1509.

XXVIII. SIGISMUNDUS Weissenburger obiit anno 1527.

XXIX. WOLFGANGUS Zenckl obiit die 10. Januarij 1539.

XXX. FRANCISCUS Greinmolt Præpositus Berenriedensis in Administratorem Rhorensem datus & acceptus anno 1555.

XXXI. PAULUS Sümmerl obiit anno 1562.

XXXII. CASPARUS Streittl Canonicus Beurbergensis, itidem in Administratorem Rhorensem evocatus.

XXXIII. HIERONYMUS Wegmann obiit anno 1570.

XXXIV. JOANNES Fischer Canonicus Berenriedensis primum per aliquot annos Administrator Weyerensis, postmodum anno 1571. in Præpositum Rhorensem assumptus, Canonicæ Religionis semper amantissimus, juxta quoque Cœnobij sui jamjam ruinam minitantis Restaurator egregius, obiit anno 1588.

XXXV. JOANNES Hollensteiner electus 6. Novembris anno 1589. Vir omni exceptione major Prælaturæ fastigio digniſſimus, scholas instruxit, ædificia funditus erexit, templum ornavit, pauperes aluit, numerum Canonicorum adauxit, Bibliothecam suam libris adeo multis exornavit, verbo laudatissime rexit annis 42. unde pro merito primus omnium inter Sacratos Præsules Rhorenses honoratus mitra, pedoque Abbatiali fuit insignitus, idem ipse Statuum Provincialium inferioris Bavariæ Deputatus, ut vocant, summa authoritate Principis terræ constitutus totis 24. annis communem Patriæ salutem strenue fovit, denique meritis & annis sublimis exanimatus naturæ debitum solvit die 14. Junij anno 1630.

XXXVI. BERNARDUS Schärl pietate & religione præstantissimus proin de speciali Numinis gratia fati sui præscius tristis admodum & invitus vidit durante bello Sue-

Suecico non tam ferociſſimum Religioſi clauſtri ſui totius incendium, quam Canonicorum Religioſorum miſerabile prorſus exilium, cui ipſe ſubtractus de tribulatione magna lætus emigravit ad felicitatem æternam & Patriam manſuram.

XXXVII. WILIBALDUS Mayr poſt modicum aliquot dierum (a morte piiſſimi Prædeceſſoris ſui) Interregnum ex Capitularibus Domeſticis adſcitus, cultioris ſermonis tum Græci tum Latini longe peritiſſimus adhæc Theologus ac Philoſophus inſignis, idem ſublimiores hujusmodi ſcientias in diverſis aliis ſui Ordinis Collegiis haud ſine vulgari laude profeſſus, durante ſuo regimine potiorem Cœnobii partem e buſto reſuſcitavit, nova prædia coëmit & decimas, item quam plures libros ad Bibliothecam magis exornandam comparavit, ac univerſim laudabiliter præfuit tredecim annis, quousque nimirum a rebellibus ſubditis ſæcularibus contemptim habitus & afflictus Prælaturæ faſces ultro dimiſit Simone Zotl loci Decano in adminiſtratorem interim conſtituto, ipſe vero Wilibaldus Septuagenario major tandem emigravit die 14. Decembris anno 1665.

XXXVIII. PATRITIUS Veſpringer cognominatus ex Decano Weyerenſi Præpoſitus Rhorenſis menſe Martio 1646. deſignatus, modico decem menſium curriculo nondum expleto Landishuti ſub cura Medicorum vivens miſere quamvis medice, carne mortali defunctus, Succeſſori locum dedit. Ejus ſub regimine Religioſi Canonici ſecunda jam vice Martiali furore Belli Suecici ſolum vertere, & manſionem ſuam Rhorenſem derelinquere coacti ſunt, Pace publica tandem Patriæ reddita reverſi ad propria.

XXXIX. AMBROSIUS Faber Canonicus Rhorenſis ex Decano Monaſterij Subenſis in Antiſtitem Rhorenſem evocatus, & Canonice promotus itidem per aliquot menſes tantum præfuit, ac eodem anno quo Canonia Rhorenſis obitum ejus deplanxit in terris, ipſe depoſita carnis ſarcina lætari cœpit æternum dehinc exultaturus in cœlis.

XL. SIMON Zotl jam nominatus ſupra licet jam ſenio grandævus & officio Decanus oneri Prælaturæ ſuccollare rogatus, & exoratus, de ſpeciali induſtria & humilitate paſſim ab omnibus commendatus, Religioſos Canonicos ac Filios ſuos paterna Charitate continuo moderatus vitam terreſtrem cum beata morte commutavit die 28. Septembr. anno 1668.

XLI. GREGORIUS Altmann virtute magis quam ætate maturus idem corporis ſimul & animi præſtantia decorus admodum & dilectus omnibus, dum Canoniam ſuam ſuperioribus annis hoſtili flamma miſerrime devaſtatam reſtaurare ſatagit, inopinata mors pia attentata illius complorantibus interim omnibus fortiter intercipit die 16. Februarij anno 1675.

XLII. AUGUSTINUS Pauhofer Architectus re & nomine gnarus, & percharus omnibus, Refectorium cum plerisque aliis ædificiis clauſtralibus novum fieri procuravit, multaque alia in commune bonum utilia & ſalubria præſtitit, dum tandem honores, non item labores abhorrens anno ſui regiminis octavo lubens cedit.

XLIII. PATRITIUS de Heydon Antiſtes & Prælatus Rhorenſis inclytus Provincialis regiminis Straubingenſis in inferiori Bavaria Steurarum Director & Deputatus emeritus, non tam ſanguine quam virtute, imo & toto regimine ſuo clariſſimus, cujus Reverendiſſimam ac Perilluſtrem Amplitudinem ſuam plus commendant merita propria quam Scriptoris alieni penna, de laudatiſſima Adminiſtratione ſua dignus a Poſteris qua voce, qua calamo celebrari per ſæcula.

Hæc de Canonia Rhorenſi Ejusdemque ad B. Virginem Eccleſiæ R.Rmis Dominis D. Prælatis; ſequitur jam Catalogus Scriptorum Illuſtrium, & ſunt

ANONYMUS Bojus Ejusdem Canoniæ Rhorenſis Canonicus, floruit ſæculo duodecimo. Scripſit

Binas Epiſtolas contra errores circa Sacramentum Euchariſtiæ Folmari Præpoſiti Trieffenſteinenſis. Unam ad eundem Folmarum, alteram ad M. Gerhohum Reicherſpergenſem. Exſtant in Bibliotheca Sanctorum Patrum editionis Pariſienſis anno 1644. Tomo IV. parte 2da columna 845. & ſeq.

WILIBALDUS MAYR ſæpe dicti Monaſterij Rhorenſis Præpoſitus, de quo jam ſupra in Catalogo Præpoſitorum meminimus, cæterum edidit Reverendiſſimus Præpoſitus iſte.

Vitam S. P. N. Auguſtini Eccleſiæ Doctoris Ter Maximi Ingolſtadij anno 1631. typis Ederianis in folio minori: In qua quid potiſſimum mireris, neſcias, hiſtoriæne

graviſſimam Fidem? an Styli Majeſtatem? verborumque decorem? an lepidas vocularum juncturas, & totius ſermonis mirificum concentum ac fluorem, aliaque ſexcenta id genus Oratoria pigmenta? ita ut omnes Charites, Lepores ac dicendi veneres eo migraſſe merito Jovem lapidem jurares. Adornavit porro opus, figuris æneis ingenioſiſſime ad ſingula pæne capita adumbratum, quas quidem D. Georgius Berrieder ejusdem togæ ac Profeſſionis noſtræ Vir inſignis poſt ad S. Zenonem prope ditiores Hallas Præpoſitus ingenio ſuo, quod præclarum habuit, primus ut ipſe Auctor in principio Operis inſinuat, adinvenit.

RICNANCENSE,

Pulchrum & bene diſpoſitum olim in Regno Bohemiæ Cœnobium Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini. De cujus Fundatoribus nihil comperti habemus. Ita Gabriel Bucelinus in Germania ſacra parte altera fol. 264. nec plura.

RIEDERENSE

Monaſterium Canonicorum Regularium Ord. S. Auguſtini, primum a tempore ſuæ Fundationis ſeu Originis *Abbatia Tiezelheimenſis* indigitatum, Diœceſis Conſtantienſis in ſuperiori Suevia ad fauces Sylvæ Herciniæ peramæno loco conſtitutum, & non niſi tribus horis a notiſſimo illo ac celeberrimo *S. Blaſii* intitulato Benedictinæ Familiæ Aſceterio diſſitum, idque variis juribus, Privilegiis ac reditibus ſat opimis inſtauratum anno Verbi Incarnati 1152. primum Fundatorem acquiſivit Marquardum a Weiſſenburg primæ nobilitatis Virum, qui de proprio Allodio ſuo pro bonis terrenis mercaturus æterna, Deum cœli hæredem omnis Poſſeſſionis ſuæ conſtituit; dum ex conſenſu Conradi II. Romanorum Regis locum ſatis amplum Canonicis Regularibus ſub ſacra Regula Auguſtiniana militantibus (Religioſo Clauſtro juxtim apparato) pleniſſime tradidit. Dos prima novæ Sponſæ huic ſeu Eccleſiæ Riederenſi ad congruam Fratrum ſuſtentationem uberrime collata recenſebat villas complures paulo poſt enumerandas, & primum loci advocatum egit Authoritate Cæſarea ſpecialiter in id Deputatus Conradus de Krenchingen hujuscemodi jure ad poſteros etiam derivato, licet poſterioribus annis tenui ſolum potentia (qualiter ex actis abunde ſatis perſpicitur) adminiſtrata; ſiquidem jam anno 1303. Fridericus a Weiſſenburg a competenti Judice rite condemnatus, quævis latifundia etiam a Majoribus ſuis utcunque ſubtracta reſtituit: Quod idem in ſimili caſu præſtiterunt etiam alii Authoritate tum Apoſtolica tum Imperatoria potenter adacti. Cæterum Tiezelheimenſem, (hodie *Riederenſem*) Abbatiam hanc ſtatim ab initio ſui ad inſtar aliarum Eccleſiarum in ſpecialem Imperii Protectionem fuiſſe receptam oſtendit Diploma Cæſareum in rei confirmationem clementiſſime datum & expeditum ſub hujusmodi tenore:

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis &c. Conradus Divina favente Clementia Romanorum Rex ſecundus, Auguſtus &c. Si Anteceſſorum noſtrorum Regum & Imperatorum circa Eccleſias Dei, & Eccleſiaſticas Perſonas confovendas ac procurandas devotionis ac pietatis inhærere veſtigiis ſtudebimus, & ad cultum Divinæ Religionis & obſequij propagandi Imperialis noſtræ tuitionis ſuffragio eis nunc & in perpetuum providebimus, id tum ad præſentis vitæ tranquillitatem, tum ad æternam beatitudinem promerendam nobis profuturum fore non ambigimus. Ea propter notum ſit omnibus tam præſentibus quam futuræ ætatis Chriſti fidelibus, qualiter nos Religioſorum Virorum preces clementer admiſimus, & Cellam quandam Tiezelheim dictam, quam Liber homo & Nobilis Marquard nomine uxore Orbatus ac liberis Filium Dei univerſorum bonorum ſuorum hæredem conſtituens in honorem ejus & Beatiſſimæ Matris Ipſius Mariæ in proprio allodio fundavit, ſub noſtra Imperiali tuitione ſuſcipimus, & prædia, quæ ipſe ad ſuſtentationem Fratrum Deo inibi ſub Regula B. Auguſtini devote famulantium ſine omnium hominum contradictione legaliter contradidit, villas videlicet Criezheim, Munchingen, Eſſinum, Wilo, Ruſchin, Rauttenbach, Riederen, vel quæcunque oblatio Fidelium impoſterum contulerit, ſeu ſolicitudo Fratrum quoque juſte contraxerit prædictæ Cellæ præſentis ſcripti Privilegio, ac totius corroborationis munimine confirmamus. Concambium quoque, quod pro decimis ejus loci, in quo Cella conſtructa eſt cum Carolo Tugienſe Parochiano ejus Eccleſiæ Licentia & Conſenſu Hermanni Conſtantienſis Epiſcopi adſtipulantibus utrinque advocatis jure legali factum eſt, ratum habentes locum ipſum ab omni jure decimali, quod prius Tugienſi Eccleſiæ perſolvebat, Liberum eſſe in perpetuum ſtatuimus. Præterea decernimus, ut Conradus de Creichingen, & poſt eum per Succeſſionem prolis Filius primogenitus Eccleſiæ jam dictæ advocati dignitatem conceſſione Abbatis, qui nunc præeſt, Alberti, Ejusque Succeſſorum tali conditione obtineat, ut nullum ſub-

RENDISSIMÆ PRÆNOBILI AC
NOSISSIMÆ DOMINÆ DO
MARIÆ CLEOPHE CA
SSARUM REGULARIUM
IEDREN PRÆPOSITÆ &
D. D. D.

COLLEGIUM R NTIENSIS IN SUPERIORI
SUEVIA CANONI STI. M.C XXV.

H ranck sculp

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Collegium Riederense ad S. Mariam Sedentem Dioecis Constantiensis in Superiori Suevia Canonissarum Regularium S. Augustini Fundatum Anno Christi. M.C.XXV.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Subadvocatum vice ſua conſtituat, etſi quam injuriam Eccleſiæ vel Fratribus, populisve advocatiæ ſuæ ſubjectis ſciens & contumelioſe facere præſumpſerit, niſi ſecundo tertiove per Abbatem vocatus, & alter quem Abbas cum Fratribus de eadem Congregatione idoneum & utilem elegerit, per manum Abbatis ſubſtituatur. Ut autem hoc Imperiale Decretum noſtrum omne per ævum ſtabile & inconvulſum permaneat, præſentis privilegii noſtri paginam ſigilli noſtri appreſſione inſigniri juſſimus adjicientes, & regia auctoritate ſancientes, ut ſiquis horum, quæ ſtatuimus, temerarius violator extiterit, Banno Regali ſubjaceat, & triginta libras auri optimi Cameræ noſtræ & totidem præditæ Eccleſiæ perſolvat. Teſtes quoque idoneos in quorum præſentia hæc facta ſunt, ſubterſcribi juſſimus, quorum nomina hæc ſunt: Hermannus Conſtantienſis Epiſcopus: Fridelobus Augienſis Abbas: Abbas de Petrishauſen Albertus: Manegoldus Abbas S. Udalrici, Fridericus Dux Saxoniæ: Conradus Dux Burgundiæ: Filius ejus Bertholdus. Hermannus Marchio de Baden. Comes Humbertus, & Frater ejus. Udalricus de Linzenburg. Comes Eberhardus de Nellenburg. Comes Rudolphus de Pfullendorff: Comes Albertus de Dillingen &c. &c.

Signum Domini Conradi Romanorum Imperatoris ſecundi. Actum feliciter Amen. Ego Arnoldus Cancellarius vice Henrici Archi-Epiſcopi & Archi-Cancellarii recognovi data VII. Idus Januarii Indictione XV. Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo centeſimo quinquageſimo ſecundo regnante Domino Conrado glorioſiſſimo Romanorum Rege ſecundo Auguſto, anno vero Regni ejus decimo quarto.

Poſthac durante adhuc eodem Chriſtiano Sæculo duodecimo iſta Abbatia Tiezelheimenſis ſuo loco mota translata fuit ad unam ex villis in recitato Diplomate *Riederen* appellatum. Ex tunc *Præpoſitura Riederenſis* ſuo nomine nuncupanda, cujus antiqua jura & privilegia demum innovavit, & authoritate Pontificia confirmavit. Clemens Papa V. per propriam quandam Bullam taliter exaratam.

Clemens Epiſcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Præpoſito & Conventui Monaſterii in Riederen per Præpoſitum ſoliti gubernari & ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, Ordinis S. Auguſtini Conſtantienſis Diœceſis Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Cum a nobis petitur quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter Dilecti in Domino Filii veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu omnes libertates & immunitates a Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus ſive per privilegia ſeu alias Indulgentias vobis & Monaſterio veſtro conceſſas nec non libertates & exemptiones ſæcularium exactionum a Regibus & Principibus, aliisque Chriſti fidelibus Vobis & Monaſterio prædicto indultas, ſicut eas juſte ac pacifice poſſidetis, Vobis & per Vos eidem Monaſterio auctoritate Apoſtolica confirmamus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire &c. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Viennæ Nonis Aprilis, Pontificatus noſtri anno ſeptimo, Chriſti vero Milleſimo quadringenteſimo duodecimo.

Syllabus

Seu Series & Ordo Succeſſionis Antiſtitum Tiezelheimenſium ſeu Riederenſium ex proprio Archivio tota ſedulitate collectus, etſi non undequaque perfectus & integer, talis habetur.

I. ALBERTUS, anno 1152. in tabulis ſolo nomine memoratus, cætera incognitus, nec unde ad Prælaturam iſtam fuerit accitus, hactenus deprehenſus. Gratiæ loco habendum, quod ſaltem nomen ipſius avara Scriptorum antiquitas ad Poſteros transmiſerit.

II. EBERHARDUS poſt diutinum ſatis interregnum ſeu Prælaturæ vacantiam circa annum 1224. notus legitime præſediſſe, & realiter poſſediſſe cuncta primæ fundationis jura, privilegia & allodia, quamvis hæc eadem ſucceſſu temporis inquiſſime turbata & infeſtata.

III. HENRICUS anno 1301. famoſus; in quo propter nimiam temporis intercapedinem pariter laborare videtur ordinata Prælatorum ſeries, non item Canoniæ

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

hujus, id temporis adhuc Summo Pontifici immediate ſubditæ, jura ac privilegia a Clemente V. (ut ſupra vidimus) in Concilio Viennenſi Authoritate Apoſtolica renovata & confirmata.

IV. BERTHOLDUS, electus anno 1318. tum a Diethelmo Leopoldi Ducis Auſtriæ Mareſchallo homines proprios ſat multos ad pias cauſas donatos & oblatos accepiſſe ſuo loco in tabulis notatus, de reliquo vero Poſteritati parum notus.

V. CONRADUS I. anno 1327. præ reliquis, quia præſtantior ad regimen vocatus, demum anno 1350. proprio ſuo Religioſorum Canonicorum cœtu vel ommiſſo vel neglecto totam ex proventibus Riederenſibus dimidietatem ad inſtantiam quorundam Nobilium Heroum Sueviæ Parthenoni Riederenſi mox recenſendo infra lubens ceſſiſſe in Actis inquiſſime traductus.

VI. JOANNES I. ſimpliciter tantum anno 1358. in ſcriptis annotatus.

VII. JOANNES II. de Bondorff, electus anno 1378. lapſu temporis grandi ſenecta fatigatus anno 1401. Succeſſori ſponte locum ceſſiſſe commendatus.

VIII. WERNHERUS Weiner de Heigerloch inter alia, quæ memorabilia geſſit, Confirmationem etiam Privilegiorum Monaſterii ſui a Sigismundo Romanorum Imperatore in Concilio Conſtantienſi clementiſſime datum obtinuit proprio quodam Diplomate in id expedito; vigore cujus in novum ſæpedicti Riederenſis Monaſterii hujus Advocatum (Priore Joanne de Krenckingen penitus antiquato & neglecto) conſtitutus fuit Joannes Comes de Lupfen Landgravius de Stüelingen ac Dominus in Hocheneck: quare præfatus Nobilis Creützlingenſis ipſum Wernherum! Præpoſitum armata manu ſacrilege comprehenſum captivum abduxit, ac Monaſterio temere ſpoliato, non niſi 50. florenis in parata pecunia numerandis dimittere voluit: qua controverſia ad Arbitros Nobiles Viros Friſchauſen de Bodmann, & Caſparum de Klingenberg devoluta, quem aut qualem tandem ſortita fuerit exitum, vel inviti neſcimus.

IX. CONRADUS II. anno 1419. in Actis publicis commemoratus.

X. FRIDERICUS Renz præfuit ab anno 1422. ad infauſtum usque (quem ſibi fatalem ſenſit) illum 1459. annum, ſucceſſore idoneo ad Clauſtrale regimen nullo penitus relicto: quare Canoniſſæ Regulares in altero paris nominis contubernio Riederenſi propius adſito degentes, vacantem hujusmodi Præpoſituram invadere motu proprio connitentes, & ſæcularem quendam Presbyterum ad eam inducere volentes, a male tentatis quantocyus deſiſtere prohibitæ ſunt per propriam quandam Bullam ab Ordinario loci in id datam ſub hujusmodi tenore: „ Henricus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia „ Epiſcopus Conſtantienſis univerſis & ſingulis Eccleſiarum Rectoribus, Viceplebanis, „ Vicariis perpetuis & loca tenentibus eorundem Capellanis, Altariſtis, Presbyteris „ & Clericis per Civitatem & Diœceſim Conſtantienſem ubilibet conſtitutis ſalutem „ in Domino & præſentium executionem. Noſtro intimatum eſt auditui, quod his „ diebus Præpoſitus Monaſterii Riederenſis Ordinis S. Auguſtini Canonicorum Re„ gularium noſtræ Diœceſis naturæ debitum perſolvit, quodque Magiſtra & Conven„ tus ejusdem Monaſterii prætendentes jus eligendi perpetuum ibidem ad ſe ſpecta„ re de Præpoſitura hujusmodi diſponere, & Presbyterum ſæcularem eis beneplaci„ tum absque noſtra & venerabilis ac Religioſi in Chriſto Abbatis Monaſterii in Creüz„ lingen extra muros Conſtantienſes earum & dicti Ordinis Viſitatoris & Reforma„ toris Generalis Authoritate & voluntate in Præpoſitum eligere de facto præſumant. „ Cum autem id alienum Juri videatur, nec deceat Presbyterum ſæcularem regulari „ Monaſterio præfici, & diſparis profeſſionis homines in eodem corpore ſociari, Su„ perioris licentia deſuper non obtenta; quocirca officii noſtri debitum exequi & di„ ctarum Monialium præſumptioni temerariæ congruis remediis obviare volentes, „ vobis omnibus & ſingulis ſupradictis communiter & diviſim in virtute ſanctæ obe„ dientiæ præcipiendo mandamus, quatenus accedentes, quo propterea fuerit acce„ dendum præfatis Magiſtræ & Conventui diſtricte & ſub excommunicationis pœna „ latæ ſententiæ in rebelles inhibeatis & interdicatis, quibus & nos præſentibus in„ terdicimus & inhibemus, ne absque noſtro, & dicti Abbatis conſilio & aſſenſu ex„ preſſo de prædicta Præpoſitura diſponere, aut ad illam Religioſum vel Sæcularem „ eligere vel præficere præſumant vel attentent, alioquin ſecus facientes volumus „ hoc ipſo dictæ ſententiæ Excommunicationis ſubjacere, & attentata pro infectis „ nullo unquam tempore valituris haberi & nuntiari. Datum Conſtantiæ in aula „ noſtra anno Domini Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo nono die viceſima „ quarta Martii Indictione quinta ſub ſigilli noſtri appreſſione.

XI.

XI. JOANNES hujus nominis tertius Pabſt cognominatus. obiit anno 1489.

XII. ANDREAS Curer ſeu Murer aliis cognomine dictus, haud ſine maximo animi dolore ſuſpicere, contriſtatusque nimium ſuſtinere debuit, templum & Monaſterium ſuum Riederenſe totum in favillas abſumi, unde ſuprema neceſſitate compulſus, in qualecunque demum ſubſidium undeunde comparandum debita multa contraxit: quin & eleemoſinas collegit, quousque tandem anno 1520. miſeriarum ſatur Præpoſituram in manus Abbatis Creüzlingenſis ſui pro tempore Viſitatoris reſignavit, pauloque poſt vita quoque temporali deceſſit anno non notato.

XIII. JOANNES IV. Rottenberger contra rebelles ſubditos debitam ſervitiorum præſtationem ex ſententia Dicaſterii Provincialis in Superiori Suevia ſub annum 1527. legaliter aſſecutus, ac univerſim de Monaſterio ſuo paſſim ſtrenue promeritus fuiſſe laudatur in tabulis.

XIV. JOANNES V. Goſſolt, Decanus Creüzlingenſis jam ante poſt reſignationem Andreæ Præpoſiti Riederenſis in Adminiſtratorem Canoniæ hujus deputatus, inde vero ſub annum 1530. in Præpoſitum illius Canonice poſtulatus, & confirmatus octennio poſt miſerabiliter occumbit, nimirum anno 1538. die 8. Februarii lamentabili prorſus ac horrendo caſu ex inſidiis a tenebrione quodam peſſimo, & quidem ædituo ſuo de nocte hoſtiliter invaſus, & miſerandum in modum necatus expiravit Viro homicida & interfectore præmatura fuga callide dilapſo.

XV. JOACHIMUS Dumpel, præfato anno 1538. die 17. Martii itidem ex Creüzlingen adſcitus: cujus ſub regimine ſacræ ædes Riederenſes iteratis vicibus caſualiter æque ac infeliciter voraçibus flammis aduſtæ magnum ſatis damnum & mœrorem attulerunt Præpoſito huic Joachimo, qui tamen de reliquo in officio Prælaturæ pie vixit usque ad annum 1563.

XVI. HENRICUS Feer, officio Decanatus Creüzlingenſis ſat diu bene promeritus Riederenſem de poſthac Præpoſitum egit ad quinquennium ſola morte naturali depoſitus & exauthoratus anno 1568.

XVII. LAURENTIUS Dienger, & is quoque Canonicus Creüzlingenſis ad Præpoſituram Riederenſem aſſumptus muneris ſui confirmationem accepit die 16. Julii; demum poſt annos 20. in regimine Clauſtrali laudabiliter expletos piiſſima morte defunctus anno 1590. die 11. Maji.

XVIII. GEORGIUS Heuner ex Decano Creüzlingenſi plenarius Dominus & Antiſtes Riederenſis Canonice declaratus, transacto Prælaturæ ſeptennio morte Juſtorum exanimatus defecit anno 1607.

XIX. PETRUS Haug dictus Schmidtner reſignatus Abbas Creüzlingenſis, pro tempore Parochiæ Wurmlingenſis prope Rottenburgum Nicri Vicarius a ſuo in dimiſſa Prælatura Succeſſore Georgio Abbate tanquam loci Viſitatore ſub annum 1607. die 9. Julii ad regimen Riederenſe promotus, eodemque adhuc anno die 22. Octobris Authoritate Ordinaria rite confirmatus, Vir omni exceptione major, pluribus titulis alter fundator celebrari juſtiſſime promeritus, tandem pro ſuis laboribus propemodum infinitis, atque iſtis ad ſolam majorem Dei gloriam ſponte ſuſceptis præmia recepturus æterna ſancto fine requievit anno 1626. die 29. Maji.

XX. JOANNES VI. Reinhardt de Weinfelden, ſeptimus ex Imperiali Collegio Creüzlingenſi die 2. Julii anno 1626. deſumptus primum Adminiſtrator ſolum fuit, & inaudiit, quousque die 17. Septembris anno 1632. Præpoſitus abſolute conſtitutus, talisque Authoritate Ordinaria confirmatus, expleto perfecti regiminis ſui triennio pluribus aggregatus anno 1635. præſentiſſima morte deceſſit glorioſa Viri non minus probi ac boni fama, quam ingenti Perſonæ ſuæ deſiderio poſteris relicto.

XXI. BERNARDUS Wegelin, jam octavus ex ſæpedicto Creüzlingenſi Collegio promotus anno 1635. idem paulo poſt ſpontanea ac libera reſignatione ſua dimiſſus de reliquo privatus ſolum vixit.

XXII. JACOBUS Denckinger, Abbas Creüzlingenſis, laudatus ſuo loco ſupra ſingulari ſtudio & labore Præpoſituram hanc Riederenſem ab Urbano Papa VIII. Authoritate Sedis Apoſtolicæ Imperiali Cœnobio ſuo Creüzlingenſi hoſtilibus flammis (durante civitatis Conſtantienſis obſidione Suecica) miſerabiliter abſumpto, demum e cineribus ſuis facilius inſtaurando in ſupplementum conceptæ meliorationis addi fecit, & pleno jure ſolenniter incorporari procuravit anno 1638. idem ex tunc ſimul Abbas Creüzlingenſis ac Præpoſitus Riederenſis intitulari ſolitus; ex quo tempore Canoniam hanc Riederenſem unice curant, & inhabitant aliquot Canonici Creüzlin-

genſes juxta beneplacitum Abbatis ſui ſeu Præpoſiti Riederenſis pro fovenda ſalute ſubditorum juxta morem ad eam hactenus dimiſſi.

ROCHENSE,

Alias *d' Roche* nuncupatum celebre quondam Canonicorum Regularium Diœceſis Lauſanenſis in partibus Helvetiæ ac forenſi ditione Reipublicæ Bernatenſis de Clericali Ordine S. Auguſtini Monaſterium, ſeu Nobiliſſima quondam Abbatia, de qua jam pridem ab Heterodoxis terræ hujus Inquilinis perdita & annihilata, ad notitiam poſterorum edicere vel inviti quidquam non habemus, quam qualiter jam ab antiquo inter Eccleſias & Monaſteria ac Beneficia tum Sæcularia tum Regularia & quidem quamplura celeberrimæ Abbatiæ in Monte Jovis etiamnum computetur ceu propria & incorporata.

RODENSE

Jam pridem (uti nobis videtur) antiquatum Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini Monaſterium ſuperiori ætate apud Leodienſes inclytum, atque iſtud ab Anonymo magni Chronici Belgici Authore fol. 110. in hæc verba relatum: Eodem tempore (circa annum 1000.) Albertus Canonicus Tornacenſis, qui de Parochia Colonienſi originem duxit, in Parochia Rodenſi Eccleſiam in honorem Virginis Matris & ejus Paranymphi Gabrielis ædificavit, & ibidem Fratres ſub Regula S. Auguſtini, ſicut per Revelationem acceperat, congregavit, & relicta præbenda in eadem Eccleſia ſub duobus Præpoſitis Deo devote militavit, quibus in Pace defunctis, Abbatem primum præfecerunt Virum Religioſum nomine Joannem, de conſenſu Domini Oberti Epiſcopi Leodienſis. In hoc loco Monaſticæ Diſciplinæ vigor per multos effloruit annos, ſed heu! jam noſtris temporibus non hoſtium incurſu forinſeco, ſed tinea attenuatus intrinſeca, deſolationi proximus eſt.

ROKYCZANENSE.

In ejusdem nominis civitate Bohemiæ & Archi-Diœceſi Pragenſi Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini Monaſterium aliquod cum tribus aliis ſupra ſuo Ordine nominatim recenſitis, nempe Jaromirienſi, Glacenſi, & Saczenſi (de quo poſteriore paulo poſt) ab Arneſto Sanctæ memoriæ Pragenſi Archi-Epiſcopo hujuscemodi Metropolitica dignitate primo fundatum, cujus Hiſtoriam in vita ejusdem Sanctiſſimi Pontificis Authore Bohuslao Aloyſio Balbino Soc. JEſu Presbytero lib. 3. cap. 4. fol. 248. taliter legimus exaratam: Rokyczana Civitas eſt, Pilsnæ quondam æmula, dum Huſſo ſtuderet, circumferturque in Rokyczanenſes falſum Catholicorum Pilsnenſium dictum, quod Stransky, etſi Piccardita, refert: *Gabalum in Urbe Pilſena antiquiorem, quam Rokyczanorum Civium Religionem eſſe.* Ex ea Urbe notiſſimus ille, & tantum non Hæreſiarcha, Joannes Rokyczanus prodiit, fax & turbo Patriæ, quem Georgij Podiebradij, Bohemiæ Regis, Pontificem poſſis dicere. In hac Civitate opulentiſſimum Cœnobium, Canonicis S. Auguſtini circa annum 1349. excitavit Arneſtus, attribuitque templum, quod an ab Arneſto conditum, an præparatum ante dono Canonicis ceſſerit, ignoratur. Splendidum certe eſt, eaque ætate dignum, quæ ad magnificentiam, & quandam æternitatem omnia referebat. Cœnobii ipſius ruinæ operis dignitatem demonſtrant; cameræ altæ, fornices impavidi, reliquum adhuc eſſe cubiculum quoddam Palatio ſimile, narrant, qui viderunt. Quos pagos, quæ prædia, ac cætera hujusmodi Arneſtus attribuerit, inter manus Decanorum Rokyczanenſium eſſe dicunt, mihi videre non contigit; Bibliothecam præterea manuſcriptorum librorum egregiam, eo in loco latuiſſe ſcio, an manus inſidiantium evaſerit, neſcio. Tradunt Cives audiiſſe a Majoribus, longe ante Canonicos, eo loco Virgines Deo ſacras habitaſſe, quod mihi probabile non eſt, cum nulla omnino antiquitatis memoria in manuſcriptis Hiſtoriis inveniri poſſit. Sed cubiculum hodieque monſtratur admirabile, in quod ingreſſi dulcedine quadam liquidiſſimæ pietatis, & ſenſu cœleſti impleantur, ut experti narrant. Eo in cubiculo preces Sacerdotum quotidianas, ad captandam pietatem dicere Patres noſtri ſolebant, nam eam Civitatem, ut plerasque per Bohemiam, primi omnium noſtræ Societatis Patres poſt annum 1624. Chriſto ſunt lucrati. Forſitan olim Venerabilis Arneſti habitatione conſecratus locus odorem hunc pietatis, quo afflantur, attraxit. Excidendi hujus nobilis Cœnobii (ut plurimorum per Bohemiam) adminiſtrum Cacodæmon Ziſkam elegit. Is anno 1421. cum Tachovia virtute obſeſſorum repulſus abiret, Rokyczanam acceſſit, & ad colloquium Cives evo-

evocavit; exiere. Ille ſe feſſum tot præliis, recreari velle cibis & hoſpitio, admittique in Civitatem poſtulat, nihil acturum hoſtile, & abiturum innoxie pollicetur. Homines antiquæ ſimplicitatis, qui verba pro factis ſolerent accipere, ſeu quod irritatum Tachovienſi repulſa timebant, admiſere, totamque illam Thaboritarum colluviem inſtructis per domos menſis laute habuere. At Thaboritæ ſaturi, recta in Canonicorum Cœnobium feruntur, aras deijciunt, ſtatuas detruncant, Imagines ſacras detrahunt, & inter manus lacerant, diffugientibus Canonicis, Cœnobium ſpoliant, ibique deprehenſum amabili ſenectute Sacerdotem Canonicum notiſſimæ virtutis, vaſi incluſum, facto circum rogo, belluæ ferales incendunt, epiphonemate adjecto exclamantes: *Sic decet nos implere omnem juſtitiam.* Adeunt Sanguinarium illum Cyclopem Rokyczanenſes Cives de injuria & pactis violatis amice expoſtulant. Ille Civium pietate irritatus, mox, inquit, referetis reſponſum; ſimul ſigno ſuis dato, expilari Urbem, & rebus omnibus, quæ rapi per tumultum poſſent, ſpoliari jubet, perfectoque latrocinio urbe diſcedit. Ita fidem a nobis exigere ſolent Sectarii, quam non præſtant. At Canonici pulſi ſemel, Civibus Huſſum ſecutis, & templum occupantibus (cum hæreſis annos continuos ducentos regnarit) nunquam Rokyczanam redire potuerunt. Hæc ille loco citato. &c.

ROSENBERGENSE

Collegium, titulo Præpoſituræ, Canonicorum Regularium apud Sileſios, in ejusdem nominis civitate Roſenberga, Diœceſis Vratislavienſis, adhuc temporibus noſtris probe conſtitutum, Authorem habuit Ladislaum ejusdem Provinciæ Sileſianæ Ducem vulgo Oppolienſem dictum, qui Supremo Numini devotus Eccleſiam & Domicilium Viris Religioſis pro congrua habitatione ſimul additum, utcunque iſtud in honorem S. Michaëlis Archangeli a ſe fundatum, & liberaliſſime dotatum, una cum Jure Patronatus & queisvis aliis pertinentiis perpetuo proprietatis titulo poſſidendum attribuit Venerabili ac Religioſiſſimo in Chriſto Patri ac Domino Petro, qui fuit Canonicorum Regularium S. Auguſtini Vratislaviæ ad S. Mariam in Arena ſub annum 1374. inclytus Abbas Ordine viceſimus: cujus poſteris memorata jura recenſitæ Donationis in Canoniam iſtam Roſenbergenſem hodiedum ſalva manent & integra.

ROTHA vel RODA.

Conditum eſt hoc Cœnobium Ordinis S. Auguſtini Canonicorum Regularium in agro Limburgenſi ad oppidum Rodæ Ducis, Gallice, *Rolduc*, inter Trajectum Moſæ & Aquisgranum octavo Lapide ab urbe Leodio, anno 1104. Auctore Alberto ſeu Ailberto Cathedralis Eccleſiæ Tornac. Canonico jam alterius Monaſterii ejusdem Ordinis apud Tornacum Fundatore. Iſte videlicet nobilitate haud minus, quam ſanctitate & doctrina conſpicuus, quippe qui Geraldo Comiti Gelrienſi, Goſwino Comiti de Hensberg, Henrico Comiti de Krickenbach, & Theodorico Comiti Clivienſi conſanguinitate junctus, acceſſit ad Adelbertum Comitem de Saphenberg, Ditionis Rodenſis Dominum, a quo tum locum, tum agros, prata ac nemora circumjacentia petiit & impetravit. Tum vero non paucis utriusque ſexus amplectendæ Religionis gratia ad eum confluentibus, ex eorundem Facultatibus Monaſterium duplex, alterum pro viris, alterum pro fœminis ibidem exſtruxit; at poſt aliquot annos illinc translatæ fuerunt fœminæ, aliæ quidem ad Cœnobium Mariæ-Vallis ſuper Arulam fluvium in Comitatu Saphenbergenſi, aliæ ad Monaſterium de Sinnich in Ducatu Limburgenſi, quod utrumque Monaſterium utpote ab ipſis Abbatibus Rodenſis Cœnobii, cum attributione ſufficientis Dotis ex Fundatione Rodenſis conſtructum, jurisdictioni eorundem Abbatum etiamnum ſubeſt. Ailbertus autem anno a Fundatione ſeptimo, hoc eſt Chriſti MCIX. inde profectus in Gallias pervenit ad Silvam Theoraſciæ, cujus a principe illius pagi uno circumquaque milliario donatus, deſectis arboribus in loco, qui *Clarus Fons* nuncupatur, novum Canonicorum Regularium Monaſterium ædificavit. Dehinc cum in Germaniam regreſſus ſuum Rodenſe Collegium inviſere deſtinat, febre correptus in pago de *Settenich*, modo *Sechten* agri Colonienſis apud Thobarcham pia morte vitam Sanctiſſimam clauſit 19. Sept. anno 1121. in minori Eccleſia ejusdem loci, qui duas habet, tumulatus.

Series Abbatum.

I. RICHERUS gente Bavarus, Doctrinæ ac Religionis laude inſignis, poſtquam Roda diſceſſit Albertus Fundator, e quodam in Bavaria Ordinis Canonici Cœnobio, quod

quod Annales Rodenſes *Reidenbuch* vocant, a Fratribus in Abbatem poſtulatur, & annuente Conrado Salisburgenſi Archi-Epiſcopo, ad cujus Diœceſim hoc pertinebat Monaſterium impetratur. Diſtulit vero Abbatialem Benedictionem percipere, quod tunc Olbertus Epiſcopus Leodienſis Simoniæ reus haberetur; at demum anno 1119. ab ejusdem laudatiſſimo Succeſſore Friderico eam reverenter ſuſcepit. Carnium eſum usque ad hunc annum in Monaſterio Permiſſum abrogavit, ſolo adipis uſu ad olera condienda pro tunc recepta Monachorum conſuetudine, retento. Anno 1121. rogatus a Conrado Salisburgenſis Eccleſiæ Antiſtite quatuor ad eum Fratres e ſuo Monaſterio transmiſit, quorum ille opera uſus eſt ad S. Auguſtini Regulam in ſua Cathedrali Eccleſia inducendam; fueruntque illi quatuor inter Canonicos Hujusce Metropolis ad meliorem formam reductos adſcripti; ac inſuper anno Domini 1123. ab eodem Conrado Archi-Epiſcopo ſtatutum eſt, ut in poſterum Abbatia Rodenſis & Bavariæ Monaſteria ſub S. Auguſtini Regula Deo famulantia unum Capitulum ſeu Congregationem unam conſtituerent; adeo ut hinc illuc atque huc inde Fratres ad cohabitandum mitterentur. Diem clauſit extremum Richerus die 5. Febr. anno 1122.

II. GISELBERTUS, Sæcularis Paſtor Eccleſiæ Cirenenſis, nec non Decanus Chriſtianitatis Paſtorum Capituli Juliacenſis, electus in Abbatem a Capitulo Rodenſi Benedictionem accepit ab Alberone Leodienſi Epiſcopo. Hic quidem Vir erat ſpectabilis forma, literisque Sæcularibus inſtructus, ſed non ita gnarus Diſciplinæ Regularis quin & ad eam diſcendam ob ætatem provectam maxime ineptus. Quod cum ægre ferret Conventus, querelas ſuas Epiſcopo detulit, de cujus Conſenſu Giſelbertus amotus eſt a Regimine anno 1123. Statuta ipſi annua penſione, unde in Domicilio ſeparato vitam tranſigeret.

III. BERTOLPHUS ex Springierbacenſi Canonicorum Regularium ad Moſellam Cœnobio accerſitus, Giſelberto datus eſt Succeſſor; ejus tamen, quantumvis moribus probati ac Regularibus Diſciplinis inſtituti, atque etiam ad Officium idonei electio quibusdam Fratribus bilem commovit, quod ſuperſtite Giſelberto Regimen ſuſcepiſſet. Quare Bertolphus graviter indignatus necdum anno integro ſua potitus dignitate, nec Abbatiali Benedictione recepta abdicans ſe Regimine, ad Profeſſionis ſuæ Monaſterium anno 1124. remigravit. Ejus tempore Cœnobium Rodenſe flammis abſumitur, ex quo incendio Fratrum pars plurima tectum quæſitura commigravit Salisburgum quos Conradus loci Archi-Epiſcopus benigne ſuſceptos Monaſterio ſuo Cathedrali adſcripſit.

IV. BORNO ſeu Burno fortaſſe Berno, Burgundus genere, electus eſt quoque ex Monaſterio Springierbacenſi, cujus cum Officium Canonicum invitis Fratribus introducere vellet in Rodenſe, re ad Sedem Apoſtolicam relata, juſſit Summus Pontifex Honorius II. anno Dom. 1127. ut Borno aut ſolus pluribus cederet, aut loco abſcederet, quod poſtremum elegit antequam Benedictione Abbatiali inſignitus eſſet. Statim vero Herimannus Filius Embriconis, qui Monaſterio ingentia bona contulerat, ambire Dignitatem Abbatialem cœpit, a qua ut eum Fratres arcerent quod inquietus ac imperioſus eſſet, in Præpoſitum Monaſterii elegerunt Fridericum Richeri primi Abbatis, quem utpote acris ingenii Herimanni conatibus fortiter obſtiturum ſperabant. Hic quidem prioribus annis utilem ſe Monaſterio præbuit, ſed poſtea factus auſterus ac imperii nimius, etiam inconſultis Fratribus ac ſine venia Epiſcopi, Lotharium Regem Romæ coronandum Imperatorem Comitatus eſt, aliaque nonnulla citra licentiam commiſit. Ob quæ tum apud Epiſcopum Leodienſem, tum apud Geroldum Cardinalem, qui poſtea Lucius II. appellatus eſt, accuſatum hic eum depoſuit. Egreſſus itaque & apud Moguntiam quendam locum ab Imperatore conſecutus dum ibidem cum ejus Miniſterialibus diſceptat, ab iisdem naſo mutilatus abſceſſit, ac tandem obiit apud *Winkele*. Inter hæc Borno revocatus a Fratribus anno 1134. Benedictionem Abbatialem ſuſcepit, qui deinde cum magna pietatis ac modeſtiæ laude, migravit ad Dominum anno 1137.

V. JOANNES I. Patria Lovanienſis ac Rodenſis Alumnus Bornoni a Sodalibus unanimi ſubrogatur aſſenſu. Hic anno 1140. Sanctimoniales, quæ ex Abbatia Rodenſi ſubmotæ, in turri Parochialis Eccleſiæ Kirchrodenſis numero 37. degebant, ad Monaſterium Vallis-Mariæ ſuper Arulam, quod ipſis ædificaverat, tranſtulit; ac tandem plenus meritis ex hac vita diſceſſit anno 1141. Regiminis quinto.

VI. ERPO Trajectenſis origine, ſtatim poſt obitum Deceſſoris una Fratrum omnium voce in ejus locum ſuffectus eſt, ac paulo poſt benedictus a Leodienſi Præſide. Is Officium Divinum Pſallentibus grave tolerabilius reddidit, abuſum adipis tanquam non neceſſarium abrogavit. Decimam partem redituum Monaſterii nunquam non ſepoſuit in uſum pauperum & peregrinorum. Eccleſiæ, Monaſterii & Hoſpitalis

Domus

domus ædificia perfecit; quodque his omnibus præstat, Disciplinam regularem quamdiu præfuit, illibatam servavit. Vivebat adhuc an. 1178.

VII. RUTCHERUS occurrit an. 1217.

VIII. HELMERICUS memoratur anno 1219.

IX. MARSILIUS occurrit annis 1222. & 1246. mortuus 19. Martii.

X. CONRADUS præfuit ab anno 1246. ad annum saltem 1262. obiit 4. Septembris.

XI. CONO I. rebus humanis exemptus est anno 1301. 19. Martii.

XII. THEOBALDUS regimen auspicatus est anno 1301. fato functus 22. Januarii.

XIII. THILMANNUS.

XIV. WILHELMUS I. de Juliaco.

XV. CONO II. de Ruve.

XVI. CHRISTIANUS de Steghe.

XVII. WILHELMUS II. de Mertzenhausen.

XVIII. JOANNES II. de Rade.

XIX. JOANNES III. de Berensberg, ex nobili quondam genere & castro de Berensberg sub Parochia de Richterich ditionis Juliacensis oriundus, Benedictionem Abbatialem consecutus est 12. Novemb. 1302. usque ad hujus Abbatis tempora Cœnobium Rodense caput extiterat omnium Frisiæ Occidentalis Monasteriorum Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium; sed cum Disciplina regularis tum in hoc, tum in istis omnino corruisset, Canonici Regulares Congregationis Windesheimensis Satagentibus Episcopo & Viris Magnatibus, huc introducti fuerunt ad restaurandam, quam quicunque veterum indigenarum amplecti noluerunt, e suis Monasteriis abire jussi sunt, Abbate ipso Joanne Berensberg senio & podagra domi detento nec quidquam reclamante. Vivere desiit hic Abbas die 25. Julii an. 1435. vel 1436.

XX. JOANNES IV. de Vorstheim, ex insigni hujusve nominis Castello Ducatus Juliacensis ortus, Thronum Abbatialem conscendit anno 1436. vel 1437. naturæ debitum solvit 17. Martii 1469.

XXI. JOANNES V. Rippelmann dictus *de Berthen*, al. *de Herckhem*, antea Præpositus Limburgensis, evasit Abbas anno 1469. in eaque permansit dignitate usque ad obitum, qui contigit 1. Nov. anno 1480. postquam sibi nepotem suum Joannem van Hussel subrogari curasset.

XXII. JOANNES VI. van Hussel, Pastor de Lommerson, ipso die obitus avunculi in ejus locum suffectus est. Verum post quatuor circiter annos coram Episcopo Leodiensi seu ejus Vicario quibusdam delictis evictus, primum administratione privatur, ac deinde sua dignitate spoliatur anno 1485. obiit tamen in Cœnobio, sepultus in Sacello S. Annæ ad cornu Epistolæ.

XXIII. JOANNES VII. de Goor, anno 1485. titulo Administratoris successit, favente, ut ajunt, Joanne de Horne Episc. Leodiensi, cui consanguinitate conjunctus erat. Quin etiam anno 1437. sub Octavam Corporis Christi, superstite adhuc Prædecessore, Benedictionem Abbatialem suscepit. Dum vero cœpit, nec unquam destitit strenuam operam impendere in utraque re sui Monasterii promovenda; quam insuper posuit an. 1488. in Monasterio nobilium Virginum Vallis Mariæ, & 1497. in altero ejusdem sortis puellarum in Sinnich ad meliorem vivendi formam reducendis. Denique vitam cum morte mutavit die 25. Maji an. 1508.

XXIV. ARNOLDUS Vinck sedit ab anno 1508. ad 20. Julii 1515.

XXV. JOANNES VIII. Polens al. Pottis, regimini admotus est an. 1515. quod per obitum reliquit die 29. Nov. an. 1521.

XXVI. LEONARDUS Damerscheidt, admissus ad Professionem Canonicam an. 1510. primariam dignitatem assecutus est an. 1522. hic pari studio rem Spiritualem curavit ac temporalem, sed in hac felicior exstitit, nonnulla siquidem bona recuperavit, ac omnia monasterii ædificia propediem collapsura, cum Ecclesiæ choro reædificavit. Vivendi finem fecit die 15. Octobris an. 1557.

XXVII. JOANNES IX. Vormbs dictus de Jomberg ex nobili Wormsiorum genere satus, Pastor erat *in Balen*, quando ad munus abbatiale vocatus est die 4. Febr.

anno 1558. Vix autem fieri poterat, ut in difficiliora tempora incideret, quibus ſcilicet ab orthodoxa fide Provinciis Fœderatis deficientibus, Monaſterium ſæpius expilatum, ter flammis exuſtum ac in ſummum ultimi exitii diſcrimen adductum fuit. Obiit die 25. Maji anno 1600.

XXVIII. MATTHIAS I. Straclen, ſic dictus a loco natali, ex Paſtore in Herſel ad Rhenum, fuit ultimus Prælatus Canonice electus, ac primus, qui non eſſet Nobilis, quod tamen, ſi vitium eſt, mira in reſtaurando tam quoad Spiritualia, quam quoad temporalia Monaſterio dexteritate compenſavit. Tres vero tantummodo Fratres in Monaſterio reperit, at brevi nonnullos optimi propoſiti admiſit, quibus laudabilia Statuta tradidit obſervanda. Laborum ſuorum mercedem conſecutus eſt 8. Maji anno 1614. cum annis fere 14. præfuiſſet.

XXIX. BALDUINUS ab Horpuſch dictus de Vallum, ex Nobili genere de Kuckum, die 12. Junii anno 1614. primus a Rege Abbas renuntiatur; ſub quo Monaſterium proſpere in temporalibus egit. Dignitatem cum vita depoſuit 18. Octob. anno 1635.

XXX. MATTHIAS II. Duckweiler, curante præſertim celeberrimo Prætore Joanne de Weerd ejus propinquo, Abbatiam obtinuit anno 1637. quo ſedente Fœderati Batavorum Ordines poſt ſancitam pacem Weſtphalicam anno 1648. omnia Eccleſiaſticorum bona ac præcipue hujus Monaſterii fiſco ſuo addixerunt. Defunctus eſt hic Abbas peregre in Monaſterio Vallis-Mariæ die 12. Decembr. an. 1650.

XXXI. WINANDUS Lamberti, Monaſterii Rodenſis conſervator, vivente adhuc Prædeceſſore in Coadjutorem a Capitulo delectus eſt, prohibentibus licet Batavis, ne deinceps novus crearetur Abbas. Deinde regia ſchedula munitus poſteaque ab Epiſc. Leodienſi benedictus, tandem a Summo Pontifice Alexandro VII. quem olim Aquisgrani Nuntium familiariter noverat, mitram primus impetravit. Mirum ſane quanta fecerit ac pertulerit, ut ſuum Monaſterium & patriam Religioni Catholicæ & Regi illibata conſervaret. Tredecies Hagam-Comitis perrexit, cumque interim ab Hæreticis ejus vita addicta fuiſſet, inſidiatori militi, a quo fuerat globo tormentario appetitus, deprehenſo vitam exoravit. Fuit inſuper undecim menſes ab Hollandis in carcere detentus; nec tamen unquam adduci potuit, ut propoſitum mutaret, imo feliciter explevit vir ad maxima natus, niſi quod obſiſtere non valuit, quin Hollandi Monaſterium nobilium virginum de Hoydonck in Majoratu Sylvæ-Ducenſi, ſuæ Abbatiæ ſubjectum exſtinxerint. Denique tabe lenta confectus occubuit die 6. Maji 1664.

XXXII. MATTHIAS III. de Amezaga, Præpoſitus Limburgenſis a Rege Catholico deſignatur Abbas die 9. Semptemb. an. 1664. qui deinde benedictus, mortem Juſtorum obiit 26. Julii an. 1666.

XXXIII. PETRUS Melchioris Vander Steghe nominatus a Rege 26. Julii, confirmatusque 10. Auguſti, ac die 11. Sept. an. 1667. benedictus, a Sancta Sede uſum mitræ perpetuum Rodenſibus Abbatibus obtinuit. Tum vero cerneres hunc ad integram ſui Monaſterii reformationem animum adjicientem, pro cujus fundamento Gallicanæ Congregationis S. Genovefæ conſtitutiones vendicat; ſed cum jam a Summo Pontifice, non nullis tantum mutatis in habitu ac diſtributione temporis, confirmandæ eſſent, vir præſtantiſſimus pleuritide correptus, ſancti operis nondum licet abſoluti, plenam mercedem conſecuturus ad cœlos evolavit die 1. Decemb. an. 1682.

XXXIV. JOANNES X. Bock, ex Priore Monaſterii præter omnium ſpem Abbas renuntiatus 30. Jan. an. 1683. ac in poſſeſſionem inductus 10. Febr. confirmatur ac benedicitur die 17. ejusdem menſis. Porro cum hic deceſſorem ſuum in eam mentem impuliſſet, ut diſciplinam regularem in Monaſterio reſtitueret, mirum non eſt ſi totis viribus fovit, ac pene deſperatum opus verbis & exemplis erexit, coluit ac perfecit, donec tandem poſt 31. felicis regiminis annos, die 2. Maji An. 1712. ætatis 71. vitam præclare actam pia morte cumulavit.

XXXV. NICOLAUS Heyendal, Limburgenſis ex Walhorn, Priorem Monaſterii agebat, quando Rex eum nominavit Abbatem die 10. Junii an. 1712. qui poſſeſſionem adeptus 13. confirmatus atque benedictus fuit die 24. ejusdem menſis & anni. Hanc ipſemet hiſtoriam vir in omni literarum genere verſatiſſimus tamque Græce & Hebraice, quam Latine doctus, magna diligentia adornavit. Diſciplina regularis, literarum ſtudium, ac perfecta rerum omnium communio vigent inter aſcetas numero 45. quorum pars altera in paræciis Cœnobio adjunctis haud ſegniter animarum curam exercet. Liceat omnibus proſpera cuncta apprecari. Ex Gallia Criſtiana, cujus Authoribus ampliſſimæ merito hic referendæ ſunt grates.

ROT-

ROTTENBUECHENSE,

Seu (ut habet Hundius Tom. 3. fol. 143.) *Raittenbuechenſe* dictum, ampliſſimum ac præclariſſimum apud Bavaros in Diœceſi Friſingenſi Collegium, ſtatim a prima fundatione ſua Archi-Diaconatus jure ac dignitate privilegiatum; idem quoque de doctrina & vigilantiſſima cura Religioſorum Canonicorum ſuorum ſaluti animarum per plures Parœcias circum circa poſitas, aliasque diverſas Matrici Rottenbuechenſi ſubditas & incorporatas Eccleſias, continuo ſolerter intendentium, haud ſine vulgari nominis ſui laude, jam a longo Sæculorum decurſu florentiſſimum, in quo ſingulariſſimum ſui temporis decus & ornamentum ille (qui ab alio, cui poſtmodum immigravit, Monaſterio *Reicherſpergenſis* dictus eſt) Gerhohus Religioſæ vitæ Profeſſionem fecit; ut pluribus conſtat ex nota vitæ illius Hiſtoria apud Raderum in Bavaria ſancta vol. 2. ubi fol. 277. inter cætera ſic habetur: *Eſt Raittenbueh Cœnobium in Bavaria ſuperiore, intra Ethalenſe & Pollinganum ſitum a Guelphone IV. primo Boiariæ ex ea ſtirpe Principe CIↃLXXXV. conditum. Huc cum Gerhobus vitæ Religioſæ Studio veniſſet, acceptus eſt ingenti omnium lætitia, veluti ſol novus domicilium illuſtraturus. Poſuit cultum ſacrum, ut ſacratiorem indueret, amplas & optimas Sacerdotij conditiones rejecit, ut in modico cultu, ſobrioque veſtitu expeditus iter cæleſte ingrederetur, opes humanas, honores, Infulas etiam quas poterat ſperare, paupertati, deſpicientiæ, humilitati vitæ poſthabuit, ut olim ditior, clarior, illuſtriorque apud Superos appareret; ubi Rudimentum Religionis poſuit, tyrociniumque exegit, in Leges Ordinis more majorum conceptis verbis juravit. &c.* Hæc ille de Gerhoho; primarij Fundatoris vero Guelphonis ſuccinctam vitæ hiſtoriam & effigiem exhibet Bucelinus in Hiſtor. Agilofingica num. 18. fol. 389. Bullam Confirmationis ab Urbano Papa II. Avenione in Galliis anno 1090. Calendis Februarii datam & expeditam, item varias Donationes & quævis alia Privilegia Collegiatæ Eccleſiæ iſti ad B. Virginem in Rottenbuech diverſimode collata ſuo ordine contuenda fideliter exhibet Metropolis Salisburgenſis tom. 3. fol. 143. & ſeq. ubi etiam legitur: *In Templo Rottenbuechenſi Religioſiſſime aſſervari corpora SS. Primi & Feliciani Martyrum:* Quorum dies Natalitius in Martyrologio Romano Feſtivus habetur quinto Idus Junias.

Sed nec tacere hic oportet ruralem Eccleſiam Hohenpeiſſenbergenſem communiter appellatam, dictæ Matrici Rottenbuechenſi pleno jure ſubditam & incorporatam, hancque miraculoſa quadam ſtatua Mariana celeberrimam; de qua R. P. Guilielmus Gumpenberger Soc. JEſu in ſuo Atlante Mariano Triade 4. Imag. 1105. fol. 2043. ita ſcribit: *Raittenbuecha Monaſterium eſt Canonicorum Regularium S. Auguſtini: fuere in late patente Monaſterii hujus ditione nonnulli ſubditi, qui querebantur & viæ & tempeſtatum incommoda: Quibus nonnunquam vel ægri, vel etiam ſani cogebantur manere domi, & Feſtis diebus negligere ſacrum ob nimiam Parochiæ diſtantiam. Convenere Viri anno Milleſimo quingenteſimo decimo tertio, & impenſas juſti templi promiſere hoc in monte. Placuit hæc ruſtica, ſed vera pietas, poſitusque lapis primus eſt anno Milleſimo quingenteſimo decimo quarto 25. Maij, quo die cum Ruſticus quidam intellexiſſet, quæ ad honorem Deiparæ in monte peragerentur, equum vovit optimum ſe templo donaturum, ſi cæteri quos plures habebat, & omnes ad mortem ægros, convaleſcerent. Voto vix emiſſo potitus quamprimum eorum præſtantiſſimum Deiparæ adduxit, & hoc primo miraculo ſpem cæteris quoque ingeſſit contribulibus. Pietas accurrentium & beneficia reportantium jam non amplius ſacello contenta templum exigebant juſtæ magnitudinis, quod circa annum 1608. ædificatum eſt. Miracula ad me miſſa, eo ordine perſcriptæ ſunt, quo Servator noſter ſua recenſuit iis, quos ad ſe Legatos miſerat S. Præcurſor. Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt &c. Quin etiam nonnulla memorantur de mortuis ad vitam reſuſcitatis, quæ tamen, quia adhuc Ordinarii approbatione carent, omitto.* Hæc ille loco citato. Sequitur jam

Syllabus

Reverendiſſimorum ac Ampliſſimorum DD. Præpoſitorum & Archi-Diaconorum Monaſterii Rottenbuechenſis Diœceſis Friſingenſis in Superiore Bavaria.

I. Udalricus in citata Bulla Confirmationis ab Urbano II. data nominatus. Quo præſidente Schwigerus Comes de Balzhauſen (cujus ſtemma Genealogicum etſi ſatis mendoſum recenſet Lazius de migrat. gent. lib. 8. fol. 431.) idem etiam (teſte Stengelio Abbate in Comment. rerum Auguſt. part. 2. cap. 29. num. 2.) Colle-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

giatæ Ecclesiæ ad S. Petrum Augustæ Vindelicorum Fundator Monasterio huic Rottenbuechensi dono dedit pagum *Aurbach* nuncupatum. Porro Vdalricus iste in eo (quem edicit Metropolis Salisburgensis tom. 3. fol. 172. & seq.) Præpositorum Rottenbuechensium Catalogo scribitur quidem ab Ottone Frisingensium Episcopo hujus nominis primo fuisse constitutus; quæ tamen assertio patitur difficultatem; cum ipse Vdalricus Ottonis hujus tempora non attigerit, jam prius scilicet anno 1126. & hinc toto decennio citius terris defunctus, quam memoratus Episcopus primum anno 1137. Cathedram Frisingensem ascendit; ergo a Meginwardo (qui ab anno 1078. ad annum usque 1098. supremam Ecclesiæ Frisingensis dictaturam gessit) Vdalricus iste speciali prærogativa Archi-Diaconatus etiam in Successores omnes & singulos jure hæreditario transferenda nobiliter insignitus fuit.

II. RUDOLPHUS genere nobilis anno 1126. in locum Prædecessoris Vdalrici canonice substitutus, dum Religiosi claustri fasces tenuit odore bonæ famæ & raro vitæ sanctioris exemplo plures nobiles Domicellos loco vicinos attraxit, tum ad asceſin Canonicam in novo Claustro Rottenbuechensi pariter profitendam, tum ad Ecclesiam istam bonis mobilibus æque ac immobilibus, ut puta villis, agris, prædiis &c. amplius dotandam. Præfuit laudatissime annis 18. piissime in Domino sopitus anno 1144.

III. OTTO in diebus suis nunquam non Monasterio perutilis, juxta quoque specialis Canonicorum suorum Claustralium amator procuravit secundam Ecclesiæ Rottenbuechensis Confirmationem Authoritate Sedis Apostolicæ factam ab Eugenio III. cujus Bulla tota ponitur in citata Metropoli fol. 145. præfuit autem Otto Antistes iste dignissimus annis 35. demum ad plures translatus anno 1179.

IV. FRIDERICUS sacris studiis omnino deditus, proin solertia Concanonicorum suorum gravibus Administrationis sæcularis negotiis alleviatus, Ecclesiæ sibi creditæ curam gessit annis 29. placida morte huic sæculo defunctus anno 1208.

V. ARNO præstitit annis 9. & diem suum obiit anno 1217.

VI. LUDOVICUS I. triennis tantum Archimandrita Rottenbuechensis vita temporali defecit anno 1220.

VII. WITTICHO, præterquam quod optimi Patris nomen ubique tulit, etiam binos pagos Bobingen & Rechberg Monasterio suo vendicasse laudatus, demum feliciter emigravit Prælaturæ suæ 26. Christi vero 1246. anno.

VIII. CONRADUS I. in illo (quem citata Metropolis Salisburgensis affert) Prælatorum Catalogo solum usque ad annum 1260. quidem præfuisse notatus, idem tamen adhuc triennio post gubernacula tenuit, usque dum nempe Conradus III. Sueviæ Dux Cœnobium Rottenbuechense in specialem suam Protectionem recepit proprio quodam Diplomate in id expedito, sub annum 1263. quod totum legitur in cit. Metropoli fol. 160.

IX. HENRICUS I. triennio solum Oeconomus, præ cæteris omnino felix & egregius quidem antestitit, qui tamen inde in diebus suis totum Regulare Claustrum suum casuali incendio in cineres redactum, tristis & invitus aspicere debuit.

X. LUDOVICUS II. Religiosorum Canonicorum suorum semper amantissimus, unde & vina ad Regularem Mensam iis constituisse, ac præ meliore Oeconomiæ statu communi duos pagos Bobingen & Rechberg supra memoratos contra injustos Impetitores feliciter servasse scribitur, item cum Patribus suis requievisse sub annum 1274.

XI. WINHERUS nobilis quidem genere, degener tamen virtute, rei Familiaris neglector, passim illaudatus vivere pariter, & amplius nocere desiit anno 1285.

XII. ALBERTUS Restaurator felix passim per omnia strenue in tabulis commendatus cursum vitæ & regiminis omnino probati deduxit usque ad annum 1289.

XIII. VDALRICUS II. primum quidem a propriis subditis flocci solum habitus & despectus, authoritate tamen Ordinarii potenter ac juste servatus, præsedit annis 18. Regiminis sui tempore Parochiam Omergaviensem cum pertinentiis Monasterio suo attribuens demum in fata declinavit anno 1307.

XIV. CONRADUS II. Præposituræ suæ anno 14. Gratiæ vero 1321. secundam pertulit Monasterii sui combustionem, quare Ludovicus IV. Romanorum Imperator, Bavariæ Dux, tanto malo suppetias ferre paratus, Canonicos Rottenbuechenses a queisvis oneribus ratione fundi ac territorii proprii alias de more præstandis clementissime de obligavit, & in totum exemit, restaurationemque Cœnobii hujus quantocyus realiter adimplendam, seu exequendam plurimum adjuvit; ipse vero Conradus Præpositus laboribus æque ac mœrore consumptus, exspiravit anno 1335.

XV.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XV. UDALRICUS III. cognomento Sturmler appellatus, præter plurima quæ conſtrui fecit ædificia, Capellam quoque S. Catharinæ Virgini & Martyri dicatam, novam e fundamentis erexit: item Hoſpitale cum Cæmiterio itidem novum apparari procuravit. Prælaturæ faſces tenuit optime annis 14. & negotiorum cauſa iter faciens, ulterius in longinquam alterius ſæculi regionem abiit anno 1348.

XVI. LUDOVICUS III. quinquennis ſolum Præſul & Archi-Diaconus Rottenbuechenſis conſtitit, dum nempe vivere ſimul & ſuis præeſſe fatis urgentibus deſtitit anno 1353.

XVII. UDALRICUS IV. Daygsher cognominatus, poſt ſexenne regimen nondum finaliter expletum mortis victima factus anno 1359.

XVIII. UDALRICUS V. Sturm ex cognomine ſuo dictus, clauſtrale regimen adminiſtravit annis 15, demum exanimatus anno 1374.

XIX. CONRADUS III. Deycher cognominatus, de reliquo parum notus, ſarcinam carnis poſuit anno 1379.

XX. HENRICUS III. ex Nobili Meutingerorum familia progenitus in Metrop. Salisburg. graviter quidem diffamatus, injuſte tamen, dum ſcilicet nemo Domeſticorum in ſcriptis Poſteritati relictis, de quoquam malo eum incuſat, ſi tamen aliquando (uti fert ſuſpicio) in Sæculares Subditos juſto nimium tenacem & ſeverum ſe reddidit, certe nonniſi in rebelles poteſtatem hanc ſupremam exercuit a Sereniſſimis Principibus Erneſto & Joanne Bojariæ Ducibus ſpecialiter demandatam. Alias idem hic Henricus penultimo ſui regiminis anno Parochias aliquas authoritate Sedis Apoſtolicæ ab Innocentio VII. anno 1404. Eccleſiæ ſuæ Rottenbuechenſi pleno, ut vocant, jure coadunari & incorporari procuravit, inde vinculis mortalitatis exutus anno 1405.

XXI. UDALRICUS VI. cognomento Weichinger dictus, bene quidem & laudabiliter clavum geſſit, at invitus admodum, qui & haud ſine graviſſima contriſtatione videre coram, & (in maximum Cœnobii ſui damnum) experiri debuit totam fere ditionem Rottenbuechenſem a Graſſatoribus Friderici V. Archi-Ducis Auſtriæ pro tempore miſerabiliter exulantis, quaqua tandem dilapſis enormiter undique lædi ac devaſtari. Præfuit univerſim annis 9. mortuis accenſus anno 1414.

XXII. JOANNES I. Greulich dictus, felix quidem & utilis Monaſterii ſui Rector & Oeconomus, infelix tamen fuiſſe perhibetur infauſto flammarum erumpentium incendio, diverſas Monaſterii officinas & ædificia denigrante; quod malum amplius adauxit turris cum ſex campanis ad imum usque decidua ſub annum 1417. de reliquo vixit ipſe in Præſulatu ſuo annis 7. de poſt tumulo illatus anno 1421.

XXIII. JOANNES II. Segenſchmidt, de Religioſis Canonicis ſuis optime promeritus, ſpecialiter vero laudatus illis magis feliciter accommodandis apparaſſe Dormitorium, ac Refectorium etiam novum e fundamentis utrumque conſtructum, idem in adminiſtratione ſua diligentiſſimus etiam Paterfamilias pro meritis appellatus, demum vitæ terreſtris periodum abſolvit anno 1430.

XXIV. GEORGIUS I. inter Cœnobiarchas Rottenbuechenſes omnium primus Mitra Præſulari redimitus, Architectonicæ ſemper ſingularis, imo maximus amator Monaſterii ſui (quoad ædificia materialia reſtauranda) egregius illuſtrator, cujus inter præclara opera Poſteritati relicta numeratur Chorus templi, item turris Campanaria & Prælatorum Reſidentia. Tempus regiminis (quo durante continuum ſe præbuit non tam loco ſuperiorem, quam Officio Benefactorem) illius excurrit ad annos 40., quibus expletis æternitatis iter aggreſſus eſt anno 1472.

XXV. PETRUS Teuſcher, laudatiſſimi Prædeceſſoris ſui æmulator, egregius ad novam Eccleſiam e fundamentis excitandam animum adjecit, ſeſeque omnibus pium, manſuetum & humilem exhibuit annis ſex, quibus tranſactis vitæ periodum abſolvit anno Regeneratæ Salutis Humanæ 1478.

XXVI. JOANNES III. Meſſerſchmidt cognominatus, pietate vitæ ſimul & animi bonitate in quosvis obvios, maxime vero in pauperes & egenos liberaliſſime demonſtrata famoſus, novum Hoſpitale conſtrui fecit, & plura alia; tum ſenili ætate feſſus, amplius præſidere ſuis ultro deſtitit anno 1498. tum ſedens ſolitarius levavit ſe ſuper ſe usque in diem mortis ſuæ, quam ſubiit anno 1506.

XXVII. HIERONYMUS Hueber, e Canonia Rhorenſi in Diœceſi Ratisbonenſi poſtulatus, diſciplinæ Regularis acerrimus vindex extitit donec vita terreſtri devixit, carnis humanæ vinculis enodatus anno 1538.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XXVIII. URBANUS I. Koberle, prius officio Monaſterii ſui Rottenbuechenſis Oeconomus ſatis emeritus, Vir pius & ſingulari modeſtia præditus, poſt annos 23. in ampliſſimo Prælaturæ munere feliciſſime conſummatos immortalis factus anno 1538.

XXIX. WILHELMUS Fend, & ipſe Procuratoris nomine clarus, tum reliquis non tam prodeſſe quam præeſſe conſtitutus, glorioſa merita ſua magis & magis adauxit paſſim omnibus commendatus ad ſenectam usque ætatem, qua feſſus occubuit anno gratiæ reparatæ 1558.

XXX. URBANUS II. cognomine ſuo Schweiger nuncupatus, Præpoſituræ & Archi-Diaconatus culmen aſcendit die 10. Decembris anno 1558. tum præ cunctis aliis Officii ſui functionibus unice fovit ſtudium ſacrarum litterarum, quare in uſum Canonicorum ſuorum novam adornavit Bibliothecam, quam & magna librorum copia præclariſſime completavit.

XXXI. WOLFGANGUS Berghofer ob ſpecialem vitæ & morum integritatem ad regimen aſſumptus, magna ſui nominis fama celebris, paſſim honoratus quo usque poſt annos 30. ſexagenario major, vitam temporalem clauſit anno 1591.

XXXII. GEORGIUS II. ante Curator in Steindorff pago Rottenbuechenſibus ſubdito unanimi Capitularium ſuffragio in locum Prædeceſſoris defuncti Wolfgangi die 7. Novembris anno 1611. ſubrogatus fuit, vir ſatis eloquens, & ex omni parte ſolicitus, quamvis in Metropoli Salisburg. inique traductus, de toto quippe Monaſterii ſui ſtatu optime fuit promeritus; ſiquidem Canonicos ſuos Religioſa charitate intenſiſſime fovit, Ordinem Romanum juxta Conſtitutiones Concilii Tridentini in Eccleſia ſua convenienter inſtituit, templum Rottenbuechenſe pictura ſatis eleganti exornari fecit, omne proprietatis ſpecimen apud ſuos longiſſime proſcripſit, Eccleſiam in Hohenpeiſſenberg, nominatam ſupra, novam extruxit, ac tandem ultro gubernaculis ceſſit die 13. Decembris anno Domini 1619. poſt novennium in Chriſto demortuus 1628.

XXXIII. JOANNES CHRYSOSTOMUS Sutor, rebus ſic exigentibus accedente (ſpecialiter in id requiſito) conſenſu tam Ordinarii quam terræ Principis Maximiliani I. Bojorum Ducis die 22. Decembris ex Comprovinciali Canonia Pollingenſi poſtulatus Prælaturam & Archi-Diaconatum Rottenbuechenſem obtinuit, de quo funebres litteræ Circulares enuntiant ſequentia: „ Is ſæculo priore natus, ne in ſæculo viveret, admodum Juvenis mundo mortuus eſt vitam Religioſam profeſſus in celebri Aſceterio Pollingano, ſedulus ſuæ vineæ cuſtos animum virtutibus, indolem ſcientiarum excolens diſciplinis: poſt ſeveriora litterarum ſtudia ex Lycæo Dilingano ad gremium matris ſuæ rediens Novitiorum Magiſterio functus eſt, cui ſemper novellas plantationes irrigare, ad perfectionem inſtruere, in viam ſalutis, qua itur de virtute in virtutem, dirigere, & manuducere ſummæ curæ fuit & vigilantiæ. Poſtliminio ad Decanatus officium evectus ea laude id munus obtinuit, ut ſola virtus eum diutius non pateretur in hoc gradu conſiſtere, ſed altius juberet aſcendere. Evocatus ad Præpoſituram Monaſterii noſtri Mitram & pedum ſeptennio tenuit, probe identidem illam Auguſtiniani Oraculi vocem expendens, quanto in loco ſuperiore, tanto in periculo majore verſatur; ſentiſcens ergo etiam ſub lituis latere aculeos, & ſub Infulis Præſularibus pungitivas admodum innumerabilium quaſi curarum ſpinas, eo ſe abdicavit munere & onere, tutius fore judicans ſalvari in humili, quam periclitari in ſublimi. Curandis dein animabus peritum medicum poſt aliquot annos Altimontenſis Thaumaturga accivit, ut pro ſacro tribunali reos abſolveret, & ligatos peccatorum funibus libertati filiorum Dei reſtitueret, id prudens & laudatiſſimus Confeſſarius annis 30. magno animarum emolumento adeo præſtitit, ut etiamnum plurimorum votis & ſuſpiriis deſideretur. Reliquum quod tam piis negotiis ſupererat tempus, familiaribus cum Deo Divisque colloquiis impendit, ut vel ſic juxta ſui nominis Etymon Chryſoſtomus & Orator eximius dicendus eſſet, voce & affectibus ita potens, ut Deum ipſum in vota ſua flecteret, tandem octogenario major Venerabilis Senex ſacris rite præmunitus ad plures abiit die 13. Januarii anno 1666. „ Ita de Amœniſſimo Sene & Viro Iſraëlita, in quo dolus non erat, litteræ Exequiales.

XXXIV. MICHAEL Piſcator, die 14. Junii anno 1627. canonice promotus in rebus ſpiritualibus æque ac temporalibus ſeu œconomicis providus Religionis ac Diſciplinæ tenaciſſimus, orationi totus omnino deditus, ſed & pudicitiæ ac caſtimoniæ laude præclarus, fuit SS. Creatæ Triadis JEſu, Mariæ & Joſephi ſedulus venerator, nec non tremendi ac incruenti Miſſæ Sacrificii cultor ad miraculum devotus,

unde

unde cum adhuc ſoſpes viveret, quotidie ſumma mentis devotione illud obtulit, qua piiſſima conſuetudine eo devenit, ut in ſupremo vitæ morbo rationis deliquium paſſus, quamvis lectulo detentus, Altari ſibi adſtare viſus præſentibus omnibus plusquam nimium admirantibus, celebrare totus attentarit juxta præſcriptum Miſſalis ritus obſervans & cæremonias ab Eccleſia præſcriptas.

Monaſterium ſuum ære alieno graviter oppreſſum, ut & durante bello Suecico iterato deprædatum, in integrum reſtituit, plurima quoque nova conſtrui fecit ædificia; propriam inſuper Eccleſiam ſuam novis Altaribus elegantia ſua raris admodum & ſuperbis eximie decoravit, tandem lethaliter decumbens miræ patientiæ ac devotionis ſpecimen dedit identidem illud Pſal. 121. v. 1. ferventer ingeminans: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in Domum Domini ibimus. &c.* animoſus, ac imperterrita mente ſuam exſpectavit mortem, quam (annis 36. in Regimine Prælaturæ laudatiſſime tranſactis) fortiter æque, ac feliciter pertulit die 26. Martij anno 1663. de ſingulari vitæ pietate ac ſtrictiſſima votorum ſubſtantialium obſervantia laudatus a Joanne Georgio Grueber Cann. Regg. in Alimentis pietatis Auguſtinianæ fol. 222. 228. 229. & 474. prolixius tamen ab alio quodam non Domeſtico, ſed itidem extraneo meritiſſimo ſacri Ordinis noſtri zelote, qui de eodem hoc Michaële Præpoſito ſequentia pandit: „ Juvat paucula quædam e plurimis eximii Viri hujus virtutibus ad commendationem „ non tantum Poſteritatis, ſed magis & præcipue imitationem obiter delibare. In„ ter quas merito primas ſibi vendicat ardentiſſimus illius in Deum amor, cujus im„ pulſu, uti ea omnia tum in ſe tum in aliis ſedulo promovebat, quæ placere Deo „ cognoverat, ita omnibus modis conabatur intervertere, quidquid in Summæ Maje„ ſtatis offenſam vel ex eorum malitia, vel ſuamet indiligentia redundaturum vel te„ nui poterat conjectura aſſequi. Præcipue vero odio inprimis deteſtabatur, qui Sa„ crilegam linguam in blaſphemas ſolvere voces non reformidant, unde ſiquos illa „ fæce Domeſticos inter operas impudentes forte nactus eſſet, habito vel minimo ejus „ rei indicio, res ſibi ſuas habere quamprimum juſſit, Domoque ſua in perpetuum „ exeſſe. Jucundum fuit videre ad rei tam præclaræ æmulationem incitamentum, „ virum ingenii cæteroquin acris ac incitati, ad illatas tamen nomini ſuo injurias, in„ geſtaque maledicorum hominum ſcommata adeo nihil moveri, ut imperitus quis„ piam virtutum arbiter potuiſſet forte innato torpori atque ignaviæ adſcribere, quod „ generoſe ſe vincentis animi erat argumentum; cum econtra ad unum quodvis di„ cteriuin, quo Numinis Majeſtatem lædi arbitraretur, ita repente totus in bilem, ſeu „ potius Zelum excandeſcens, ut miranda metamorphoſi ex Agno in Leonem, iras „ minasque ſpirantem, transmutatum eſſe crederes. Ardentiſſimi hujus amoris igne „ omnes illius preces flagrabant, quas ab eo amore auſpicabatur ita, ut non niſi petita „ ab amore coronide finiebat. *O JEſu! amor meus*, voces illi erant ſolennes, quas „ diu noctuque centies, milliesque cum ſuaviſſimo audientium ſenſu iterabat. In ſu„ premo vitæ morbo hæc identidem auditus eſt ingeminare. *O JEſu! O JEſu,* „ *Amor meus! meus Amor, O JEſu!* alias cum Regio Pſalte plenus & ipſe cœleſtium „ collium deſiderio: " *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in Domum Domini ibimus:* „ Tum ſuaviſſimis ambagibus ad ſuum rurſus amorem divertens: *O JEſu Tibi vivo & morior! Deus meus & omnia!* „ Ex hoc vero amantiſſimo familiariſſimoque nexu, quo mediantibus amoris vinculis Deo inſeparabiliter connectebatur, „ ortum eſt aſſiduum illud precandi ſtudium: Ut ejus adminiculo animus humana „ omnia eluctatus magis eſt, ubi amat, quam ubi animat, ſic & ille magis fuerat col„ lectus cum Deo in cœlis quam collocatus in terris. Statuto quotidianarum pre„ cum penſo, alias præterea multas ſpontaneæ pietatis exercitationes addiderat: „ Quibus ea vacabat aſſiduitate, ut, non niſi manifeſta urgente neceſſitate omitteret, „ ad conſuetam ſuam pſalmodiam ære campanæ evocatus, uti primus plerumque ac„ ceſſerat; ita non niſi ultimus a Statione recedebat, quantuscunque hyemis rigor „ ſenio perquam infeſtus ſæviret. Nullum ex Solemnioribus Feſtum abire paſſus eſt, „ cujus ipſe celebritatem Pontificio ritu operatus non auxerit. Imo tanto ferebatur „ affectu erga Auguſtiſſimum Miſſæ Sacrificium, ut hoc nullo unquam die niſi gravi „ admodum infirmitate lecto detineretur, deprehenſus ſit omiſiſſe etiam in hoſtili „ corruptione Monaſterio ſuo expulſus horæ ſpatio plus minus & quidem per conge„ ſtos nivium acervos eluctari ad ædem ſacram, ſi voto potiri vellet ſæpe ſæpius co„ actus. Univerſim vero ad Sacratiſſimum Epulum Euchariſticum affectum præ ſe „ tulit in omni vita prorſus ſingularem, quem ſupremis maxime temporibus multiplici „ ſancivit Argumento, ut cum Feria quinta Hebdomadæ majoris ritu ſolemni ad aram „ facere ultimo voluit, ſuppreſſis morbi doloribus, qui jam tum non obſcuris ſerpebat „ indiciis, & ſic inſtantis quaſi fati præſcius amantiſſimis Filiis ſuis, Divini juxta ſuique „ Amoris Artham, cum ad ægrum ad æternitatis iter muniendum deportaretur; ut

„ aliorum more ægrorum in lectulo cubans ſumeret, adduci nullo modo potuit, ſed
„ ut ipſius pietati magis, quam Medicorum obtemperaretur Conſilio, quantavis emo-
„ rientis corpuſculi incommoditate deportandus erat in Divi Joſephi Saeellum, quod
„ propter indigetem ſuum Divinum cordi unice habuerat, ubi flexis non niſi genibus
„ copioſis perfuſus lacrymis Dilectum animæ ſuæ excepit, poſtquam Divo Joſepho
„ tanti Filii Nutritio enixius ſe prius commendaſſet. Promovendi Divini honoris
„ zelum vel maxime oſtendit in reparatione Domus Dei, quam ex Bellicis Squallori-
„ bus & pene ruderibus erutam, veteri magnificentiæ atque ſplendori ſumptibus ac
„ impenſis minime paucis abunde reſtituit. Tum vero poſt Deum præcipuo ſemper
„ cultu ferebatur erga Magnam Verbi Incarnati Matrem, cujus propagando in ho-
„ mines amori quanta nunquam non egerit, feceritque teſtantur aræ, imagines, ſa-
„ cella, hujus Virginis honori ab ipſo extructa. Signum Deiparæ haud vulgaris
„ magnitudinis ex argento fabrefactum hodieque extat velut perennaturum munifi-
„ centiæ ejus in Divam Virginem monimentum, ut præter eam iſthic magnifica ana-
„ themata, plurimamque juxta ac pretioſam ſuppellectilem, quibus ædes, Arasque
„ Virgini Deiparæ ſacras ditavit. Atque ut ſcires, cujus formæ aſpectu caſtiſſimi
„ ejus recrearentur oculi, quaqua verſus obtutum figeres, aſpectui incurrebat Augu-
„ ſtiſſimæ Virginis effigies vel coloribus depicta in tela, vel ferro in lapide lignoque
„ cælata. Hoc unicum ſolidumque oculorum Lenocinium contemplabatur quotidie
„ in Palatini fontis cacumine affabre locatum, velut ipſa ſcilicet origo eſſet ſuprema
„ illa gratiarum omnium fontana in quam profuſi puriorum gaudiorum torrentes per
„ multiplices Beneficiorum canales reflexi, in ſe etiam artem aliquam limpidiſſimi li-
„ quoris derivarent. Hanc Virginem in Thalamo ſuo quot noctibus velut puriſſimam
„ Sponſam puriſſimo amoris affectu amplexabatur, hanc in Sacellis, Oratoriisque
„ omnibus ſæpiſſime deprecabatur velut unicam votorum ſuorum Anchoram, hanc
„ in momenta ſingula, velut individuum ſibi Comitem per omnes cubiculi ſui angu-
„ los in aliqua ſui parte præſentem devenerabatur. Ad hujus denique Virginis pe-
„ des devotas ſui corporis exuvias velut perenne ſuæ Dominæ Anathema volebat de-
„ poni loco ſat bono quieſcere ſe ratus, præterquam Regum omnium, Imperatorum-
„ que cineres, ſi cum Planetarum Principe Luna Virginis Sole paludatæ Stellisque co-
„ ronatæ veſtigiis teneretur dignus ſane, qui tam Filii Agone a Domina Bearetur,
„ cujus honori ad optatum illius ſucceſſum impetrandum Feriis quibuscunque Sabba-
„ tinis præcipuum aliquod pietatis opus per omnem vitam obtulerat. Nec minori
„ amore caſtiſſimæ Virginis caſtiſſimum proſequebatur Sponſum utriusque ſcilicet Pa-
„ ranymphum, cujus effigie velut indubitata theſſera omnem Præpoſiti locum, tum
„ in Choro, tum in Triclinio, quin etiam horto & allibi a cæteris diſtinxerat, ut vel
„ ex ſola hac nota Præpoſiti locum ubique agnoſceres, cui Divi Joſephi imago nomen
„ feciſſet. Et quid obſecro, non dicam ad oſtendendum tantum Divi hujus amorem
„ pulchrius, ſed & ad Authoris ſui incitamentum aptius, quam eum continuo habere
„ præ oculis, cujus exemplum a muneris communione in ſolitis Officij ſui partibus
„ ſequi tuto poteris, quod equidem Virum hunc, muneris ſui ad Sanctorum normam
„ exequendi Studioſiſſimum, præter ſimplicem illam amoris ſui manifeſtationem cre-
„ diderim omnino intendiſſe, ut cum ipſe Familiam ſibi ſubjectam univerſam, in cujus
„ ſingulis capitibus Divinum aliquid contemplabatur Divæ Virgini jam tum a primo
„ ſui exordio animitus tradiderit gubernandam, in iis præcipue quæ ad amantem jux-
„ ta ſedulamque Matrem-Familias ſpectant, qualem ſeſe pia Virgo Auguſtæ illi ſed
„ Sacratiſſimæ Familiæ Nazarethanæ dubio procul præbuerat, ita ipſe a Divo Joſepho
„ velut Magnæ Matris Magno Sponſo normam præceptaque acciperet regnandi, in
„ iis potiſſimum quæ ad prudentem juxta impigrumque Patrem-Familias pertinent,
„ qualem ſeſe utique Magnus ille Dei-Hominis Nutritius & Filio & Sponſæ nullo tem-
„ pore non oſtenderit. Itaque Divi hujus aſſidua contemplatione ſeipſum identidem
„ commonefaceret, cujus Familiæ Præſidem ac qualem Præſidis Vicarium ageret.
„ Hujus igitur quem dixi in Divi honorem etiam Sacellum loco Eccleſiæ ſuæ contiguo
„ jam parabat extruere, nam & ipſius Sacelli Fundamenta ſolemni ritu propriis mani-
„ bus locaverat, & extruxiſſet ſane ad conſummationem niſi præceps fatum pio ejus
„ Conſilio interveniſſet, Sacratiſſimæ Creatæ Triadis nomina parietinis omnibus,
„ portisque inſcripſerat; quorum invocatione ultimam etiam vitæ periodum clauſit
„ feliciſſime, quando ſupremum vitæ halitum his quanta poterat Spiritus contentione
„ inclamandis auditus eſt impendiſſe, meritus proinde, ut quem vivus ſemper in amo-
„ ribus habuerat, eidem mortuus quoque in cœlo triumphanti aſſociaretur, ſiquidem
„ Feſta Divo Joſepho luce decreſcentibus nonnihil viribus fato ſuo factus jam propior,
„ mox etiam invaleſcentibus morbi violentiis ante elapſam ejusdem ſolennis Feſti diem
„ octavam ad æternam Beatioremque ſolemnitatem ac gaudiorum ſempiternorum com-

munio-

„ munionem a Tutelari Patrono ſuo evocatus innocentiſſimum Deo Spiritum reddidit.
„ Quid vero de dilectione proximi, quam cuivis hominum generi indefeſſa liberali-
„ tate & ſtudio impendit, proferam? mallem eos ipſos loqui qui hujus in ſemetipſis
„ ſenſere experimenta. Teſtari ſane cogerentur quotquot ſecunda ſors beavit, ut
„ tam benigni Patris accenſeri filiis mererentur, teſtari, inquam, cogerentur nemi-
„ nem habuiſſe ſe in quibuscunque morbis ſeu malis ſedulum inſpectorem, ſeu ſua-
„ viorem conſolatorem, ſeu ſibi promptiorem ad omnia famulum, quod mirere in tan-
„ ta dignitate, quam ſummet Præpoſitum. Modeſtiam ut deſcribamus in Michaële
„ Viro plane Reverendiſſimo, huicque ſummam copulemus animi demiſſionem, quam
„ in laudis cenſum venire meritiſſime dignum arbitramur & æquum, non tantum,
„ quia cæteras omnes virtutes, ſi publicam præſertim in Cultore ſuo lucem ſortian-
„ tur, hæc una deprimendo in immenſum attollit, ſed etiam, quia hanc ſibi Præſul
„ virtutem quaſi propriam fecerat, gnarus nunquam majus gratiusque demiſſionis eſſe
„ pretium, quam ubi in magnas dignitates incidit, multo honorum ſtipata ſatellitio,
„ quos illa, ubi genuina eſt, ſibi omnes ſtipendiarios facit. Ortum hæc traxerat ex
„ illa ſuimet deſpicientia, qua indignum ſe prorſus tanto dignitatis faſtigio, ad quod
„ tamen non aliorum magis ſuffragia, quam propria eum merita evexerunt, reputa-
„ bat Modeſtiſſimus Præſul unde delatos ſacros faſces omni nitu conabatur a ſe amo-
„ liri, quod cum irrito eventu fruſtra diu attentaſſet, coactus demum ſubire jugum
„ ejusmodi ſaltem vitæ rationem inſtituit, ex qua omnibus pateret, illum ei conceſſæ
„ dignitatis prærogativis quam parciſſime uſurum. Proinde terribiliter averſabatur
„ faſtuoſa honorum oſtenta, & neſcio cujus Majeſtatis aliis uſurpatæ conſimilibus in-
„ dices pompas ſine quibus nunquam honores altos mundus divendit; hunc ipſum
„ in finem Præſul numeroſo famulitio ad unum unicum contracto & eo ipſo in ſpe-
„ ciemmagis quam in uſum retento, ipſe ſibi cum Romanorum Duce Attilio ſervus
„ ſimul & herus extitit, ad contemptiſſimas quascunque Mediaſtinorum functiones
„ demittere ſe ſolitus, ne lectum quidem ſibi ſterni ſuſtinens: quibus aliisque mo-
„ deſtiæ ac humilitatis actibus obtinuit, ut nemini illius licet alias graviſſimi Viri ma-
„ jeſtas metuenda eſſet: indulgebat enim ſeſe omni hominum conditioni prolixe &
„ peramanter, præcipue vero illis, quos & ſua paupertas & cognata paupertati can-
„ dida quædam ſimplicitas commendabat. Ipſius porro menſa procul exulabant ci-
„ borum lautitiæ, procul a thalamo plumarum delitiæ, lectum e ſtramine contexerat
„ ſtorea: menſam habebat cum ſuis communem, ne unico quidem ferculo ſingulari-
„ ter ſuperaddito, omnis oſor ſingularitatis acerrimus. Atque hanc Religioſæ pau-
„ pertatis venuſtatem & paupertinum ſplendorem in ſuis quoque peroptabat ſubditis
„ & vigere & florere: quorum in veſtimentis lineis tam ſacris quam aliis communi-
„ bus inutiles fimbriarum appendices ſæcularitatis quidpiam olentes omnino aver-
„ runcavit. Fuit, ut Vicariorum Parochialium non nemo e Religioſo ſuo Cœtu Ec-
„ cleſiæ diſſitæ expoſitus a rure domum redux ſplendidiore non nihil veſte excultus
„ coram ipſo compareret: quam, cum ſacræ paupertati repugnare judicaret, mode-
„ ſtus Præſul confeſtim detrahi juſſit ac in fruſta concidi leviorem ratus jacturam,
„ quæ ex veſtis quam quæ ex paupertatis ſciſſura redundaret. Et quoniam de Reli-
„ gioſæ paupertatis amore dicere cœpimus, juvat huic annexam animæ corporisque
„ attexere puritatem. Neque enim minus Virgineæ puritatis ſuæ in flore conſer-
„ vandæ ſtudioſus fuit, quam Religioſæ paupertatis in ſuo vigore retinendæ. Cum
„ itaque non neſciret in fragili corporis vaſe circumferri, quo vel modicum calcitra-
„ re, pretioſus ille unio irreparabili poſſet damno deperdi, ideo præcipue carnem
„ ſuam ſub jugum & in ſervitutem redigere anniſus eſt. Ejusdem ergo arma arri-
„ puit, quibus effrenem illam belluam ab omni ſæculorum memoria Sanctiſſimi qui-
„ que Viri ſuomet exemplo docuerunt edomare. Ea fuere continuata per dies com-
„ plures jejunia, ciborum parcitas, productæ noctium vigiliæ, flagella vel nodis aſpe-
„ rata vel ferro ſtellata, Cilicia ſetarum aculeis contexta, aliave ejus generis, quæ
„ ingenioſa ac pia ſuimet corporis Tyrannis, Chriſtianæ & Religioſæ perfectionis A-
„ gonothetis ſuggerit, quibus ille ad ultimam usque ſenectutem ita conſtanter in ſe-
„ met depugnavit, ut non haberet, quod ſibi a corpore ita miſeris modis domito ac
„ macerato magnopere metueret. Præcipue vero cum oculis ſuis fœdus pepigerat,
„ ne unquam fœminam aſpicerent probe gnarus per has maxime feneſtras exitialem
„ animæ mortem aſcendere & irrepere. Teſtatæ ſunt hoc Nobiles ac Illuſtres quæ-
„ dam Matronæ, quæ ab ipſo officii cauſa convivio exceptæ ſancte aſſeverarunt Præ-
„ ſulis oculos ne uno quidem nictu in ſe converſos eſſe, cum averſo a ſe potiſſimum
„ toto vultu ſediſſet. Virgineum ſuum corpus a nullo unquam paſſus eſt quacunque
„ de cauſa ulla ſui parte denudari, cui rei etiam poſt obitum obſervandæ ſevero in-
„ terdicto cavit. Obtemperandi ſtudium non illo tantum modico (ſtudioſe poſt pau-

„ pertatem & caſtitatem tertiam quoque Religionis ex eſſentia debitam virtutem obe-
„ dientiam ſubjungo) tempore quo alienam & ipſe poteſtatem reveritus eſt in ſuo-
„ rum arbitrio Superiorum totus vivens, ſed etiam in reliquo vitæ, cujus partem po-
„ tiſſimam in Superioris officio tranſegit, quo potuit modo, conſtantiſſime coluit.
„ Unde cum ex nutu ejus penderent omnes, ipſe tamen alieni non impatiens ductus
„ ita jus ſuum partiebatur in alios, ut non facile imperaret quidpiam, quod non prius
„ Seniorum, quos in Conſilium vocare conſueverat, ſuffragio atque annutu multipli-
„ citer eſſet comprobatum. Neque difficilis erat a ſuamet deflecti ſententia ſi quid
„ melius videret in contrarium ab aliis ſuaderi, quibus malebat concedere victoriam,
„ quam ſibi nimium fidenter prono alioquin & Magnatibus aſſueto humani ingenii vi-
„ tio in rebus dubiis credere. Quo factum eſt, ut neque cruda imperia metuerent
„ ſubditi, neque ſi quid forte minus e re, ut in humanis ſolent caſus emergere, im-
„ peratum eſſet tam onus incumberet imperanti, quam iis, quorum conſilio in trans-
„ verſum actus eſt Præſul. Miramur inter hæc omnia, quanto cum accuratione at-
„ que prudentia Monaſterii curam adminiſtraverit tota plus trieteride annorum, qua
„ præfuit, ita ut minimis quibusque negotiis eandem afferret intentionem, quæ ma-
„ ximis ſufficeret, quo obtinuit, ut in nulla re ſeu per errorem ſeu per injuriam deli-
„ quiſſe facile curioſo quantumvis & exacto Scrutatori deprehenderetur. Neque
„ tamen in hoc dignitatis culmine, quod non minore gloria, quam adeptus fuerat,
„ tuebatur, conditionis ſuæ immemor eſſet humanæ, ſaxum ſibi curavit fieri, cui no-
„ biles ſui corporis exuvias aliquando communi omnium mortalium fato concredituſ-
„ rus eſſet & ſubtracturus, idque in Domeſtico Sacello adſervari velut continuum
„ mortis monitorem: cui præter ſuum nomen tres etiam priores currentis ſæculi nu-
„ meros, ſeu uti vocamus, zifferas, ultimo in diem mortis ſervato, ut ex incompleta
„ numerorum ſerie certam ſibi rationem faceret complementum numeri a morte ſu-
„ peraddendum. Tumuli porro locum ſibi certum ſelegit, quo conditurus veſpilo
„ ſuum corpus erit, qui quotidiano ſui aſpectu ſortis illum ſuæ commonefaceret. Ita
„ non alium factis ſuis ſcopum ſtatuerat, quam eum, in quem humana omnia, niſi col-
„ liment, toto cœlo aberrant, Deum ſcilicet Ter Optimum Max. ac punctum illud in-
„ diſſolubile nunquam terminandæ æternitatis, quod tandem annis & meritis gran-
„ dis feliciſſime attigit ſexto Calendas Aprilis proxima a Glorioſa Reſurrectione Do-
„ mini feria una non minus ante noctis umbilicum hora, qua ultimo agone generoſo
„ exantlata Victor Glorioſus cum Chriſto reſurgente arena deceſſit, cœloque, ut ſpe-
„ rare licet, triumphabundus eſt invectus. Natus erat Michaël hic Piſcator cogno-
„ minatus Weilheimii Boicæ Superioris Urbe anno Incarnationis Dominicæ 1591.
„ denatus anno 1663. die 27. Martii, poſtquam terræ annos 72. Religioni 54. Preſ-
„ byterio 43. Præſulatui 36. plusquam laudabiliter impendit. Sepulchrali ejus Saxo
„ inſcriptum legitur hujusmodi Chronoſticon:

TrIpLCI fVnICVLo bene tentVs PræsVLIs arCVs
SoLVItVr, Vt ferIat fIXa ſagItta ſCopVM.

XXXV. AUGUSTINUS Oberſt, Landſpergenſis Bojus die 26. Aprilis anno 1663. unanimi Capitularium ſuffragio præeſſe nominatus, quorumvis Prædeceſſorum ſuorum nemini ſecundus; cujus regimen ſane laudatiſſimum, & uberrimas laudes ex eo reportatas exhibent Rotulæ, uti vocamus, ſeu littere Mortuales ab obitu ipſius Auguſtini ad Religioſos Confœderatos de dato 1690. die 31. Octobris juxta morem emiſſæ; quarum tenor inter alia ſio habet: *Nuperrime ad ſingulare certamen inimica mors vocavit & promovit Religioſi Cœtus noſtri Ducem, Reverendiſſimum & Ampliſſimum Dominum Auguſtinum Oberſt Præpoſitum noſtrum & Archi-Diaconum natum vigilantiſſimum baculo & mitra inſignitum, ſed effrons nec mitram venerando, nec baculum verendo, longiori vitæ invidens clancularie inſidiari cœpit ejus calcaneo ſuos præmittens prodromos, qui pedibus compedes injicerent. At ordinem ordine debito ſervemus, ne inordinate ab occaſu ante ortum ordiamur. Landſperga natale ſolum, vitam & primam lucem dedit vigeſimo primo hujus ſæculi anno nativitatem honoravit natura minime noverca largo ſinu in eum effundens dona ſua, dando indolem bonam, quæ Ipſum ad omnia habilem reddidit, & ad omnia promovit officia in omnibus officioſum. Poſt oblatas Deo primitias Sacerdotales granario præeſſe juſſus ad amuſſim juſſa implevit per annos novem. Dignus dein judicatus digniore officio ad munus Decanatus, Fratrum ſuorum moribus dirigendis promotus eſt, quod inſigniter præſtitit annis decem ſe ipſum bonorum operum præbens exemplum, morum formam & normam ac veluti amica invitatione alliciens. Supremus dein ſupererat Præpoſituræ gradus, ſublimis quidem, ſed periculoſus, quia nimirum altior inde caſus: unde ſibi timens aſcendere noluit, niſi debuiſſet communi votorum calculo electus, ſed invitus non auſus reſiſtere volentibus, ne voluntati*

ti Dei resisteret. Exinde positus in sublimi dignitatis culmine humili tamen animi submissione, solide & profunde firmatus latius suos diffudit radios: eminebat eximia in gerendis negotiis prudentia: œconomiæ experientia maximis, minimis disponendis, & exequendis discretio. Monasterio novam propemodum induxit faciem novis ædificiis. Domum Dei, quam decet sanctitudo, quin & pulchritudo (Ecclesiam intelligite) *ad decorem & splendorem ornavit copiosa & pretiosa suppellectile, sacris vasis & vestium ornamentis non sine magnis sumptibus. Divis impense devotus vel maxime Divæ Divorum Sanctissimæ Dei Genitrici Mariæ: cui a fundamentis duo extruxit Sacella, tertium Virgineæ Matris Virgineo Sponso S. Josepho, minus contentus, si solus arderet, nisi & alios accenderet igne charitatis & flammis devotionis in hos Sanctos. Neque prætereundum est, quod his omnibus est majus. Fuerit industrius œconomus (fuit etenim) & inde dignus sua laude; at Ducem nostrum in Palæstra ascetica strenuum fuisse Ducem, majorem meretur laudem, quam a nobis pro dignitate meriti laudabiliter possit tribui, disciplinæ etenim Regularis amantissimus & observantissimus fuit vivaci memoria & acri stimulo identidem illud sibi occinens, quod aurea Divi Augustini Regula jubet:* Disciplinam libens habeat, metuendus imponat. *Transgredientes sine moderata admonitione, correctione vel correptione non prætervit: defectus vel excessus impune non toleravit: præ omnibus magis affectus illi, qui præ omnibus omnium accuratissimæ Regulæ Custos fuisset. Porro ut debitæ Deo laudes a pluribus diu noctuque plenius resonarent Religiosorum Psallentium, Deumque laudantium numerum admodum auxit, imo vix non duplicavit, ut etiamnum quadragenarium numerum impleant, ex quibus triginta ad aram quotidie Deo litare solent, eisque victum & amictum, qualis Religiosos decet, competentem provident. Delitias, cupedias, & honores potius abhorruit quam amavit mensa frugali usus: nec affectavit vestibus placere sed moribus: vestitus ejus communis erat sub communi Custode & custodia, quem hebdomadaria distributione de communi vestiario cum aliis accipiebat. Crescente numero annorum venerandæ senectutis viribus corporis sensim deficientibus annum jam agebat ætatis septuagesimum, Præposituræ vigesimum octavum, vitæ suæ ultimum primum beatæ æternitatis optatissimum accipiendæ coronæ, quam Dux pro stipendio meruerat, cum hostem vitæ suæ* (Mortem) *sibi propinquiorem adverteret, se quoque aptissimis munivit armis ad ultimam pugnam & periculosam luctam vivo viatico confortatus, & oleo sacro inunctus præmissa Exomologesi expurgans quidquid inquinamenti fœdasset animam: pertæsus hærere diutius in domo lutea terrenæ habitationis Dux generosus cupidus accipere aliud sibi Regnum, quod non est de hoc mundo, arduum iter agressus & ingressus est labente MDCXC. anno, mense Octobris, die 22. ultimo cum suo hoste decertans duello. Vincat! vivat super æthera lætus!*

XXXVI. GILBERTUS.

XXXVII. PATRITIUS.

Inter chartas Authoris duorum horum Præsulum, etsi meritis amplissimis fulserint, nihil omnino occurrit, quod addi hic possit, sed nec quidquam ad publicas meas interpellationes fuit transmissum, quod ad pertexendam celeberrimi hujus Collegii historiam servire posset. Quare me invito abrumpendum hic filum, & properandum ad alia.

ROTTENBUECHENSE,

Aliud tale seu paris quidem nominis ac Ordinis, discrepantis tamen sexus Religiosum Contubernium prisca ætate ante memorato Virorum Canonicorum Collegio stetisse pone conjunctum (præter constantem traditionem) habetur etiam ex Metropoli Salisburgensi lib. 3. fol. 143. prout sequitur: *Fuisse etiam ibi* (in Rottenbuch) *Monasterium Monialium cum Hospitali pauperum structuræ ibidem satis indicant*: atque hoc ipsum clarius innuit etiam Raderus in vita Gerhohi Præpositi Reicherspergensis loco supra cit. fol. 277. sic legendus: *Gerhohus jam diu ad severioris vitæ disciplinam aspirabat, & in Contubernium se Religiosorum Virorum abdere cupiebat cum parentum fratrumque cura impetum ejus & studia pietatis moraventur, quibus prius consultum volebat, quam omnem rerum humanarum cogitationem abjiceret, perspectos ergo, ut ipsi quoque certiorem brevioremque ad cœlum viam quærerent, utrumque parentem Raittenbuechensi Cœnobio, quod fœmininum olim & Virorum duplex fuit, cum geminis fratribus inclusit, quos ipse mox secutus, exemplo vitæ, doctrinæ & pietatis ad constantem laborem, excubias & vigilias, assiduasque virtutes excitavit &c.*

ROTTENMANNENSE,

Insigne quondam apud Styrios intra muros paris cognominis civitatis Rottenmenensis Cæsareum (taliter ab Augustissimo Fundatore suo intitulari solitum) Collegium Archi-Diœcesis Salisburgensis Authorem habuit Fridericum IV. (aliis III.) Romanorum Imperatorem, Archi-Ducem Austriæ, Styriæ, Carinthiæ &c. &c. qui anno 1455. sub titulo Beatissimæ Virginis Mariæ nec non Joannis Baptistæ & Evangelistæ propriis impensis istud fundavit, juxta quoque prædiis quibusdam aliisque bonis immobilibus, censibus ac reditibus clementissime dotavit nova Religiosorum Virorum colonia ex Viennensi S. Dorotheæ Canonia Rottenmannum accersita: cujus Præpositum & Successores altissime fatus fundator insigniri voluit ac fecit, queisvis gratiis & privilegiis omnium aliarum Ecclesiarum Regularibus Prælatis Styriis, generaliter indultis ac concessis, atque hujus rei testes in ipsis fundationis litteris adducuntur & nominantur Sereniſſimi Principes Albertus & Sigismundus Archi-Duces Austriæ, Sigismundus Dux Bavariæ, Albertus Marchio Brandenburgensis, Bernardus Marchio Badensis &c. &c. Item Reverendissimi Udalricus Episcopus Gurcensis, Udalricus Rudier Præpositus Frisingensis, Joannes Hinderloh Præpositus Tridentinus &c. &c. & alii Consiliarii, ac quam plurimi fide digni. Eodem anno 1455. Callistus Papa III. ad preces ejusdem Sacræ Cæsareæ Majestatis Romam Sedi Apostolicæ directas fundationem hanc Authoritate Apostolica confirmavit propria quadam Bulla desuper edita, in qua Fridericus Imperator antedictus specialem quendam ad sacrum Canonicorum Regularium S. Augustini Ordinem laudatur admodum gerere affectum, ac una simul nova isthæc Canonia Rottenmannensis diserte nominatur Monasterium sumptuoso opere erectum, maxime vero statuitur ac præcipitur, ut Ordo Canonicus perpetuis futuris temporibus isthic loci inviolabiliter teneatur, & observetur.

Anno 1480. sæpedictus fundator de memorato Religioso Contubernio primum præ foribus civitatis Rottenmagnensis ædificato contra barbaras Turcarum irruptiones e Vicina Hungaria ad partes confinis Styriæ id temporis quandoque crudelissime factas integre jugiter servando maximopere sollicitus; illud ipsum de prævio consensu Ordinarii seu Metropolitani Salisburgensis suo loco motum in ipsam præfatam urbem recipi voluit, atque ad Parochialem S. Nicolai Ecclesiam ibidem transtulit, ac prioribus juribus ac privilegiis authoritate Cæsarea denuo reiteratis ac confirmatis de novo stabiliri fecit; ex quo tempore Collegium istud *Cæsareum Rottenmannense S. Nicolai* communiter appellari cœpit, sed & hodiedum totaliter inaudit habens privilegia sat multa & magna, quæ postmodum anno 1513. Leo Papa X. authoritate Sedis Apostolicæ, & sua legitime confirmavit.

Cæterum Parochiæ, quas illud ipsum proprias habet & unitas sibi, sunt inprimis ipsa Ecclesia antedicta ad S. Nicolaum in memorata Civitate Rottenmannensi, Canonicis Augustinianis hujus loci Inquilinis ad instantiam Friderici IV. primi Fundatoris anno 1455. Authoritate Pontificia Romana pleno jure tradita & incorporata. Altera est Ireningensis (quam anno 1455. Æneas Sylvius Episcopus Senensis S. R. E. tit. S. Sabinæ Cardinalis, postea Summus Pontifex Pius II. appellatus, item Anno 1503. Franciscus de Piccolominis S. R. E. tit. S. Eustachii Cardinalis & ipse quoque Summus Pontifex creatus dictus Pius III. administravit) procurante Maximiliano I. Romanorum Imperatore a Leone X. anno 1514. pariter incorporata. Item Läſſingensis cum Liezensi & Oppenbergensi (quam ultimam miraculosa Imagine B. Mariæ Virginis insignem a Regina quadam Poloniæ fuisse constructam constans & firma est traditio) unita & incorporata fuit ab eodem Leone X. anno proxime sequenti Domini 1515.

Præterea quoque recensita fundatio Rottenmannensis & omnes dictarum Paræciarum incorporationes amplius confirmatæ habentur specialibus litteris, quas in hunc finem adornatas dederunt Maximilianus I. anno 1518. Ferdinandus I. anno 1523. Carolus Archi-Dux Austriæ anno 1559. & Leopoldus I. Augustus anno 1660. Porro sæpe nominati Collegii hujus Rottenmannensis ab ipso primæ fundationis exordio usque ad nostra tempora perhibetur fuisse sequens.

Catalogus

Reverendissimorum ac Amplissimorum Dominorum Dominorum Prælatorum.

I. JOANNES Jung a Dünckelspihl anno sui regiminis decimo tertio mortuus & sepultus anno 1468. III. UDAL-

II. UDALRICUS de Conſtantia fatis extinctus anno 1475.

III. JOANNES Kegelberger vita ſimul & regimine Prælaturæ demortuus anno 1512.

IV. MAGNUS Praittenbaumer in Valle Anaſi Commiſſarius emigravit anno 1519.

V. GEORGIUS Rizinger morte naturali ſublatus anno 1555.

VI. SIGISMUNDUS Kleibenſtein tegumento mortalitatis exutus anno 1555.

VII. GEORGIUS Walcher, ex Canonia prope Reichenhall poſtulatus, ad æternitatem translatus anno 1557.

VIII. JOANNES David Panichner de Wolckenſtorff, Profeſſus in Bertholsgaden, per utramque Styriam Archi-Diaconus, pariter æternalis factus 1574.

IX. LAURENTIUS Raiſacher, prius Can. Reg. Seccovienſis, corpore mortali ſolutus 1575.

X. UDALRICUS Langius, ultimus Parochus ad S. Ægydium Græcii Metropoli Styriæ, quadriennio præfuit, reſignavit. Mortuus 1579.

XI. CHRISTOPHORUS Staindl, Præpoſituræ Adminiſtrator, æternitati transſcriptus 1582.

XII. JOANNES Muchitſch ab Edlingen, Sereniſſimi Principis ac Domini Domini Caroli Archi-Ducis Auſtriæ & Styriæ &c. Capellanus & Eleemoſinarius inter mortales eſſe deſinens vita terreſtri devixit anno 1608.

XIII. MARTINUS Stracker, ſpiculo lethiferæ mortis enecatus anno 1623.

XIV. ANDREAS Pöchinger, ex Canonia Seccovienſi Poſtulatus Statuum Provinciæ ſuæ Styriacæ Deputatus, terreſtri vita ac munere ſuo deſtitutus anno 1645.

XV. BARTHOLOMÆUS Judex, electus ex gremio ad longinquam alterius ſæculi regionem digreſſus occubuit anno 1672.

XVI. GEORGIUS Chriſtophorus Mourath, electus ex gremio albo Defunctorum inſertus anno 1683.

XVII. JOANNES Albertus Kendlmayr, in Supremum Eccleſiæ Rottenmannenſis Antiſtitem pro meritis die 28. Aprilis & paulo poſt Infula Præſulari decoratus anno 1683. Præſul omni virtutum ac ſcientiarum genere clariſſimus, tota morum comitate ſummis infimisque gratiſſimus, rerum gerendarum peritia feliciſſimus, pientiſſimæ Congregationis Nobilium Virorum & Sacerdotum ſub titulo & invocatione S. Franciſci Xaverii Soc. Jeſu Indiarum Apoſtoli noviſſime ſub annum 1686. in Eccleſia Rottenmannenſi Authoritate Ordinaria ſolemniter comprobatæ & inſtitutæ primus fundator, Rector & Inſtitutor, S. C. M. nec non Reverendiſſimi ac Celſiſſimi Principis & Epiſcopi Bambergenſis Conſiliarius, Inclytorum Statuum Styriæ Deputatus digniſſimus, meritiſſimus &c. Obiit 1702.

XVIII. AQUILINUS Hermer, electus ex gremio.

Eccleſia hæc Rottenmannenſis temporum injuria eo adacta eſt, ut ære ſe alieno gravare cogeretur, quo factum, ut numerus imminueretur Religioſorum, qui tandem ad obeunda munera facti ſunt inſufficientes. Quare tam ex parte Auguſtiſſimi Imperatoris Joſepi I. in temporalibus, quam Celſiſſimi Principis & Archi-Epiſcopi Salisburgenſis Franciſci Antonii in Spiritualibus, Adminiſtratio Collegio Voravienſi (absque tamen incorporatione) ſub Reverendiſſimo DD. Joanne Philippo Præſule Voravienſi commiſſa eſt anno 1711. a quo tempore per Collegii Voravienſis Canonicos Rotomanenſis Eccleſia adminiſtrabatur usque ad annum 1736. quo Voravienſes ab ulteriori Adminiſtratione abſoluti ſunt; quod dudum optarunt, transmiſſis tamen prius ex ſuo Gremio ſex Religioſis in perpetuum hic permanſuris. Optandum utique eſt, ut hæc Eccleſia ita futuris quoque temporibus floreat, ne denuo alieno indigeat ſubſidio.

Littera S.

SACKANENSE,

Seu ab aliis etiam *Sackenſe* nuncupari ſolitum, atque iſtud jam pridem a furentibus ac immaniſſimis Huſſitis fataliter extinctum, Archi-Diœceſeos Pragenſis, in Regno Boëmiæ Monaſterium, & quidem de quatuor Canonico-Auguſtinianis illis unum, quorum in ſua Boëmiæ Hiſtoria meminit etiam Dubravius Lib. 22. fol. 141. in hæc verba legendus : *Multa alia ejus* (Arneſti Sanctæ memoriæ primi Archi-Epiſcopi Pragenſis jam ſupra laudati) *pia opera memorantur. Nam Valetudinarium languentibus in oppidis ſuis Unum Brodæ, alterum Bibrami tertium Libavi conſtituit, ampliterque dotavit. Et adhuc amplius quatuor Cœnobia inductis in illa Contubernalibus, qui ſe Canonicos Regulares nuncupant, alios eorum Sackam, alios Rockicanam, alios Jaromirium, alios Glazium, apud quos ſepulturam ſibi delegit.* Item etiam Aloyſius Balbinus Societatis Jeſu in vita ejusdem Arneſti Lib. 3. cap. 3. pag. 242. ubi is de eodem Sackanenſi Monaſterio ſic habet: Eſt Mons quinque milliaribus Boiemicis ſejunctus in Sacka nomine (nunc pagus eo loco(ad Regiam Vrbem Nymburgum amœno circum aſpectu, ditio hæc erat paterna Arneſti vel certe ditionibus paternis vicina. S. Apollinaris templum ſtabat altiſſimum; ad quod Arneſtus inprimis condidit Cœnobium, deinde amatos, delectosque Canonicos ſub anno 1349. Raudnicio evocatos induxit. Quæ fundationis litteræ quam dives Cœnobium, qui qualesque ab initio Viri in eo vixerint, aliaque his ſimilia, perditis omnibus monimentis, non poſſum dicere, & brevi etiam eorum comoratione excuſor, nam quatuor & viginti non amplius annis, eum Montem incoluiſſe Canonicos, compertum habeo. Illud æque certum, ab Arneſto doctiſſimo Præſule, doctiſſimos quoque Sackam adductos (Viros a Viro, veteri verbo lectos diceres) quorum ſingulari doctrina commotus Carolus IV. Imperator anno 1363. bona Arneſti Venia, Saczenſes Canonicos Pragam itidem in Montem, qui *Wetrow* appellatus, ad aliud S. Apollinaris templum tranſtulit, ibi ut Sapientiæ ſuus honos eſſet, neve theſſauro abſcondito ſimilis lateret, ſcholas ſacrarum litterarum a Canonicis aperiri, & Juventutem altioribus diſciplinis informari, juſſit. Secuta utilitas Manifeſta : nam ex proxima Wiſſehradenſi Eccleſia Clerici, aliique Juniores Sacerdotes, doctrina invitati, frequentes veniebant. Ergo liberaliſſimus Princeps Montem illum S. Apollinaris totum elegantiſſimis domibus implevit, & Magiſtris Canonicis, quibus jam ante de neceſſariis Arneſtus ſtabili fundatione providerat, victum lautiorem, & cenſus plures, ut ſine Oeconomiæ cura docerent liberius adjecit; quam donationem novam litteris Arneſti confirmatam ſcribit Hagecius. Lætum id ſine dubio Canonicis : Pragæ in urbe, in ſumma doctrinæ authoritate potius, quam in ſolitudine villarum, atque non procul a Carlovienſibus ſuis, quibus Mons S. Apollinaris imminet verſari. Sed neque hic firmum & ſtabile ſolum docta Religio & Religioſa doctrina invenit; in communi omnium Monaſteriorum excidio anno 1420. poſt quinquaginta ſeptem, quam apertæ erant, annos ſcholæ illæ, ſubjecto ab hæreticis igne conflagrarunt, Canonicis dilabentibus. Hic conſilii pulcherrimi & utiliſſimi finis.

SAGANENSE

Collegium, ſeu præſtantiſſima Abbatia, communiter *S. Mariæ de Sagano* ſuo nomine dicta, ſuperioribus ſæculis famoſæ illi ac Venerabili Congregationi Aroaſienſium combinata. Hæc autem apud Sileſios in cognomine Ducatu & Civitate Saganenſi, ſub limite Diœceſeos Vratislavienſis conſtituta, initia ſua ſumpſit anno Gratiæ Humanatæ 1284. quando nimirum Prempko Sileſiæ Dux Saganenſis, idem etiam S. Hedwigis Sileſiæ ac Poloniæ Duciſſæ (decimo tertio Calendas Novembris Martyrologio Romano inſcriptæ) Pronepos, cooperante Fratre ſuo Conrado pro tunc Cathedralis Eccleſiæ Vratislavienſis Præpoſito ac Patriarcha Aquileienſi, Canonicos Auguſtinianos ex Naumburgenſi Cœnobio jam ſupra recitato, in ſuam Saganenſem Reſidentiam & Civitatem transportari fecit, & quidem ad Parochialem Eccleſiam inibi perpetua ſtabilitate firmandos; dehinc omni jure Patronatus & queisvis aliis prærogativis apertinentibus novo huic Abbati ac Capitulo Saganenſi libera ac ſpontanea collatione in id gratioſe collatis, prout amplius patet ex ipſis memoratæ translationis litteris ad poſterorum memoriam taliter exaratis : „ In nomine Domini Amen &c. Ne rerum „ geſtarum ſeries per curſus temporum ſucceſſione labatur e memoria Poſterorum, „ Nos Prempko Dei Gratia Dux Sileſiæ & Dominus Terræ Saganenſis attendentes „ ino-

REVERENDISSIMO PRA[E]TIO D. G. DUCALIS COLLEGII AD
S. MARIAM DE SAGAN[E]BATI SERENISSIMI AC REVERENDISSIMI
PRINCIPIS ET EPISCO[P]STERII SAGANENSIS ASSESSORI
PRIMARIO &c. ADM[O] R[E]DUCATUM SAGANENSEM ARCHIPRESBY-
TERO SS. THEOLOGIÆ[E]GIÆ BACCALAUREO FORMATO SUPPRIORI &

Joann. Franck sc. 1687.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

REVERENDISSIMO PRÆSULI PERILLUSTRI AC AMPLISSIMO DOMINO DOMINO IOAÑI IGNATIO D. G. DUCALIS COLLEGII AD S. MARIAM DE SAGANO CANN. REGG. ORD. S. AUGUSTINI CONGREGATIONIS ARCASIENSIS ABBATI SERENISSIMI AC REVERENDISSIMI PRINCIPIS ET EPISCOPI VRATISLAVIENSIS IN SPIRITUALIBUS COMMISSARIO SUPREMI DICASTERII SAGANENSIS ASSESSORI PRIMARIO &c. ADM. RR. RELIGIOSISS. PRÆNOB. AC CLARISS. DD. MELCHIORI PESCHKE PER DUCATUM SAGANENSEM ARCHIPRESBYTERO SS. THEOLOGIÆ BACCALAUREO FORMATO PRIORI &. BALTHASARI SCHŒBEL SS. THEOLOGIÆ BACCALAUREO FORMATO SUPPRIORI CÆTERISq. CANONICIS CAPITULARIBUS &c. &c. D D D

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



„ inopiam & egeſtatem Religioſorum Virorum Ordinis S. Auguſtini Monaſterii in „ novo Caſtro communi aſſenſu Chariſſimorum Noſtrorum Domini Conradi & Do„ mini Henrici Inclytorum Ducum Sileſiæ, nec non ſolerti cura Venerabilis Patris „ noſtri Thomæ Epiſcopi Vratislavienſis Eccleſiæ accedente ex libero noſtro arbitrio „ Abbatiam de noxo Caſtro in Civitatem noſtram Saganum vulgariter appellatam „ ſane decrevimus transferendam, reſpicientes dictos Viros Religioſos pro zelo, quo „ circa ipſos jam dudum moti ſumus, adhuc & moveri volumus ſtudio interioris ho„ minis in beneficio Parochiæ Jus Patronatus noſtræ dictæ Civitatis in remedium & „ ſalutem animarum Patris & Matris noſtræ felicis recordationis in ſalvo & tranquil„ lo commodo perpetuo poſſidendam. Ut autem hæc tam ſolennis noſtra transla„ tio perpetuam obtineat firmitatem præſentes litteras noſtri ſigilli munimine juſſi„ mus roborari. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſi„ mo octogeſimo quarto præſentibus his, quorum nomina ſubſequuntur, videlicet di„ lecto Confratre noſtro Ulrico de Rac, Domino Reinoldo Rinc, Domino Ottone „ Wolframo Fratre ſuo de Pannowitz, Domino Sifrido de Necherlim, Domino Ja„ cobo Plebano de Wintzig & aliis quam plurimis Viris idoneis & honeſtis. Da„ tum per manus Helmwici Protho-Notarii noſtræ Curiæ octavo Idus Maji, hoc „ eſt in die B. Stanislai Epiſcopi & Martyris.

Eodem anno loci Ordinarius ſeu Princeps & Epiſcopus Vratislavienſis Thomas antedictus de ſpeciali ſui Cathedralis Capituli aſſenſu recenſitam translationem ſimul ac donationem authoritate ordinaria ſolenniter approbavit, & confirmavit proprio quodam Diplomate ad perpetuam rei memoriam taliter exarato: „ In nomine Do„ mini Amen. Nos Thomas Dei gratia Epiſcopus Vratislavienſis notum eſſe volu„ mus omnibus tam præſentibus quam futuris, ad quos præſentes litteræ devolven„ tur &c. Quod cum Illuſtris Princeps Dominus Prempko Dux Sileſiæ & Dominus „ Saganenſis Jus Patronatus Eccleſiæ de Sagano Noſtræ Vratislavienſis Diœceſis, „ quod Jus Patronatus ad eundem Dominum Ducem Prempkonem dignoſcitur de „ jure pertinere, pro ſuæ ſalutis & Progenitorum ſuorum remedio Religioſis Viris „ Abbati & Conventui Fratrum de novo Caſtro Ord. S. Auguſtini libere ac in per„ petuum contulerit, prout in ipſis Domini Ducis litteris ſuper hoc confectis plenius „ continetur. Nos eorundem Abbatis & Conventus precibus favorabiliter annuen„ tes donationem ſeu conceſſionem prædictam, prout provide & rationabiliter facta „ eſt, ratam & gratam habentes, accedente ad hoc Noſtri Vratislavienſis Capituli „ conſenſu, Auctoritate Ordinaria confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio com„ munimus, transferentes Monaſterium ipſum & Abbatiam propter ſecuritatem de „ loco illo, videlicet de novo Caſtro in Saganum ad Eccleſiam ſupradictam, quam ei„ dem Monaſterio in perpetuum ſimiliter de conſenſu Noſtri Capituli conferimus, „ Salvis Epiſcopali, Archi-Diaconali, Legatorum ſeu Nuntiorum Apoſtolicorum Ju„ ribus quoad Canonicam Obedientiam, ſubjectionem & reverentiam, Viſitationem, „ Correctionem, Reformationem, Procurationem, ac Cenſuram Eccleſiaſticam, & „ alia, quæ ad Legem Jurisdictionis & Legem Diœceſanam pertinere dignoſcuntur. „ Volumus autem ut præfati Abbas & Conventus provideant, quod Eccleſia de No„ vo Caſtro officietur per aliquem Fratrem, ita, quod divinis officiis non fraudetur. „ In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum una cum ſigillo noſtri Vratislavienſis Ca„ pituli præſentibus litteris duximus apponendum. Dat. apud Ottimachow 6to „ Nonas Julii anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo quarto præſentibus & „ Conſentientibus Dominis Milleijo Decano, Magiſtro Andrea Archi-Diacono, Jo„ anne Scholaſtico Magiſtro Joanne Cantore, Nicolao Cuſtode, Nicolao Scholaſtico „ Glogovienſi, Witzlao, Stephano, Martino, Helia, Petro de Strelyn, Henrico de Sty„ navia, Laurentio Officiali, Martino Medico, Budivoio & Vice-Canonicis Vratis„ lav. &c.

Eodem itidem anno Duce Prempkone Translatore jam ſupradicto terris demortuo, Germanus frater ejus Conradus Cathedralis Eccleſiæ Vratislavienſis Præpoſitus, idem etiam Patriarcha Aquileienſis in Ducatu Saganenſi Succeſſor proximus novo huic Saganenſi Cœnobio in perpetuam donationem libere perfruendam totum dedit fundum & atrium ſuum cum ſtructuris attinentibus adſpectandum; cujusque modo inædificati perſtant Abbatia & Conventus. Litteræ etiamnum in Originali ſalvæ & integræ donationi ac translationi per omnia conformes iſthic pariter apponi videntur eſſe ſupervacaneæ.

Anno 1517. Leo Papa X. per propriam Bullam quandam Authoritate Apoſtolica clementiſſime datam confirmavit quævis jura ac privilegia Cœnobitis Saganenſibus hactenus quomodolibet indulta, ipſumque Saganenſe Monaſterium in ſpecialem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sedis Apoſtolicæ protectionem recepit anno Pontificatus Sanctitatis ſuæ octavo. Extat etiam Bulla Generalis Concilii Conſtantienſis & alterius Baſileenſis, per quas ſimiliter duobus Epiſcopis Miſnenſi & Poſnanienſi tota Authoritate Pontificia committitur ſeu demandatur ſedulo depoſthac obſervanda ſæpenominatæ Canoniæ hujus Saganenſis contra quosvis malignos & invaſores injuſtos firma protectio. Plures item ſuperſunt largiſſimæ. Indulgentiarum Bullæ tam a Sede Apoſtolica quam Purpuratis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Patribus & aliis Epiſcopis ſæpefatæ Canoniæ huic Saganenſi diverſis temporibus impertitæ. Quamplura ſimiliter qnoque reſtant Diplomata jam olim ab Auguſtiſſimis Romanorum Imperatoribus ceu ſpecialium gratiarum donativa Saganenſibus item Canonicis multifariam indulta. Atque hic ſignanter occurrit notandum, relationem illam ex Polonia Noſtro Gabrieli Pennotto (ut ipſemet fatetur in ſua tripartita Hiſtoria Generali Lib. 2. cap. 40.) factam ſeu transmiſſam, nempe Monaſterium S. Mariæ de Sagano unum ac idem eſſe cum alio quodam itidem Abbatiali Cœnobio (Vratislavienſi ſubintellige) in eadem Diœceſi, & forte etiam Civitate ſituatum, veritati minus eſſe conformem, imo & falſiſſimum, ſiquidem duæ Abbatiæ iſtæ nimirum Saganenſis & altera Vratislavienſis a primo ſtatim ſui exordio, & usque nunc ſub propriis ſeu peculiaribus ſuis Abbatibus omnino diverſis ſemper invicem a ſe fuerunt diſtinctæ.

Series

Reverendiſſimorum ac Ampliſſimorum DD. Abbatum Venerabilis Collegii S. Mariæ de Sagano; quorum omnium genuina effigies in Choro templi usque modo viſuntur depictæ & appenſæ.

I. TILEMANNUS, ultimus Præpoſitus Naumburgenſis ſeu in novo Caſtro; idem & primus Abbas Saganenſis.

II. BURCARDUS.

III. PETRUS.

IV. JOANNES I.

V. GUNTHERUS.

VI. TRUDWINUS.

VII. HERMANNUS ad limina Apoſtolorum digreſſus, inde vero redux Senis in Tuſcia mortuus & ſepultus.

VIII. THEODERICUS.

IX. NICOLAUS I.

X. JOANNES II. magna animi demiſſione præditus, proin apud omnes unice charus & acceptus; juxta quoque Regularis diſciplinæ nunquam non illibate ſervandæ Cuſtos indefeſſus ac ferventiſſimus, dehinc provectæ jam ætatis licet ſeniculus, pedeſter tamen ad Generale Capitulum Aroaſiam in Belgium profectus.

XI. NICOLAUS II.

XII. MATHIAS.

XIII. LUDOLPHUS, in Concilio Conſtantienſi ſub annum Chriſti 1418. præclarus, ſed & ob inſignem morum pietatem ac profundam ſacrarum litterarum ſcientiam Patribus ibidem unice gratus, demum etiam poſt mortem a Suis Albo gratæ memoriæ calculo notatus.

XIV. HENRICUS I. ob ſtrenuum Eccleſiaſticæ libertatis defenſionem a Joanne Sileſiæ Duce ferventiſſimo Huſſiticæ hæreſeos fautore & Tyranno ferociſſimo captivatus, & in tetram cuſtodiam abreptus. Etiam oculo dextro (cum jam prius etiam ſiniſtro utcunque tandem fuiſſet deſtitutus) miſerrime privatus, item menſibus ſex & ultra male paſtus, auram vitalem hauſit, unde tamen poſtmodum dimiſſus, quamvis luminibus orbus Abbatia ſponte reſignata, biennio adhuc ſuperſtes manſit, & toto reliquo tempore ſolitas ad populum conciones e publica Cathedra declamandas nunquam intermiſit.

XV. HENRICUS II. ex avita Sileſiorum proſapia de Stislau progenitus:

XVI. AUGUSTINUS.

XVII.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XVII. SIMON.

XVIII. MARTINUS.

XIX. PAULUS I. ab Haugwitz inter Antiſtites Saganenſes omnium primus Authoritate Apoſtolica Sacris Inſigniis Pontificalibus donatus.

XX. JODOCUS.

XXI. CHRISTOPHORUS, ex hoc ſolo nimium quantum infelix, quod ſub ſuo Regimine triſtis admodum & invitus videre coram debuerit Patriam ſuam ut puta totam pene Sileſiæ Provinciam multifariis & execrandis Novatorum dogmatibus deformatam.

XXII. PAULUS Lemberck, qui non ſolum ab avita Patrum Religione, ſed etiam a Canonico Ordine & Religioſo ſtatu turpis Apoſtata factus conſilio & exemplo ſuo peſſimo, velut alter Lucifer, etiam alios in eandem perniciem attraxit, inſuper quoque Patri & Magiſtro Luthero abortivo quaſi per omnia ſimilis factus Monialem quandam itidem Apoſtatricem in ſceleratiſſimam execrandi thalami ſociam aſſumpſit; ex tunc idem ipſe in Lignicenſi Sileſiæ Ducatu Curionis heterodoxi miniſterio perfunctus, tandem eo miſeriarum fuit adactus, ut ultima egeſtate preſſus panem oſtiatim mendicans ultione divina mulctatus miſero miſerabilior obierit mortem ſane miſerrimam ac turpiſſimam non ſolum temporalem, ſed etiam ſempiternam.

XXXIII. JACOBUS. Hujus ut & alterius Succeſſoris in Abbatiali munere proximi controverſias illas & triſtes admodum in cauſa Religionis rerum viciſſitudines ſane fuiſſe graviſſimas ſimpliciter atteſtatur Martinus Zeillerus in ſua Itinerarii Germaniæ Continuatione cap. 30. fol. 651. ita legendus: *Alſs* Anno 1539. *Herzog Georg zue Sachſsen geſtorben, ſo hat man in der ſtatt Sagan Evangeliſch* (ſecundum novum dogma Lutheri ſubintellige) *zue prädigen angefangen, ſo ſchon vorhin in den dörffern herumb geſchechen, wiewohl Herzog Georg ſolches offt abzueſchaffen vermeint hat.* Anno 1549. *als König* Ferdinandus *diſſes Fürſtentbumbs ſambt den Biberſteiniſchen Herrſchafften Sora, Tribel, Fridlandt &c. Marggraff Georg Friderichen zue Brandenburg an ſtatt Oppolen und Ratibor (ſo ſeinem Herrn Vattern, Marggraff Georgen für eine gewiſſe Summa geldts verſſezt geweſſen, vnd der König damahlen der Königin Eliſsabethen in Vngarn, als ſye ihme Sibenbürgen abgetretten. zueſtellen laſſen) vbergab: da mueſte* anno 1557. *aus Befelch des Marggraffens der Abbt die Pfarrkirchen der Statt wider einraumen, vnd die Jährlich beſtimbte* Penſion *für die Kirchen vnd Schuel-diener hergeben. Aber* anno 1558. *wurde der Marggraff bezahlt, vnd mueſte wider abtretten, daher der Abbt auf ein Neues zue klagen angefangen, vnd es auch* anno 1560. *erhalten hat, vnd die ibrige ſelbſten beſolden müeſte. Erlangte doch entlich, das die Burger ihr kleines Paarfüeſſer Kirchlein erwaitern möchten.*

XXIV. SIMON. Hic templo Monaſterii ſui per Joannem Fridericum Saxoniæ Ducem, eumque id temporis dominio ſeu Ducatu Saganenſi potitum primarium Lutherani dogmatis fautorem iniquiſſime ſpoliatus, ſed & cum paucis (qui in confeſſione fidei Orthodoxæ permanſerunt ſtabiles) Religioſis Canonicis ſuis contumelioſe nimis habitus, imo & Religioſis veſtibus exutus ac bonis temporalibus in totum deſtitutus, proin ſolo pane tribulationis ſuſtentatus, ſimul atque ærumnis plurimis confectus juxta tamen forti animo in avita Religione Romano-Catholica & Apoſtolica perſiſtens, tandem vita defecit temporali pro meritis aſſecutus æternam anno non notato.

XXV. ANDREAS Ruperti, Vir juſtus atque perfectus in generatione ſua, qui coram Deo ambulavit, ſed & ob Religioſam patientiam multifarie demonſtratam apud omnes ſummopere commendatus; item & rara vitæ pietate fulgidus, continuo quoad clauſtrale regimen tenuit, nemini non gratus & acceptus in lucidiſſimum Religioſæ pietatis exemplum ubique præluxit.

XXVI. GEORGIUS Nobilis Polonus Patria Cracovienſis.

XXVII. FRANCISCUS I. infinitis quaſi calumniis & diriſſimis hæreticorum exactionibus ſat diu vexatus.

XXVIII. FRANCISCUS II.

XXIX. JACOBUS II. ſolers Oeconomus fuiſſe in publicis tabulis oppido commendatus.

XXX. FRIDERICUS in brevi ſolerter explevit tempora multa utpote Cœnobio ſuo haud dubie plus ultra profuturus, niſi præter ſpem citius defeciſſet morte naturali ſublatus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XXXI. ZACHARIAS itidem per omnia laudatus.

XXXII. NICOLAUS III.

XXXIII. PAULUS III. ſuſcitata famoſa illa ſub annum 1618. Boëmorum rebellione Monaſterii ſui templo tum etiam bonis mobilibus ac queisvis utenſilibus veſana Acatholicorum rabie ſacrilege privatus, maluit etiam reliquis bonis ac poſſeſſionibus temporalibus in totum cedere, quam contra legitimum Terræ Principem Ferdinandum II. Romanorum Imperatorem ac Sereniſſimam Domum Auſtriacam cum hæreticis Provinciæ Statibus Friderico Pſeudo-Regi Boëmiæ juramentum fidelitatis præſtare.

XXXIV. VINCENTIUS immatura morte præreptus vix ad biennium præfuit.

XXXV. HIERONYMUS, ſæviſſimo belli Suecici diſturbio cum Suis fugit, & exulavit in Polonia, Sueco Milite totum interim Cœnobium & quasvis appertinentes poſſeſſiones illius violenter occupante.

XXXVI. CASPAR I. totius Clauſtri ſui maximis bellorum injuriis miſerrime laceſciti ſedulus Reſtaurator.

XXXVII. CASPAR II. Clauſtralium Canonicorum ſuorum numerum longæva temporum ac bellorum calamitate ſatis imminutum, imo & ad pauciſſimos redactum, inſigniter augmentaſſe laudatus.

XXXVIII. SIXTUS, SS. Theologiæ Doctor, Protonotarius Apoſtolicus, S. C. M. Conſiliarius &c. citius præter ſpem fatis urgentibus extinctus.

XXXIX. JOANNES Ferdinandus Liber Baro a Somerſeck, uno infelix caſuali incendio, quod (ipſo peregre profecto) totum Monaſterii ædificium in nihilum redegit.

XL. JOANNES Jacobus in accepta Prælaturæ dignitate brevi ſolum vivens tempore contra ac multis magnisque corporalibus repletus miſeriis demum miſerabiliter phtyſi conſumptus.

XLI. JOANNES Ignatius cognomento Peſchke, Patria Glacenſis, ex Præpoſito Naumburgenſi ad Hebrum, vel vulgo Boberum, in Prælatum Anno Domini 1679. electus. Vir erat omnigenæ virtutis laude conſpicuus, a Diva Virgine jam ut adoleſcens ex variolis cæcus viſum recepit. Præcipue vero enituit in eo profundiſſima humilitas, quæ mox initio introductionis ſuæ Prælatitiæ in Eccleſiam eximium cœlo gratum edidit partum; deflebat nempe amare humeros ſuos impares eſſe tantis oneribus Canoniæ ære alieno gravatæ, atque inſuper lamentabili caſu tunc in cineres redactæ ſuſtentandis, utut omnibus perſpicuum eſſet, tum ob præclaras virtutes, dexteritatem, ſpemque in Deum firmiſſimam omnibus omnino eſſe parem. Teſtatus eſt & idipſum eventus; nam qui humilia reſpicit & alta a longe cognoſcit, Regimini illius adeo benedixit, ut de congrua habitatione nobis iterum proviserit aliquotque debitorum millia expungere valuerit. Verum a Supremo Numine ad ſublimius virtutis meritum reſervatus, & ut tanquam aurum in fornace probandus, patientiæ aurum ſingulare mundo Chriſtiano evaderet amabile & Angelis gratum; noviter per malignum hominum quendam, qui defacto neſcitur, terrifico incendio non ſolum majorem partem Canoniæ, verum etiam totam pene Civitatem Deus conſumi permiſit. Unde factum eſt, ut lingua civium a bile commota non ſolum nos in faciem contumelioſe incendiarios vocarit, ſed & ipſum innocentiſſimum Præſulem illorum quidam eadem contumalia afficere non erubuerit. Conabatur ſiquidem Reverendiſſimus Prælatus licet ex triennali hydrope viribus prope exhauſtus pedes ſe flammis voracibus ſubtrahere per portam minorem civitatis, ſed vix appropinquabat portæ, obviam venit civium unus, qui cum oculos Baſiliſæ induere non valeret viſu ſuo rabido vitam ei adimendo, linguam eo fortius acuit veneno ſuo ſerpentino cor ejus in impatientiam provocaturus hiſce verbis: *Gehſtu nun fort du alter Mordbrenner?* Quæ tamen omnia patientiſſimus Præſul invicto animo pertulit recuſans omnem vindictam ſibi a Pro-Capitaneo oblatam, quærens unice per crucis viam ſequi Præcurſorem ſuum Chriſtum, in cujus manus non multo poſt emiſit ſpiritum ſuum optime de Canonia meritus 4ta Decembris Anno 1688. fuit ætat. annorum 56. Profeſſ. 31. Abbat. 9.

XLII. ANDREAS Adalbertus cognomento Thil, ex Parocho Kuntzendorffenſi, Patria Schönbornenſis, loco quidem humili natus, ſed ob plane eximias virtutes, raram dexteritatem, auream facundiam, præclaram ſcientiam merito dicendus Vir numeris omnibus abſolutiſſimus, æterna Poſterorum memoria digniſſimus. Habebat ipſe

ipſe nocte ipſam electionem antecedente ſomnium vere ominoſum. Videbatur eidem in ſomniis teterrimus Æthiops humeris incubare, a quo multum feſſus liberari non potuit, donec illum extra Canoniæ ſepta elatum humeris ejeciſſet. Subſecuta electione facile erat interpretari ſomnium; reperit etenim Neo-Electus Æthiopem humeros ejus gravantem, Canoniam nempe majori ex parte exuſtam. Lavit nihilominus Andreas Æthiopem rore cœli, ac decoram Collegio Canonico dedit formam & quidem intra unius anni ſpatium; debita, quibus gravabatur Canonia, demum in totum brevi extinxit, ita ut omnes in ſummam admirationem rapti dicerent hanc mutationem eſſe luculenter uberrimæ cooperantis Dexteræ Excelſi. Nec minora beneficia ab hoc amatore Domus Dei ſenſerunt Eccleſiæ; Sacellum ſiquidem S. Annæ ad decorem inſtauravit, in honorem ejusdem ſuæ utpote ſingularis Patronæ Congregationem erexit, quam mox hominum copia adauxit. Majorem Eccleſiam noſtram pompoſo & ſumptuoſo ſummo Altari, novo Choro & ſcamnis arte ſculptoria mirifice elaboratis ad ſingularem ſplendorem exornari fecit. Denique pretioſos ornatus, vaſa argentea, & alia copioſa ex argento artificioſe facta ſplendori Eccleſiæ ſervientia, in quæ ſæpius plura millia laudabili prodigalitate expendit; Ædificia ab eo erecta tot numerantur, ut numerum centenarium longe excedant, inter quæ turres & Eccleſiæ complures ex fundamento noviter exerexit, alias renovatas ſplendide exornavit, ita quidem, ut fere omnes, ſi paucas excipiam, Diſtrictus Saganenſis Eccleſias in aliam formam ſplendidiorem mutari fecerit, quæ omnes eundem usque nunc ut Patronum munificum reſpiciunt, dilaudant, deprædicantque. Virtus demum quanta in hoc piiſſimo Præſule eluxerit omiſſis aliis vel exinde luculenter pateſcit, quod pauperes eum & ſubditi noſtri non tam ut Dominum quam munificentiſſimum & clementiſſimum Patrem amore maximo ſint proſecuti, quos utpote manſuetiſſimus charitate ſibi devinxerat. Verbo: non tantum in interno ſed & in externo regimine talem opere ſe exhibuit Rectorem Sapientiſſimum, qui non poteſtate dominante, ſed charitate ſerviente ſe exiſtimat felicem. Unum eſt quod omnibus erat cordolio, talem Inſigniſſimum Dominum, qui jure merito Secundi Fundatoris titulo inſigniri poteſt, vitam diutius protrahere non potuiſſe, mortuus eſt enim piiſſime in Domino Anno 1702. die 3. April. poſtquam præfuiſſet Canoniæ 13. ann. fuit ætat. 54. ann.

XLIII. GEORGIUS Franciſcus cognomine Müller ex Parocho Priſnitzenſi, Prædeceſſori ſuo non diſſimilis. Novit hic probe feliciori regimini amicos eſſe perneceſſarios, hinc a Prædeceſſore ſuo Roma expedita & adepta SS. Martyrum *Chriſtiani* & *Theodati* Lipſana ex templo Societatis Jeſu hujus Civitatis tranſtulit in Sacellum noſtrum S. Annæ dicatum & a Prædeceſſore ſuo reſtauratum. Demum mox ut Domus Dei Zelator erat eximius, ita Eccleſiæ ornamentum jam primo Præſulatus ſui tempore conabatur perquam laudabili zelo ædificare Anno 1708. a fundamentis Eccleſiam Priſnitzenſem Regularem tanta regularitate elegantiaque, ut intuentes omnes tum in raram admirationem tum teneram conſolationem rapi omnino videantur. Non minus Domum Parochialem ibidem cooperantibus Parochianis itidem a fundamentis erexit Anno 1715. quæ & Canonico dignum decorem & commoditatem copioſam ſubminiſtrat. Oeconomiæ non ſolum ſolerti vigilantia zeloſus Pater pro Filiis impræmiſſe dedit oculos, ſed etiam magna ex parte dexterrime adauxit, quando Prædium in Bullendorff quondam a Canonia cum Scultetia in Neüwalde permutatum recuperavit, & jus braxandi & epocillandi pro pagis noſtris Schönborn, Briſnitz, Kalckreüte, Rengersdorff, Neüwalde, Reichenbach, Diebau, Greiffenhain; item in Pagellis Præpoſituræ noſtræ Neo-Caſtrenſi ad Hebrum ſubjectis, Altklepen, Popowitz & Zedelsdorff a Camera Cæſarea redemit. Jurium quoque Canoniæ acerrimus erat Propugnator, ne Canoniæ vel ad unguem detrimentum eveniret; ideoque cum quidam Nobilis de Gladis in molendini noſtri præjudicium molendinum extruxiſſet ad torrentem Briſnitz, æquo & bono conſulens noſter Georgius tam convincentibus argumentis eidem occurrit, ut per ſententiam Cæſaream cauſa caderet & recenter ædificatam machinam demolire debuerit. Verum uti nulla etiam dignitas Cruciata quin crucietur quandoque, ita & Georgius, ut ſæpius Prædeceſſores ſui, ſuam Jobea tamen magnitudine crucem humeris excepit; Sueci quandoquidem Anno 1707. graſſantes non ſolum illum in Sileſia magnis onerarunt curis, ſed & in Lauſatiæ, Saxoniæ incorporatæ, pagis noſtris adeo exactionibus repetitis infeſtarunt, ut ab unico Prædio in Kuntzendorff propter iniquam ejusdem prædii Indictionem non tantum multos centenos modios avenæ præter innumera plauſtra fæni, ſed & multa millia in parata pecunia pendere debuerit ad evitandam, quam minitabantur incinerationem. Et denique quod peculiare virtutis Joanneo-Auguſtinianæ ſemper explevit monitum, eſt: quod Canonicos ſuos omnes profuiſſima charitate ſit proſecutus; rexit amore, correxit amore

omnium corda hoc modo flectens in ſua vota, quos & usque in finem dilexit. Poſt multas tandem ſuperatas calamitates una illum apprehendit, quam non niſi morte vincere potuit, fuit autem hydrops; quæ cum ſenſim caſſo Medicorum conatu invaluiſſet, omnibus Sacramentis munitus, ſenſibus integris placidiſſime obdormivit Anno 1720. ætat. 62. Profeſſ. 38. Abbat. 19no.

XLIV. CHRISTOPHORUS II. nulli Secundus, quem rara virtus, profundiſſima ſcientia cum longa experientia Præſulatus dignitate fecit digniſſimum. Contigit equidem, ut noviter ſuos Commiſſarios Princeps territorialis moliretur habere in futuro electionis ſcrutinio, ſed quia hoc utpote a Sacris Canonibus diſſonum tum Saganenſes Canonici, tum Epiſcopus admittere recuſarunt. Unde factum, ut toto ſexennio per Epiſcopum cauſam egerint in Aula Cæſarea, donec per Sententiam Imperatoriam Ducatus Commiſſarii in perpetuum excluſi & Cæſarei Subſtituti, ac demum ipſe, qui jam tunc hunc Præſulatus gradum digniſſime aſcendiſſet primo poſt ſex omnium tum Canoniæ hujus cum totius Civitatis applauſu Anno 1726. d. 15. Januarii ad eundem eſt gaudioſiſſime evectus. Intra quod Sexennium *Chriſtopborus Julianus* Adminiſtratoris principalis officium optatiſſimo ſucceſſu exegit omen luculentiſſimum relinquens, quod futurus Prælatus, Chriſtophorus futurus ſit vere Secundus. Non tamen defuit interregni tempore ipſi præclaræ patientiæ edendi occaſio. Confugerat namque eo tempore quidam Vice-Admiralis Suecicus ad noſtram Canoniam, quem ut extradere cogeremur, milites equeſtres, pedeſtres & Civium turmæ Canoniam qua poterant loco circumvallarunt diu noctuque clamoribus nos inquietantes; nihilominus Adminiſtrator laudatiſſimus Chriſtophorus utut ex immenſis laboribus feſſus quietem capere haud potuerit, tamen patientia exemplari ſuſtulit, donec Vigiliæ poſt longas obſidiones caſſo conatu diſcedere debuerint. Verum non tantum *Chriſtopborus* in multiplicem fructum Canoniæ laboravit ante adeptam dignitatem Theologiam docendo, ex cathedra ut Curatus 23. annis diſertiſſime & fructuoſiſſime dicendo, Prioris munus per annos 15. ad amuſſim exequendo, ſed ut Præſul fructus præclariſſimos protulit. Bibliothecam pretioſis libris adauxit, eandemque media parte ampliavit in formam elegantem. Singulis ita proſpexit muniis, ut ſingulis ſe totum dederit. Et quamvis Anno 1730. d. 22. Auguſti per noviter exortum incendium terribile cum tota fere Civitate Canonia hæc media ex parte in cineres abierit, ſolerti tamen Chriſtophori induſtria eſt reſtituta.

SAGANENSE

Aliud ibidem loci ſeu in Suburbio Saganenſi conſtitutum unius ejusdemque Canonici Ordinis Contubernium a Premckone Duce Sileſiæ ſupradicto ſub finem ſæculi decimi tertii una cum Hoſpitali quodam ſimul ſuperaddito primum pro Clericis (uti videtur) Sæcularibus apparatum, ſubinde vero a morte ejusdem Premkonis gratioſa liberalitate germani fratris Conradi itidem Ducis Saganenſis ſupradictæ Abbatiæ Saganenſi pleno jure ſubditum & incorporatum fuit, prout latius patet ex litteris ab eodem Domino Donatore in perpetuam rei memoriam impertitis, quarum copia talis eſt: *In nomine Domini Amen &c. Ea quæ pro Religionis honeſtate ac Religioſorum commodis provide ordinantur, principali ſunt munimine roboranda, ut ſuſcipiantur devotius, & diligentius valeant obſervari. Nos itaque Conradus Dei gratia Dux Sileſiæ, Dominus Sagani, Præpoſitus Uratislavienſis præſentibus profitemur, & ad notitiam ſingulorum volumus devenire, quod cum inclytæ recordationis Premko Dux Sileſiæ & Dominus Sagani Frater noſter Hoſpitale in proprio Saganenſis Civitatis ſuæ, fundo aliorum quoque Devotorum Eleemoſynis conſtructum Conventui Domus S. Mariæ ibidem contulerit, prout per ejus publica nobis patuit documenta, precibus Honorabilis Viri Fratris Petri dictæ domus divina providentia Abbatis favorabiliter inclinati, præfatam donationem gratam habentes ipſam præſentis ſcripti patrocinio confirmamus, noſtræ quoque Salutis non immemores Jus Patronatus dicti Hoſpitalis, vel quæcunque alia jura nobis in ipſo poſſent competere, ipſi Abbati ac ejus Succeſſoribus, totique Conventui in eadem Domo ſub Habitu & Ordine B. Auguſtini regulariter degentibus contulimus perpetuo pacifice poſſidenda. In cujus rei teſtimonium & evidentiam pleniorem hanc litteram noſtro ſigillo dari juſſimus conſignatam. Actum anno Domini milleſimo trecenteſimo tertio præſentibus Dominis Boguſchio de Wiſenburg, Wolframo de Pannowitz, Petſchkone de Hetzlech, Ottone de Knoblochsdorff, Gerlaco de Hartmansdorff militibus. Jacobo Plebano de Wintzig, & aliis pluribus. Dat. Sagani per manus Friderici de Puntenſte Notarii noſtri ſeptimo Idus Julii.*

Eodem

Eodem decurrente supra dicto anno 1303. recensita memorati Hospitalis Saganensis Donatio & incorporatio Regularibus Canonicis S. Mariæ ibidem facta Ordinaria quoque authoritate comprobata fuit & confirmata sequenti Diplomate: *In Nomine Domini Amen. Etsi Nostrum quorumlibet subditorum promotionibus & commodis intendere nos deceat, præcipue tamen illorum, qui abjectis vanitatibus hujus mundi in Regulari habitu sponte se divinis obsequiis manciparunt, ut tanto ferventius divinis laudibus sint intenti, quanto sincerius a liberalitate nostra se senserint coadjutos. Hinc est, quod Nos Henricus Dei gratia Episcopus Vratislaviensis notum esse volumus universis præsentem paginam inspecturis, quod Religioso Viro Domino Petro Abbate Saganense Ord. B. Augustini ad nostram præsentiam accedente ac petente humiliter, ut donationes pias de Hospitali apud Saganum constructo de Jure Patronatus ac aliis quibuscunque juribus in eodem ipsi Abbati & Monasterio sive Conventui in Sagano factas liberaliter per Illustres Principes Dominos Prempkonem, piæ recordationis olim Ducem Silesiæ, & Dominum Sagani & Conradum Dei gratia Ducem Silesiæ & Dominum Sagani Modernum, nec non & Præpositum nostræ Vratislaviensis Ecclesiæ sic prout ex instrumento authentico ejusdem Domini Ducis Conradi non cancellato, non abolito, non vitiato. De aliqua sui parte, sigillato cum vero sigillo ipsius Domini Ducis Conradi per prædictum Dominum Petrum Abbatem coram nobis exhibito evidenter nobis constitit, ratificare, & confirmare de nostra benevolentia dignaremur.*

Nos itaque Domini Abbatis justis petitionibus inclinati pias donationes prædictas, quemadmodum expressæ sunt in præfati Domini Ducis Conradi instrumento, quod de verbo ad verbum transcribi fecimus, & præsentibus inseri, ratas & gratas habemus, & tenore præsentium confirmamus. Tenor autem prædicti Instrumenti est talis: In Nomine Domini Amen. Ea quæ pro Religionis &c. ut supra. Ad evidentiam autem & testimonium evidens præmissorum præsentes litteras scribi fecimus & nostri sigilli munimine roborari. Actum Gloggoviæ Idibus Septembr. anno Domini Millesimo trecentesimo tertio præsentibus Domino Wulthero Scholastico Vratislaviensi, Andrea de Wisenburg Canonico nostro ibidem Helmico Plebano de Stynavia, Nicolao de Bansitz, Petro Bartholomæi Capellanis Curiæ nostræ. Datum per manus Magistri Arnoldi Notarii nostri.

Eodem itidem anno novum altare quoddam in Ecclesia supradicti Hospitalis Saganensis ministerio Suffraganei Vratislaviensis ritu solemni de more fuisse consecratum novimus ex testimonio ab ipsomet Domino Consecratore ad perpetuam rei memoriam in scriptis dato, quod tale est: *In nomine Domini Amen. Nos Frater Hartungus Dei gratia Episcopus Semgallensis notum esse volumus universis præsentibus & futuris hanc paginam inspecturis, quod ad petitionem Domini Petri Abbatis Saganensis omniumque Fratrum suorum ibidem commorantium in Ecclesia B. Virginis Mariæ Parochiæ Civitatis jam dictæ anno Domini Millesimo trecentesimo tertio in Dominica, qua cantatur Judica, consecravimus Altare in eadem Parochia Hospitalis infirmorum in Honorem S. Spiritus Sanctique Michaëlis Archangeli ante januam civitatis supradictæ, jure & justitia pertinens Parochiæ Domini Abbatis Canonicorum Regularium Ord. S. Augustini, & Fratrum suorum in omnibus subjacendo ut Filia Matri, & ne super hujusmodi contra Dominum Abbatem jam sæpius memoratum & ejus Successores & Fratres ejus ibi Deo deservientes imposterum & nunc contrarietatis quisquam quæstionis moveret, vel quomodolibet attentaret, Nos Frater Hartungus Dei gratia Episcopus jam dictus publice profitemur & protestamur his scriptis & sigillo nostro hanc Cedulam pro certiore robore consignamus, coram omnibus Fratribus nostris minoribus Gardiano Jacobo Romschone, & Theodoro Notario nostro & aliis quam plurimis. Dat. Sagani anno supradicto & scriptis Apostolicis in perpetuum roboratum.*

Cæterum Saganensis Præpositura hæc cum annexo Hospitali in Suburbio (ut ante dictum est) Saganensi hodiedum inclyta quamvis proprium aliquem & Regularem ex gremio Abbatiæ Saganensis defumi solitum habeat Præpositum, ipsa tamen plenissimo jure sæpefatæ Abbatiæ ad S. Mariam de Sagano manet subdita & incorporata.

SALEFELDENSE

Principatus Altenburgensis (ad Serenissimam Familiam Saxonicam adspectantis) oppidulum in Turingia superioribus Sæculis præclarissimum aliquod habuit Ordinis Canonico-Augustiniani Cœnobium, istud tamen vertentibus annis in Ascæterium Monastico-Benedictinum transmutatum de quo Trithemius Abbas in sua Hirsaugiensi Chronica Tom. 1. ad annum Christi 1075. ita scribit: *Beatissimus Præsul Anno tria Ordinis nostri (Benedictini) Monasteria constructit de novo; duo videlicet in sua Diœ-*

cesi Colonienſi hoc eſt Segeberg & Grafffchafft, tertium vero in finibus Thuringorum paucis ab Erfordia milliaribus, quod Salefeld nuncupatur a præterfluente alveolo, qui Sala dicitur. Et ſic ille loco cit. Verum hic notandum, primam Clauſtri hujus fundationem (ut jam dictum eſt) pro Canonicis Regularibus fuiſſe factam clare ſatis ex Lamberto Schaffnaburgenſi prodit Nebridius noſter in ſuo Antiquario Monaſtico Epiſt. 21. fol. 89. ſub his verbis: *Cum S. Anno Colonienſis Archi-Epiſcopus expulſis de Salefeld Canonicis vitam illic inſtituiſſet Monaſticam miſſis eo de Sigeberg & de S. Pantaleone,* (Colonienſi) *Monachis, non diu poſt populus furens hoc in animum induxit, ut Monachos de S. Pantaleone omnes trucidaret, pro eo, quod expulſis ab Archi-Epiſcopo prioribus Monachis, novum illic inuſitatumque Religionis genus inſtituiſſet &c.*

SALINA,

Comitatus Burgundiæ Urbs quidem parva, ſed tamen culta ad Foricam amnem ſex leucis diſtans a Dola & totidem a Veſontione olim quidem ſatis munita, verum anno 1668. a Ludovico XIV. Galliarum Rege jure belli capta, & ſecundum omnes (quas tamen ingentes habuit) munitiones, duas item arces fortiſſimas omnino lacerata & disjecta Canonicorum Regularium Monaſterium aliquod habet a noſtro Gab. Pennotto in hiſt. general. tripart. lib. 2. cap. 33. num. 9. in hæc verba relatum: *In Archi-Diœceſi Biſuntina poſt Metropolitanam Biſuntinam ſecunda* (de Ordine Canonicorum Regularium) *eſt Abbatialis Eccleſia de Gallia in oppido Salinarum, quam circa annum Domini 1200. fundavit ſtrenuus & excellens Vir Dominus Gautherius Dominus de Salinis, qui, ut fertur, tria Monaſteria uno die fundavit: Primum de Roſerio Ordinis Ciſtercienſis. Secundum S. Mariæ de Gollia. Tertium de Monte S. Mariæ itidem Ordinis Ciſtercienſis. Reſident in ea decem Canonici Regulares ſub Abbate fiduciario. Hujus Monaſterii in Libro Taxarum Apoſtolicarum mentio habetur.*

SALINARUM

Aliud ibidem Regularium itidem Canonicorum Aſceterium ab eodem Pennotto citato vel breviter ſic habetur annotatum: *Meminit alterius Canoniæ S. Martini in oppido Salinarum fundatæ per Canonicos S. Joannis Biſuntini Innocentius III. in Epiſtola ad capitulum S. Joannis Biſuntini data, quæ habetur Lib. 1. fol. 121.* in qua inter alia hæc habet. Inde eſt quod cum in Eccleſia S. Martini, quam habetis apud Salinum juxta facultates Eccleſiæ Ordinem Canonicorum velitis inſtruere, ſicut fuit in Auditorio noſtro propoſitum. Nos veſtro propoſito grata volumus condeſcendere voluntate vobis præſenti pagina indulgentes ut habito aſſenſu Venerabilis Fratris noſtri Biſuntini Archi-Epiſcopi, nullius appellatione vel contradictione obſtante laudabile propoſitum valeatis effectui mancipare.

SALISBURGENSIS METROPOLITANA.

Ad Canonicorum Regularium Inſtitutum circa annum Domini 1122. ter inclytam hanc Archi-Epiſcopalem Eccleſiam ſatagente Beato Conrado Archi-Epiſcopo fuiſſe devolutam, uti erudite, ita ſatis fideliter referunt tres Clariſſimi Doctores & Auctores Hiſtoriæ Salisburgenſis, ut ex iisdem hic paulo inferius memorabimus: at ſi prima ejusdem incunabula, & una S. Rupertum eidemmet Inſtituto Canonico vindicare voluero, eorummet Authorum opinione, rem dixero Mezgeri Hiſt. Salisburg. fol. 129. *quæ nullo argumento probari queat.* Ipſe fateor usque adeo communem pro antiquiſſima, primaque Benedictinorum hujus Metropolitanæ profeſſione perſuaſionem invaluiſſe, ut opinio contraria, niſi firmetur ſolidis rationibus exiguam aut nullam etiam apud Doctos repertura ſit fidem. Nihilominus non poſſum non loqui, quæ ab aliis in rem meam ſat ſolide dicta reperio. Certum inprimis eſt, a multis in dubium trahi, imo etiam negari Monachatum S. Ruperti, & primorum Eccleſiæ S. Petri Salisburgenſis Incolarum, ut loc. cit. fatentur ipſimet Authores Hiſtoriæ Salisburgenſis, & animadvertit Bollangus in fine Commentarii prævii ad vitam S. Ruperti, & ſi vera ſunt, quæ is ipſe Lollandus de Sanctiſſimo Ordine Benedictino Tom. 1. febr. fol. 495. n. 7. ſcribit, Eum initio ſexti ſæculi extra Italiam nondum fuiſſe propagatum, Inſtitutum Benedictino Monaſticum Monaſterio a ſe recenter condito inferre non potuit S. Rupertus, a quo tamen anno circiter 582. fundamenta Salisburgenſis Eccleſiæ jacta fuiſſe antiquis tabulis conſtantique traditione convicti ſtatuunt ſæpe laudati Doctores Authores Hiſtoriæ Salisburgenſis fol. 13. Cum ergo ex una parte Scripto-

Scriptores probatæ fidei primam Monachotum in Monaſterio S. Petri poſſeſſionem vel in dubium trahant, vel abſolute negent, vel quod plus eſt ex defectu propagatæ Regulæ Benedictinæ improbabilem pronuntient, ex altera vero parte rationes ſatis graves Canonicis Regularibus S. Auguſtini ſuffragentur, citra Benedictinorum offenſam, velut opinionem vere probabilem ſtatuo, S. Petri Cœnobium, adeoque ipſammet Sedem Epiſcopalem a Regularibus Canonicis a prima ſui fundatione ſub Abbate & Epiſcopo S. Ruperto ejusdem Inſtituti Conſorte fuiſſe adminiſtratam. Rationem hujus aſſerti inprimis deſumo ex Lectionibus ſecundi Nocturni, quas Canonici noſtri Windeſimenſes a S. Congregatione approbante SS. P. N. Pio V. pro Feſto S. Ruperti in hunc omnino tenorem impetrarunt: „ Rupertus Vangionum Wormatiæ Epiſcopus ex nobili Proſapia Regum Franciæ & Scotiæ oriundus a Sanctiſſimo Viro „ Scotiæ & Hyberniæ Apoſtolo Patritio ad Chriſti fidem converſus, & baptizatus eſt. „ Hic carnis nobilitatem fide ac pietate in Deum eximia mirifice illuſtravit. Parentibus ſiquidem relictis, ſpretis opibus, ac poſthabitis voluptatibus ſæculi hujus Deo „ militare elegit. Regularibus & Eccleſiaſticis diſciplinis imbutus Canonicam S. Patritii converſationem æmulatus eſt &c. „ Deinde Lectione ſexta habentur ſequentia: „ Ille vero cum congregatis ad Epiſcopalem Sedem ſuam Presbyteris & „ Clericis, juxta Apoſtolicæ vitæ canones, & normam a S. Patritio ex Lateranenſi „ Patriarchio in Scotiam ablegato acceptam, vitam inſtituens factus ipſorum Rector „ & Exemplar &c. „ In his dictis Lectionibus aſſeritur S. Rupertum adhuc in Scotia commorantem Canonicam S. Patritii converſationem fuiſſe æmulatum, & poſtmodum in fundato a ſe S. Petri Cœnobio Clericos juxta normam a S. Patritio ex Lateranenſi Eccleſia allatam inſtituiſſe, hæc autem norma vivendi erat illa ipſa, quam S. Auguſtinus inter Clericos Hipponenſis Eccleſiæ inſtauravit, legibusque munivit, S. Gelaſius Papa & Auguſtini Diſcipulus in Laterano inſtituit, Sanctusque Patritius ex Patriarchio Lateranenſi acceptam in Hybernia & Scotia propagavit, diſcipulisque ſuis, quibus & accenſemus S. Rupertum, per alias mundi plagas propagandam commiſit; quod fuſe deductum videri poteſt apud Pennottum noſtrum in hiſtoria triparti ta. Pro dictorum confirmatione ſuperaddo, quæ in rem noſtram leguntur in veteri vita S. Ruperti n. 4. & 5. quam allegat Anonymus noſter Pariſienſis in Diſquiſitionibus de Ordine Canonico fol. 138. hiſce formalibus: Itaque Sanctus Antiſtes poſt Walarienſem Eccleſiam B. Petro dedicatam & dotatam, *Juvavii Epiſcopii Sedem ſtatuit, primo Deo formoſam ædificans Eccleſiam, quam in honore S. Petri Principis Apoſtolorum dedicavit; ac demum Clauſtra cum cæteris habitaculis Clericorum per omnia ordinabiliter conſtruxit. Poſtea vero delegato ſacerdotali officio omnem ibidem quotidie curſum congruo ordine fecit celebrare. Tunc prædictus Doctor Rupertus cupiens aliquos adipiſci ſocios ad doctrinam Evangelicæ veritatis propriam repetivit Patriam, iterumque cum duodecim revertens diſcipulis, ſecumque Virginem Chriſti nomine Erndrudem adducens, quam in ſuperiori Caſtro Juvanenſium ſtatuens, ibique colligens Congregationem Sanctimonialium, & earum converſationem rationabiliter, ſicut depoſcit ordo Canonicus, per omnia diſpoſuit.* Huic demum clariſſimo teſtimonio citatus noſter Anonymus addit ſequentia: *Duo Juvanenſium Cœnobia, alterum Clericorum, Sanctimonialium alterum Beati Ruperti Laudator non potuit Ordini Canonico planius aſſignare. Fruſtra nonnulli teſtimonio tam perſpicuo reclamant.* Reclamant nihilominus & ſuo quidem judicio ſatis efficaciter non pauci, dicentes, nil nobis Canonicis patrocinari, quod in vita S. Ruperti legatur, eum inſtituiſſe Monaſterium Clericorum, Congregationem Sanctimonialium, *prout exigit ordo Canonicus* diſpoſuiſſe &c. nam & Monaſteria Monachorum nominari poſſunt *Monaſteria Clericorum*, & horum Inſtitutum *Ordo Canonicus*, id eſt, Regularis, cum Canon Græcis, Latinis ſit Regula; imo quod P. Chorbinianus Kham 1. p. Hierarchiæ operoſe contendit; etiam Benedictini vocari poſſunt, & alias vocati ſunt Canonici Regulares. Tranſeant hæc omnia; ſed quid inde? an mox inferre licebit, S. Ruperti Monaſterium fuiſſe Monachorum, aut in Monaſterio S. Erndrudis diſpoſitum fuiſſe Ordinem Monaſterium? Et ſiquidem hoc licere quis aſſerat, dicam ego, quemvis Sanctum, quem hiſtoriæ Monachum fuiſſe referunt, Canonicis Regularibus eſſe accenſendum, utpote qui ſæpiſſime nominantur Monachi. Dices, utique hoc mihi licere, ſi gravis accedat ratio, nomen Monachi in ſenſu rigoroſo Benedictinis conveniens ad Canonicos, quibus id non niſi in ſenſu latiori competere conſtat, detorquendi. Sed, quæſo, quæ ratio ſuppetit Adverſariis ad aſſerendum a S. Ruperto Salisburgi fuiſſe inſtitutos Monachos ſtricte tales, cum Hiſtoriæ prodant, ab eo fuiſſe conditum Monaſterium Clericorum, ordinemque Canonicum? variæ, inquies, ad manum ſunt. Et inprimis (ita loquuntur Auctores Hiſtoriæ Salisburgenſis fol. 131.) S. Rupertus pro Eccleſia Pontificali non Collegium Clericorum Sæcularium, aut Canonicorum inſtituit, ſed Monachorum. go. &c.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

R. nego antecedens: contrarium enim habetur in vita hic paulo ſuperius allegata; ubi dicitur eum *Clauſtra cum habitaculis Clericorum conſtruxiſſe.* 2do, Abbas fuit, teſte Summo Pontifice: an caput membris difforme? R. tranſ. ant. nego conſ. etiam Canonicis Regularibus & præſunt, & præfuere Abbates: audiatur, quid de hoc ſentiat Bollandus tom. 1. Junii fol. 712. ubi *nequaquam peregrinam eſſe*, ait, *a Canonicis aut novam* Abbatum *appellationem, quæ & hodiedum perdurat inter eos, quos hodiedum ad diſtinctionem Sæcularium vocamus* Canonicos Regulares. *Sic in Concilio Moguntino anni DCCCXX. agitur* de Clericis, qui ſunt ſine capite, neque ſub Epiſcopo *ut Sæculares*, neque ſub Abbate, *ut Regulares*, ſed ſine Canonica aut Regulari vita. *Et in Turonenſi anni ejusdem jubentur Epiſcopi ſcire*, qualiter Canonici qui ſunt cum Abbatibus, vivant, & quantos quisque Abbas Canonicos in ſuo Monaſterio habeat. *De quibus vide Nicolaum Deſnos in opere, cui titulus Canonicus Sæcularis & Regularis lib. 1. cap. 13.* Hactenus Bollandus. 3tio, S. Rupertus Sedem in ipſo Monaſterio collocavit. R. collocavit Sedem in Monaſterio Clericorum, non Monachorum. 4to, Regulam ipſe ſervavit. R. Regulam S. Benedicti, quæ tum temporis extra Italiam, ut ſupra ex Bollando aſtruxi, nondum erat propagata, nego; Regulam Canonicorum, ſive dein hæc fuerit Regula S. Auguſtini, tunc temporis jam propagata (ut ſupra V. *Auguſtanum S. Udalrici*, oſtenſum eſt) ſive alia, quod parum refert, cum S. Auguſtini Regula non ſit de Eſſentia Inſtituti Canonici, ab Apoſtolis derivati. concedo. 5to. Epiſcopatus Salisburgenſis dignitatem a Monachis Benedictinis derivat; R. concedendo; ſatis autem hanc dignitatem derivare potuit, ſi quod inferius dicam, Monachi ſaltem tempore S. Virgilii in æde S. Petri ſunt inſtituti, pluresque Archi-Epiſcopos Cathedrali Eccleſiæ ſuppeditarunt. 6to, Rupertus ſub Regula S. Benedicti quatuor Monaſteria ædificavit &c. cur hoc? ſi alterius ipſe Ordinis fuit. R. ant. eſſe omnino incertum. Nam Nunnbergenſe quod attinet, jam ſupra memini ex vet. vita S. Ruperti, eum ibi converſationem ordinaſſe Sanctimonialium, *prout exigit Ordo Canonicus*, quæ verba plane ſine ſufficienti ratione in alienum ſenſum detorquentur. Deinde in aliis Monaſteriis potuit inſtituiſſe Monachos alterius Inſtituti Scotici, a Benedictino, tunc nondum propagati, diverſi, ut diverſis in locis advertit Bollandus. Denique etiam transmiſſo antecedente negari poteſt conſequens: nam B. Joannes Morinorum Epiſcopus tria Monialibus Benedictinis condidit Cœnobia, & alia Virorum ejusdem Inſtituti Monaſteria largiſſime dotavit, ut ex ejus vita refert Bollandus ad diem 27. Jan. certum tamen eſt eum fuiſſe Regularem Canonicum. An non S. Wilibrordum Benedictinum fuiſſe aſſeritis? & tamen *is Trajecti Clericos, qui Canonica norma viverent, Epternaci vero Monachos inſtituit*, ut habetur in Actis Sanctorum ſæpe cit. Bollandi Tr. 1. Martii fol. 148. n. 2. ubi obiter adverto, quam præclare Clericos inter & Monachos diſtinguat Hiſtoricus. Idem loco citato omnino legimus de S. Ludgero & de S. Amando in ejus vita. Nec multum roboris habent imagines, in quibus jam Sæculo decimo quarto SS. Rupertus & Vitalis forma Benedictina viſebantur, quæ longe poſt horum Sanctorum tempora a Benedictinis, pari cum modernis ratiocinio ductis procurari potuere. Et hæc tandem de iſta, in tanta antiquitatis caligine, ſalebroſa quæſtione dicta ſufficiant, quæ accipi cupimus ſine cenſura aliter ſentientium, quorum & veneramur auctoritatem & rationes non contemnimus: Noſtræ tamen ſententiæ ex Authoritate Pontificia & Authentica veterum Hiſtoricorum relatione ſatis fundatæ præ aliis merito inſiſtendum cenſemus. Ex quibus denique conſectaneum eſt, Reliquos ſive Abbates ſive Epiſcopos Salisburgenſes, ex hoc S. Petri Clericorum Apoſtolica norma viventium, ſeu Canonicorum Regularium Aſceterio aſſumptos Canonico Ordini annumerandos usque ad S. Virgilium, quem Lectiones Secundi Nocturni Canonicorum Windeſimenſium hujus quoque Inſtituti noſtri conſortem volunt hiſce formalibus: *Mundo valedicens ſub Clericali Regulari diſciplina ſe Deo conſecravit*, cujus aſſerti Suffragatorem habemus Anonymum noſtrum Pariſienſem in Disquiſit. fol. 138. ita ſcribentem: „ Fateor Eccleſiam S. Petri Juvanienſem ſeu Salz-
„ burgenſem Monachis eſſe conceſſam ab anno circiter 775. cum B. Virgilius inde
„ Corpus S. Ruperti una cum Sede Epiſcopali tranſtulit in novam Canonicam. Ve-
„ rum Abbates numero tres, qui Epiſcoporum vice ante Virgilii tempora in Eccleſia
„ Juvavienſi conſederunt, ſi revera ipſius Sedis Epiſcopalis Abbates fuere, habendi
„ ſunt in Abbatibus Canonicis qualis aliquando poſt fuit in Eccleſia Ultrajectina Gre-
„ gorius Abbas & Presbyter. „ Hic itaque S. Virgilius, *videns fidelium Catholicorum numerum* (ſunt verba Lectionis V. ex Breviario Canonicorum Windeſimenſium) *in Urbe ac Epiſcopatu Salisburgenſi plurimum accreviſſe, judicavit pluribus templis opus: aliam ergo inſignem Baſilicam cum Epiſcopali Cœnobio in honorem S. Ruperti Salisburgenſium Doctoris & Antiſtitis ædificavit, in quam anno 774. abſolutam, S. Ruperti & ejus Sacellanorum Geſilerii & Chunibaldi ſacra corpora una cum Sede Epiſcopali, ac*

ſui

ſui Epiſcopii (quod apud S. Petrum erat) *Regulari Clero tranſtulit. Ad novam illam Baſilicam cum ſuo Clero conſiſtens, relictam Eccleſiam* (S. Petri) *cum Epiſcopio in Monachorum Monaſterium formandam Monachis conceſſit, ac doctum quendam Monachum Butricium præfecit. Ipſe autem Virgilius in ſua nova Epiſcopali Sede ſuo Clero præſidens, ac cum ipſo ad formam Sanctorum Epiſcoporum vivens, ad Apoſtolicæ Inſtitutionis primævam formam in omni Sanctioris vitæ diſciplina efformare ſtuduit, ut de eadem ad diverſas Eccleſias fundandas & reformandas poſtulati ſunt.* Et hæc tandem eſt ipſiusmet Sacræ Congregationis approbante SS. D. N. Pio V. in favorem Inſtituti Canonici noſtri aſſertio, cui ſi fidem omnino indubitatam admetiar, me quisquam haud dubie nullius demeritatis aut injuriæ, cuiquam illatæ arguere poterit. Quanto autem tempore Inſtitutum Clericorum Regulariter degentium juxta tenorem citatæ Lectionis a S. Virgilio Cathedrali ſuæ recenti invectum, ibidem perdurarit, apud Hiſtoricos non reperio; id certum eſt, obſervantiam Regularem cum tempore fuiſſe collapſam, quam denuo pro eximio Religionis zelo reſtauraturus *B. Archi-Præſul Conradus I. Metropoliticæ Eccleſiæ ſuæ decori intentus* (ſunt verba Hiſtoriæ Salisburgenſis fol. 370.) *anno Domini 1121. Canonicos numero 24. ſub Divi Auguſtini norma ibidem inſtituit, eisque Præpoſitum dedit Hermannum, Decanum vero Regimini præfecit Hartmannum Virum ob virtutem & Sanctimoniam, majoribus etiam Infulis decorandum;* cujus jam ſupra V. *Clauſtro-Neoburgicum* in Catalogo Præpoſitorum fuſſius meminimus. De hac porro Canonici Inſtituti renovatione in vita Gebhardi Salisburgenſis Archi-Epiſcopi anno 1619. typis Auguſtanis in 12. edita pag. 151. ita legitur: „ Miſerante demum Divina Clementia, pace redintegrata Eccleſiæ a Leo„ poldo Styrenſi Marchione in manu forti requiſitus (Conradus antedictus) ad ſu„ am poſt novem annos honorifice reductus eſt Sedem. Rurſus Eccleſiæ propriæ „ ſtrenue invigilavit, & inter cæteros ejusdem Salzburgenſis Eccleſiæ dignos per ip„ ſum provectus majoris Eccleſiæ Clericorum vitam in melius reformat, & commu„ nem vitam Canonicorum S. Auguſtini ibi initiavit anno Incarnationis Dominicæ „ Milleſimo centeſimo viceſimo primo. „ Item de eadem Regularium inſtitutione Mathæus Raderus in Bavaria Sancta Vol. 2do. fol. m. 247. refert ſequentia. Primum Collegium (Metropolitanæ Eccleſiæ Salisburgenſis) Sacerdotum in Ordinem redegit, (idem memoratus Antiſtes Conradus) & Legibus Sancti Auguſtini devinxit, ubi ab Regula dicerentur; erant enim in uno ſimul omnes contubernio quatuor & viginti, ut hodie Religioſis Inſtitutis addicti communi menſa, tecto, ſupellectili, parique cultu corporis utebantur, eoque in ſtatu Sacer ille Patrum Salisburgenſium Senatus ad annos quadringentos tredecim, eoque amplius duravit, quem primus Salisburgi vertit Mathæus Langius Wellenburgenſis Epiſcopus Gurcenſis Cardinalis (idem poſt etiam) Archi-Epiſcopus Salisburgenſis &c. atque hujus rei geſtæ mentionem quoque faciens Martinus Cruſius Scriptor Acatholicus in ſuis Sueviæ Annalibus Part. 3. lio. 19. cap. 1. ita ſcribens. Idem (Mathæus Langius antedictus) Canonicos Salzburgenſes abſolvit ab habitu Canonicorum Divi Auguſtini, quem totis annis quadringentis geſtaverant, cui quidem immutationi ſeſe fortiter (etſi fruſtraneo ſolum conatu) oppoſuit Leonardus id temporis Archi-Epiſcopus Salisburgenſis jam ſupra in deſcriptione Monaſterii Oberndorffenſis pro meritis juſtiſſime laudatus.

Bulla Pontificiæ Diſpenſationis ad ſtatum (uti vocant) Sæcularem atteſtante Franciſco Dückhero in Chronico Salisburgenſi fol. 233. data fuit a Leone Papa X. die 22. Septembris anno 1514. in cujus rei gratiam ipſe Cardinalis Langius confeſtim a Capitulo Metropolitano in Coadjutorem (uti vocamus) cum certa ſpe Succeſſionis in eadem Archi-Epiſcopali dignitate fuit electus; ipſa vero plenaria Religioſi Status abdicatio primum conſummata fuit anno 1519. a quo tempore dicti Canonici Salisburgenſes omnino fieri cœperunt Sæculares; penes quos tamen hodiedum vel unum & alterum adhuc antiquæ Profeſſionis Regularis reſtat indicium; quæ inter numerare licet eſſentialem Religioſorum Canonicorum habitum, ut puta Rochetum aliis Germaniæ noſtræ Canonicis Sæcularibus neutiquam conceſſum, Metropolitanis Salisburgenſibus hodiedum aſſuetum; item Feſtum Sanctiſſimi Legislatoris noſtri Aurelii Auguſtini in eadem Salisburgenſi Metropolitana Eccleſia de more quotannis ſolenniſſime celebrari ſolitum; de quo Nebridius noſter in ſuo Antiquario Monaſtico diſferens Epiſt. 139. fol. 638. ſic ait: *Canonici Salisburgi Apoſtolicam vitam abjecerunt ſub Matbæo Langio, qui electus fuit anno 1519. quod equidem de tanto Antiſtite & Cardinale mirari ſatis non poſſum. Mirum quod in hanc usque diem feſtum S. P. Auguſtini in Pallio celebrent Archi-Epiſcopi &c.* Verum quod res eſt, dolendam adeo hujusmodi Sacri Ordinis deſtitutionem & extirpationem in Salisburgenſi Eccleſia Metropolitana coactam amplius perſtringamus: quam dum recolo, cogitare non poſſum

absque genitu ex imis cordis penetralibus emisso. Sane non nisi pessimus carnalis libertatis amor absurdissima hæc ova posuit castigante Deo peccantium mala. Veruntamen ut cum S. P. N. Augustino protinus exclamem: *Laudentur paterna judicia etiam in flagello! universæ viæ Domini misericordia & veritas, nec crudelis potest esse ejus Justitia.*

Primarius Author Destitutionis hujus (ut audivimus) fuit Langius homo ad omnem fortunam genitus, generosissimæ Indolis, exquisitæ scientiæ, raræ prudentiæ primum Maximiliani I. Romanorum Imperatoris Cancellarius, mox crescentibus in eundem Cæsarem meritis Gurcensis Episcopus & Albanensis; post etiam Cardinalis Tituli S. Angeli, denique Coadjutor Metropolitanæ Salisburgensis atque Archi-Episcopus ab obitu Reverendissimi ac Illustrissimi Principis Leonardi proximus. Hic ergo Langius (ubi Canonici Salisburgenses eum in Metropolitanum assumpserunt) mox ad Pontificem Maximum supplices dedit litteras, faveret sua Sanctitas Canonicis, & a votis Regularibus eos solveret, immunesque faceret ab observantia Religiosa & Canonica S. Augustini Regula. Pontifex Maximus agnoscens multa ac magna hujus Viri in Romanum Imperatorem merita, haud gravate annuit, qui & Diploma scribi fecit & expediri (uti jam supra dictum est) sub dato 22. Septembris anno 1514. cujus tenore sæpefatos Salisburgenses a votis & observantia Religiosa penitus absolvit.

Pessime res habebat quosdam de Collegio Metropolitano, sed vel maxime ipsum Archi-Præsulem Leonardum antedictum; at Langius viribus omnino major facile obtinuit, quidquid volebat, & sic pulcherrimum Diadema avulsum est a capite, ab Ordine, inquam, Canonico S. Augustini in Metropolitica Salisburgensium Ecclesia, quam Canonici Regulares quadringentis prope annis cum ingenti totius sacri Ordinis sui gloria tranquille possederunt. Juxta relictum nobis Scriptorum testimonium executio memorati Diplomatis Papalis primum facta fuit anno 1519. ex quo nimirum sæpefatus Cardinalis Langius Archi-Præsulatu potitus fuit. His demum addo quæ de hac immutatione notatum reliquere Doctissimi Scriptores Historiæ Salisburgensis fol. 520. in hunc tenorem: Annus 1514. memorabilis est mutatione Status DD. Canonicorum Ecclesiæ Metropolitanæ, qui Pontificia Auctoritate per Mathæi Gurcensis Episcopi & Cardinalis operam, a Regula D. Augustini absoluti; e Regulari ad Sæcularium Canonicorum Ordinem transierunt. Trecenti nonaginta duo anni fluxerant, nempe ab anno 1122. quo Conradus I. institutum Collegium Metropoliticum in familiam Religiosam redegerat. Verum longe immutata temporum ratio, & mos aliarum insignium Cathedralium Ecclesiarum, vix amplius antiqua instituta patiebatur. Accedebat paucitas Candidatorum Religionis, etsi multi forent, qui dignitatis esse mallent. Novem tunc supererant. Mathæus igitur ut gratiam iniret apud DD. Canonicos, quippe qui jam Archi-Episcopale fastigium meditabatur, gratiam a Leone X. Romano tunc Præsule hanc impetravit; ut solutis vinculis Regularibus statum liceret capessere, & imposterum tenere, qui Illustris Nobilitatis & tantæ Ecclesiæ dignitatem æquaret. Diploma Pontificium datum 22. Septembris anni præfati. Quod eodem anno Salisburgi executioni mandatum.

Cæterum non incongruum erit, si de Viris summarum hujus Metropoliticæ Ecclesiæ Dignitatum administratione, Regularitatis tempore glorioſis breviuscula saltem fiat memoria, quod proin sequentibus catalogis confectum volumus.

Series

Archi-Episcoporum Salisburgensium a Tempore Restituti Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini.

I. B. CONRADUS, Regularis vitæ, ut memoratum, in hac Ecclesia Restaurator, qui prodiit ex Illustri Stirpe Baronum Abensbergensium, Patre Wolframo, Avo Babone, e Principum Schyrensium, quæ nunc in Bavaria Principatum tenet, progenie orto. Babo is fuit, qui ex bina legitima Conjuge 40. Liberos genuit, & in his Masculos 32. quos omnes in eam morum nobiltatem educavit, ut in magnam singuli spem adoleverint. Quia vero Domi res familiaris angustior erat, quam ut tot filios adultos pro dignitata Stirpis in statu debito collocaret, Henrico Sancto tum Cæsari præsentandos duxit. Singulos igitur cultiori veste & armis indutos addito cuique armigero, Dux ipse Domesticæ hujus cohortis in conspectum Henrici procerum corona stipati adduxit, stititque cum reverentia. Miranti vero Imperatori & pene indignanti,

dignanti, quod præter morem & leges tot armatos ſecumduceret. Hi, inquit, Imperator, quos in armis & nobili cultu ſpectas, omnes Filii mei ſunt, numero 32. ex legitimo cuncti thoro, ad tua obſequia nati, nec indole, aut moribus indecori; quin dignos credam, ut Cæſareo lateri miniſtrent. Meæ quidem opes impares ſunt his, ut decet, in ſuo, quo ſtare poſſent, gradu locandis: Tu ſolus, Cæſar, campum ſatis patentem eorum virtuti aperire vales. Impera illis, ſtant ad nutum, ſive ſago illos, ſive toga exercitatos velis, tuo ductu ad maxima matureſcent. Delectatus Cæſar Generoſi Babonis Germano candore, una Juvenum illuſtrium ingenio, ac dexteritate, Patri tam felicem & uberem progeniem gratulatus, ſingulos deinde, in oſculum manuum amplexumque admiſſos, manere in aula juſſit, donec cuique pro ſua virtute & meritis provideret.

Porro Conradus noſter duos ex Wolframo Fratres habuit, Ottonem Comitem & Wolframum Patri cognominem. Ab his minus fraterne paterna hæreditate, quod tribus non ſufficeret, excluſus, in virtute meliorem fortunam quærere compulſus eſt. Amplexus proinde Sacram militiam & Clericis adſcriptus ſeſe Henrico V. Imperatori ita commendatum fecit, ut in Sacellanum aſſumeretur. Equidem tanta Vir claritudine, morum gravitate, prudentiæque ſublimitate jam tunc eminebat, ut cunctis, qui de Eccleſiæ conditione cenſentur morum magiſter & ſpeculum eſſet, nec obſcura ſecuturi gradus indicia præberet, quem etiam paulo poſt pro meritis eſt aſſecutus, dum auctoritate Paſchalis II. Romani Pontificis anno 1106. S. Thiemoni Archi-Epiſcopo jam quadriennio abhinc defuncto in Cathedra Salisburgenſi Succeſſor eſt deſignatus, annuente etiam Henrico V. Imperatore. Conradum porro Neo-Præſulem eodem anno 12. Calendas Novembris idem Paſchalis ordinavit, ac Sacro pallio donavit. Geſtum id in Synodo ſolemni, quam Guaſtallæ in Italia ad Padi fluminis ripam celebrabat. Evectus in Archi-Præſulem inter primas curas cenſuit, Eccleſiam ſuam, Civitatemque inter manus Schiſmaticorum deformatam priſtino decori reſtituere. Et quia antiqua Aula Epiſcopalis, ad Monaſterium S. Petri ſita, quam Majores hactenus per 530. annos habitarant, præ vetuſtate vel neglectu habitationis inter exilia Archi-Præſulum deformata, pro dignitate habitatoris non ſatis decora erat; ad hæc Monachi S. Petri cum ſuo Abbate nimis anguſte habitabant, novam ampliorem Auguſtioremque & Baſilicæ Metropoliticæ propiorem moliri cœpit. Perfectum eſt hoc ædificium ante annum 1110. Præſulatus ſui quartum, quo anno Conſilii ſui ratione Abbati & Cætui ejusdem Cœnobii aperta, Sedem habitationis Conradus ad novam ædem tranſtulit, veterem domum cum adjacentibus ædificiis muro ſeptis, Abbati aſſignavit, plura jam tunc facturus, quæ poſtea fecit, niſi mox anno eodem obicem poſuiſſet Romanum iter, & ſubſecutum grave Schiſma, quod, utpote generoſum Conradi noſtri pro defenſione Eccleſiaſticæ libertatis animum honorifice exprimens, ex ſæpe cit. Salisburgenſi Hiſtoria depromptum curioſo Lectori communic. Anno eodem videlicet 1110. Henricus V. Imperator cum ingenti exercitu (30. millia Equitum Germanorum ſolum numeraſſe dicitur, præter eos qui in Italia acceſſerunt) Maximoque Procerum Imperii tam Sacrorum quam Politicorum Comitatu Italiam ingreſſus eſt. In eo Comitatu etiam Archi-Præſul noſter, utpote ex Primatibus unus, Cæſarique charus, latus ejus ſtipavit. Explicatæ in campis Italiæ Copiæ immenſum Caſtrorum ambitum occupabant, cui ad gloriæ ſuſtentationem illud adjectum; ut quivis militum noctu ante ſuum tentorium lumen exponeret, quod in oculis Italorum videbatur

\- - - - - - Metuenda voluptas
Cernenti, pulcherque timor.

Nunquam tantas ex Germania ſuæ Regioni infuſas acies, dicebant omnes. Actis Florentiæ Feriis Natalitiis, ad anni ſequentis exordium, peragratis Longobardiæ & Thuſciæ Regionibus, profligatis, vaſtatisque urbibus, quæ obſiſtere auſæ fuerant; Aretio Legatos Imperator Romam miſit, qui Pontifici renuntiarent, pacatum ſe venire, ad Auguſtalem coronam capiendam, præſtandumque quidquid pii Anteceſſores ſui Romanæ Sedi pro obſequio præſtitiſſent. Remiſſi ex Urbe Legati ſecreto, conſcio tantum Adalberto Cæſaris Cancellario, Pontificis nomine cum Henrico pactionem inierunt. Summa conventionis capita erant: Ut Imperator Jura Pontificia, & libertatem tum Romanæ, tum aliarum Eccleſiarum reſtitueret, aut firmaret: Inveſtituris, ut vocant Præſulum renuntiaret: Viciſſim Paſchalis coronæ Imperialis decus, & Regalia, quæ hactenus Eccleſiarum Antiſtites ab Imperio tenuiſſent, in manus Imperatoris redderet. Obſides ultro citroque darentur, pacta Sacramento firmarentur. Ratihabita utrinque pactione, Henricus Romam progreſſus, poſitis circum eam caſtris, ipſe Urbem Leoninam intravit. Ubi ad Auguſtum D. Petri templum, quod Vatica-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

num dicunt, in gradibus pro more à Papa honorifice exceptus, & Imperator ſalutatus, mox intra Baſilicam receptus, ad latus Pontificis ſiniſtrum ſedem cepit. Vix ita bene conſederat; cum repente Pontifex rogare cœpit, ut pacta conventa juramento firmaret, ac Sacerdotiorum inveſtituris Regali jure hactenus uſurpatis nuntium mitteret, recepturus Epiſcoporum Regalia. Inexſpectata poſtulatione territus Imperator primum obtinuit: Deinde deliberandi petito ſpatio, ad adſtantes Proceres receſſit, de tantæ rei momentis conſultaturus. Enim vero tunc magna oriri inter Germaniæ Præſules Imperii Principes, animorum conſternatio: Res inaudita & periniqua omnibus viſa; ſe de quorum juribus ageretur, inſciis & inauditis, talia pacta concluſa in Eccleſiarum detrimentum & dedecus: Non potuiſſe Pontificem vel illa petere, vel Cæſarem promittere. Obnuntiare omnes clandeſtine tractatis, irrita renuntiare. Æternare debere Magnorum Imperatorum & Principum Beneficia, ab ipſis Summis Pontificibus aſſenſu & nutu confirmata. Detractis Regalibus nempe Ducatibus, Principatibus, Præfecturis, Tributis, aliisque hujusmodi Juribus, quidni omne ſuis Eccleſiis robur, dignitatem. Decus, & ſalutem detrahi, easque peſſundatas in hoſtium prædam tradi? Poſt longas Deliberationis moras, cum dies laberetur, re ad Pontificem, jam moræ faſtidio laborantem, relata, perſtitit ipſe in Sententia, pacta ſervanda: *Reddenda eſſe Cæſari, quæ Cæſaris; quæ Dei. Deo.* Repoſuere Germani Præſules communi voce: ita eſſe: Regalia Eccleſiis & Deo ſemel dedicata, jam non Cæſaris, ſed Dei eſſe; illi ergo ſervanda, non aufferenda. Hæc mutuo verborum conflictu agitata, in longam contentionem abiiſſent: Cum Imperator quorundam ſuorum ſuaſu, Pontificem, Cardinales, cæterosque Ejus partium Prælatos ab armatis circumdari juſſit. Sic abrupto fune contentioſo ad Sacra itum, quæ Pontifex fecit, Cuſtodia Militum haud ſecius circumſiſtente. Nec ſatis. Finitis Sacris idem Pontifex ab armatorum turba, una cum Patribus Purpuratis & Præſulibus reliquis, extra atrium S. Petri, ceu captivus abducitur.

Nemine interim ex Germanis contra tam indecori facti temeritatem pro ſuo capite, & Summo Patre hiſcente; rei indignitate commotus Conradus Archi-Præſul noſter ſolus ſub feroces militum cohortes irrupit. Et; quæ iſta, inquit, inaudita temeritas, Summum & Sacratiſſimum Præſulem captivum trahere, Sanctiſſimum Orbis templum profanis armis, & Sacrilega violentia temerare? An nullus ergo nobis amplius pietatis ſenſus, Divini humanique Juris reſpectus? Hæc dum magnus Præſul, elata voce, & plura alia exprobrare pararet; Henricus quidam, cui cognomen *Caput* erat, gladium in caput Conradi ſtringens, tacere juſſit, alias propediem mucrone ſuo perimendum. At ænea columna conſtantior Conradus: Feri, ajebat, feri: En caput, en jugulum, en pectus pro Juſtitia, pro Eccleſia, pro Patre, meo Pontifice, in mille mortes paratum! Pridem Deo vitam meam devovi, quam pro ejus gloria, & tuenda Eccleſiæ cauſa exponere, in lucro & votis habeo. Mori malim, quam tanta mala meis oculis ſpectare. Adde, impie, cæpto ſceleri & iſtud, meam necem, Deus ultor non aberit. Infanda crimina narrabit poſteritas: Pontificem Orbis captum, Cæſum Juvavii Antiſtitem, Sacra omnia contaminata. Attonitus tanta Sancti Viri libertate, & fortitudine temerarius ille, ferrum recondidit: At Pontifex ad noctem usque in cuſtodia detentus, & poſtea in ipſa Cæſaris caſtra abductus. Hæc dum agerentur, vulgato inter Romanos rumore, captum eſſe ſuum Præſulem, ingens tumultus extitit. Fit concurſus ad arma, ubicunque quisquam Germanæ Nationis intra Urbem apparebat in illum verſa ira: illi etiam, qui Oratum, vel negotiatum eo venerant, paſſim in compitis & domibus immaniter interempti. Poſtera die in ipſa Cæſarea caſtra furentibus ſimiles irruperunt, & primo quidem impetu, ipſe Imperator armatus ſævientibus occurrens, periclitatus fuit: jam enim in facie vulneratus, equoque dejectus periiſſet: niſi Otto Comes Mediolanenſis glorioſo ſane facinore ſeſe objeciſſet: quem, Henrico interim fuga ſervato, Romani abreptum in fruſtra dilaniarunt. Cæſaris periculo, ſpectato ſanguine, voceque accenſus Germanus exercitus totus in rabiem & arma ruit. Tunc crudeliſſima Cædes Romanorum: plurimi gladio, plures equis ex Ponte Tiberino dejecti, aut equorum ungulis conculcati periere. Hic exitus erat inauſpicati illius, quod inaugurale eſſe debebat, Feſti.

Cum vero Romani in caput Imperatoris conjuraſſe nova Factione dicerent: Cæſar ab Urbe, vaſtatis Rebellium agris, caſtra movit, & Pontificem cum captivis aliis, quos inter & Cardinales fuere & Præſules, in caſtrum Trebacenſe abduxit. Illic per duos fere menſes invictus contra poſtulata & minas Henrici Paſchalis, tandem ſuorum concaptivorum calamitate & periculo permotus, manus dedit, & inveſtituras memoratas Cæſaris in manibus reliquit. Inter omnes Principes & Proceres conſtantiæ laudem ſolus Conradus, & poſt hunc Boicæ Dux Welfo junior, tulit; qui pro Pontifice multum apud Cæſarem laboravit, & tandem Pacis interpres fuit. Sancitum

inter

inter utrumque pactum: ut amnistia præteritorum facta, redditaque Captivis libertate, Regalia tam Papæ, quam Cæsaris in antiquo manerent statu: & Henricus Imperiali Diademate Vaticana in Ecclesia coronaretur. Id præstitum Idibus Aprilis: quo die, ut vulnus Romæ nova gratia sarciret, Cæsareis donis tam Pontificem, quam Cives Imperator coluit.

Verum concordia illa male sarta, & vi magis quam jure conglutinata, in apertum postea Schisma erupit. Quamquam enim Paschalis Pontifex manus abstineret, ne fidem paulo ante datam fregisse crederetur, Patres tamen Ecclesiæ pactum illud irritum dixerunt, jacto insuper in Cæsarem anathematis fulmine, ut nunc prosequemur.

Imperator Henricus Roma Redux in Germaniam, terribilis primum, tanquam in Urbe orbis domitor: cunctis visus, facile Germanos in potestate habuit. Ipse Lotharius Saxo (postea Imperator) qui ante bellum moverat, celebranti Moguntiæ Nuptias cum Mathilde Regis Angliæ Henrici Filia, nudus pedes se stitit, & in gratiam rediit. Interim tam Romæ in Laterano, quam Viennæ in Gallia Congregata contra Cæsarem Præsulum Consilia. In primo Paschalis ipse Pontifex præsedit, magis causam suam excusans, quam damnans Cæsareanam: in altero Guido præfuit Archi-Episcopus Viennensis, postea Pontifex Callistus: quo fere Auctore in utrisque contra Henricum conclammatum & anathematis sententiæ dictæ. Istorum Rumor Brevi in Germaniam proserpsit, causamque dedit, ut multi Proceres, Cæsaris odio, & ambitus studio, nec sine justitiæ, aut pietatis prætextu, novas res molirentur. In magno Moguntiæ Principum comitio fomes conspirationis sparsus, qui Brevi in tædas ferales erupit. Inde Bella, Rebelliones, cædes, multaque, uti sub Henrico parente, sanguinis profusio, in misera Germaniæ arena. Ipse qui Auctor Romanarum actionum Cæsari fuisse dicebatur Adelbertus *(aliis Albertus)* Cancellarius, etsi Moguntino deinde donatus ab illo Archi-Episcopatu, inter primos deinceps fuit, qui Henrico restiterunt. Ob quam rem vicissim ab eo carceribus, & inedia graviter afflictus, sensit; mala consilia plerumque in auctorem improspero eventu recidere. Seditione tamen populi contra Cæsarem Moguntiæ facta, vel ab invito liberari, & ad sacram inaugurationem, quam in Urbe Agrippinensi Dietericus Pontificis Legatus fecit, dimitti debuit.

Verum nemo pene graviora propter Ecclesiæ Sedisque Apostolicæ auctoritatem, qnam noster Conradus toleravit. Quam charus antea Imperatori fuerat, tam invisus postea, ubi Romæ pro tuitione Pontificis viriliter stetit, & deinceps deficientibus plerisque aliis Præsulibus acerrimus vindex pugnare non destitit. Ægerrime Conradum habuit, quod etiam ex suis Antistitibus, deserto Romano Patre, ad Cæsaris partes & arma se transtulissent. Hinc zelo justitiæ incensus Hugonem Brixinensem, & Henricum Frisingensem Episcopos dignitate & loco movit. Restitante Henrico, contra eum Welfo Dux Boius arma movit, ac Frisingam vastavit. Hæc acta circa annum 1116. ob hæc ira Henrici gravius in Conradum debachari cæpit: iram Principis secuti omnes, ut solet, qui Principi placere cupiebant. Pulsus in exilium vix ullibi tutos Lares, aut receptum invenit. Alterum Athanasium Alexandrinum dixisses; ita undique in ejus exitium conspiratum. Primum intra suæ Diœceseos montes in Styria, maxime circum Cœnobium Admontense, asylum quæsivit. Fidem faciunt antiqui: in eadem valle, inter speluncæ cujusdam Angustias per semestre latuisse: rursus in ipsius Monasterii Cellario quodam subterraneo sedecim hebdomatibus latitasse: aliquando in gurgite cujusdam amnis (quod inauditum) ad mentum usque immersum integro die, ut persequentes lateret, se occultasse. Tandem post gravissimas Exilii & fugæ ærumnas apud Ottokarum Styriæ Marchionem & B. Bertholdum Abbatem Garstensis Monasterii prope Styram, tunc Styriæ, nunc Austriæ Civitatem, Beneficum & tutum Asylum invenit. Equidem Vir iste Beatus Conradum Archi-Præsulem e latebris Admontensibus emergentem officiosissime excepit, amantissime fovit. Idem præstitit Ottokarus II., qui Conradum in arcem suam Styrensem introduxit, omni genere officiorum demeruit, nihil Cæsaris iras veritus, quod nullus alius audebat, contra omnium injurias & insidias serio defendit. Absente Conrado Bertholdus Pseudo-Præsul in Sedem denuo irrepsit, & pro more suo deglubendis magis, quam pascendis ovibus accurate institit; sed & huic miseriæ finem dedit optata pax inter Callistum II. Rom. Pontificem & Henricum Imperatorem anno Domini 1122. sancita, quam dein consecuta est magna Ecclesiæ tranquillitas, Calliste Pontifici, priusquam in summum Pontificem eligeretur, Cœlitus præsignata, quando eidem nocte Persona quædam se obtulit; reconditam sub Chlamyde Lunam producens, commendansque, sub Lunæ nempe imagine, pene eclypsantem Ecclesiam. Recte: nam Calliste ei clariorem formam induxit, & a Schismate pacatam, plena facie relucentem stitit. Rebus ita compositis tandem Conradus Archi-Præsul noster post septenne exilium (novenne ponunt alii,

alii, ſed prior numerus facto temporis computo ab anno 1116. conformior) ad Salisburgenſem ſuam Eccleſiam a triumphato Schismate glorioſus rediit, Bertholdo inſeſſore opera Leopoldi Styriæ Marchionis expulſo. Vix Sedem ſuam adeptus, Eccleſiam ſibi commiſſam materialium prius ædificiorum excitatione ornatam, Spiritualis quoque ædificii reſtauratione condecoraturus, Canonicos numero 24. ſub D. Auguſtini norma viventes in Metropolitana ſua inſtituit, ſive ut loquitur Chronicon Reicherſpergenſe, *cæpit in Epiſcopali Sede Canonicam vitam inſtituere, quam & ipſe Profeſſus erat*, quam B. hujus Viri Conradi Regularem Profeſſionem etiam innuit Hiſtoria Salisburgenſis fol. 359. his verbis: Perhibetur alias Canonicorum Regularium S. Auguſtini Familiam Profeſſus fuiſſe, quod ædificata ab eo Monaſteria indicant; an vero id Inſtituti tunc jam ſuſceperit, an vero primum in culmine Archi-Epiſcopali conſtitutus, non liquet. Mirum eſt, quam Zeloſum ſe exhibuerit Conradus in promovendo ac dilatando undequaque Canonico Ordine, cui non pauca vel funditus erexit, vel reſtauravit, aut largiſſimis bonorum additionibus dotavit Domicilia, vel alios ad id faciendum ſalubri adhortatione induxit.

Ex his ſunt Collegium Canoniſſarum Regularium Salisburgi, ut infra dicetur, Canonicorum Regularium S. Zenonis prope Hallam divitem, Canonicorum Regularium in Chiemſee, in Ranshoven, in Reicherſperg &c. ſed & in celeberrimos Monaſticos Ordines ſe præbuit liberalem, & Beneficum, uti experti ſunt Petrenſes, Salisburgi, Admontenſes in Styria Raittenhaslachenſes &c. Dignus profecto (ſunt verba Diſcipuli S. Eberhardi in vita B. Gebhardi) qui cum Nehemia dicere poſſit: *Memento mei Deus in bono, & ne deleas miſerationes meas, quas feci in domo Dei mei, & in Cæremoniis ejus.* Addit idem congruum tanto viro eloquium, nullam pene Eccleſiam, vel Monachorum, vel Clericorum, vel Sanctimonialium in tota ejus Diœceſi fuiſſe, quæ non ſub Eo vel conſtructa, aut in meliorem formam redacta, pias & beneficas ejus manus ſenſerit. Non minora tanti Pontificis encomia dixerunt cum Baronio alii: ab his merito Eccleſiæ Defenſor, Diſciplinæ ſacræ Reſtitutor, priſcæ Religionis exemplar, uno verbo Sanctus audiit. Et ſub hoc Schemmate exprimi ab antiquo ſolitus, adhuc viſitur in Calendario Germanico cum radio & titulo *Sancti.* In Aula Archi-Epiſcopali depictus *Beati* nomen fert. Poſtquam tandem inter Religionis & pietatis Sancta molimina conſenuit, ſatur annis & meritis exacto Regiminis Archi-Epiſcopalis anno quadrageſimo ſecundo quinto Idus Aprilis anno 1147. a piis laboribus ad ſuperna vocatus Beato fine quievit, & reconditus fuit in Baſilica Metropolitica ante Altare S. Erentrudis.

II. FRIDERICUS de Walchen, primum Eccleſiæ Salisburgenſis Canonicus Regularis, poſtmodum Præpoſitus, & tandem in Archi-Epiſcopum anno 1270. poſt mortem Uladislai aſſumptus, Vir raræ prudentiæ & virtutis, par tantæ dignitati; cujus tamen triſte vidit exordium, incendio, neſcio, quo caſu, orto magnam civitatis partem depaſcente. Romam pro pallio anno 1272. profectus, æris alieni cauſa per Udalricum antea contracti, a nummulariis vexationem moleſtam ſuſtinuit. Anno 1274. Concilium Provinciale celebravit Fridericus, cui ſex interfuere Comprovinciales Epiſcopi, quibus iisdem cooperantibus a Friderico conſecrata eſt Metropolitana Eccleſia, annis præcedentibus, ut prius dictum, incendio vaſtata. Septennio poſt, anno nimirum 1281. prout in priori Concilio jam ordinatum erat, alterum quoque Provincialem Conventum in conſeſſu Epiſcoporum Suffraganeorum, & aliorum Minorum Præſulum habuit Fridericus, in quo præcedentis Synodi acta confirmata ſunt & renovata. Multis demum pro Spirituali & temporali Eccleſiæ ſuæ incremento præclare geſtis anno 1284. menſe Maio, poſt Archi-Præſulatum annis fere 14. prudenter pie & generoſe adminiſtratum corporis & honoris onus depoſuit, & quietem in Baſilica Metropolitana ante Altare S. Andreæ tumulatus invenit

III. WICHARDUS, gente Styrus, Familiæ Polhemiæ nobilis Surculus, antehac Summus Metropolitanæ Præpoſitus, & poſtmodum communibus S. Collegii Suffragiis 1. Aprilis anno 1312. in Caput Eccleſiæ ſuæ electus, 7. Julii ab ipſo Clemente V. conſecratus & 27. Auguſti Pallio condecoratus, non Romæ, ubi tunc Papa non erat, ſed Avenione. Ita manu Apoſtolica inauguratus 20. Decembris diſceſſit a Curia, & Salisburgum initio anni ſequentis feliciter appulit. Sacris poſthac curis ſe totum addixit Archi-Præſul, & optimi Regiminis tutelam a novis Divorum Tutelarium honoribus petere ſtuduit. Anno 1315. Calendis Auguſti primum Sacrum D. Ruperti monumentum aperuit, & eductis, quas continebat, ſacris Exuviis, reperit inprimis Corpus S. Proto-Præſulis cum Capite, deinde SS. Martini Turonenſis Epiſcopi, Vincentii, Hermetis, Chryſanthi, & Dariæ, nec non Giſalarii (Diſcipulus S. Ruperti fuit) venerandas Reliquias. Has omnes in Natæ Deiparæ Feſto Collætanti populo in publica

lica celebritate palam inſpectandas exhibuit: & demum ipſa translationi D. Ruperti ſacra Feſtivitate octavo Calendas Octobris ſub ara ejusdem Divi Parentis honori & nomini recens Dedicata honorifice depoſuit. Idem honoris D. Virgilii Parentis alterius SS. oſſibus impendit. Nam in Feſto Translationis ipſius 6. Calend. Octob. Altare novum, quod Anteceſſor proximus Conradus Divo exſtruxerat, conſecravit, ac ſub illo ſacrum Corpus decentiſſime recondidit. Hiſce perfunctus Religionis officiis, res mira! ac ſi Superi, quos ſibi obligaverat ſancta opera, ne diu debitores eſſent, ſed propediem exſolvere mercedem properarent, in ipſa translati S. Virgilii die octava Spaſmo generali, & Lethargia, vel, ut alii volunt, Apoplexia correptus, vita & honore exceſſit, ut merito augurari licet, ad cœleſtia Feſta ac Beatum Conſortium a Divis Salisburgenſibus eductus. Rexit Sedem Juvavienſem tribus annis & ſeptem Menſibus. Pii Filii optimum Parentem pro merito ac debito ante ipſium Sanctiſſimi Ruperti Altare tumularunt: ut prope eum quieſceret, pro quo Religioſe laboraverat.

IV. FRIDERICUS Leibnizius, prius Regularis hujus Eccleſiæ Præpoſitus & Archi-Diaconus, in dignitatem prælaudati Wichardi concordi ſacri Senatus Salisburgenſis electione ſubrogatus die 9. Decembris anni 1315. Durante Regimine ſuo Hoſpitale S. Blaſii (hodie etiam S. Spiritus dictum) exſtruere cœpit, quod & redditibus dotavit. In graviſſimis illis Magnatum diſcordiis, inter Fridericum Auſtriacum cognomento *pulchrum*, & Ludovicum Bavarum de Principatu Imperii contendentes, paſſim exortis, ipſe Fridericus noſter partes Auſtriaci tenuit, ac tandem annis 22. in Sedis Archi-Epiſcopalis Regimine præclare exactis emigravit anno 1338. initio Aprilis. Clavum ipſe inter injurias temporum pro virili prudenter tenuit, & laceratam non nihil Bellorum vi œconomiam ſedulo refecit. Eo ipſo anno, quo Fridericus deceſſerat, in Archi-Præſulem evehitur.

V. HENRICUS de Piernbrunn ex Bavaria oriundus, doctrina æque ac genere nobilis, Canonicus Regularis, & Gymnaſii S. Ruperti Eccleſiæ majori olim ſubjecti Præfectus, quod officium adhuc hodie titulo Scholaſtici Dominis Canonicis Cathedralibus tribuitur, etſi Scholæ, quæ alias in iisdem floruerant, (ut ſupra V. *Bremenſis* videre eſt) jam exoleverint. Quinquennio præfuit Eccleſiæ nempe 1343. extinctus. Acta ejus interciderunt Eccleſiam Salisburgenſem Henrici morte viduatam regendam ſuſcepit.

VI. ORTOLFUS à Weiſſeneck Styrus ex ipſomet Regularis Capituli gremio Selectus Vir generoſus & magnificus, decorisque, quo tam Dei, quam ſua Aula fulgeret, amator ſtrenuus. Inter multa pretioſa vaſa & ornamenta, quæ utrique providit, effulget Crux ex auro ſolido gemmis coruſcans, quam in Summo Baſilicæ Altari ſtatuit, præterquam quod Eccleſiam ſuam novorum reddituum acceſſione inſigniter augmentarit. Expletis demum dignitatis ſuæ annis 22. anno 1365. loco honorifico ad SS. Trinitatis aram in Baſilica Metropolitica decenti pompa illatus eſt.

VII. PILGRINUS, ex illuſtri Familia Puechemia ortus, anno 1366. Thronum Salisburgenſem conſuetis ſuffragiis conſcendit. Auctor is fuit & Fundator Pacis inter litigantes Principes Auſtriæ & Duces Bavariæ in cauſa Provinciæ ſeu Comitatus Tyrolenſis, quem Margaritta, a magno ore dicta Maultaſchia Henrici Ducis Carinthiæ Filia Sereniſſimæ Domui Auſtriacæ legaverat. Pacificatis foris non nihil rebus, Pilgrinus Domeſticis negotiis gnaviter ſe impendit. A Conrado inprimis Ratisbonenſi Epiſcopo, aſſentiente ejus Capitulo Cathedrali, emit Caſtrum Utter, cum turri Engelsberg, ac Dominium Partiſenſe ad Atheſin pro Summa 18000. aureorum cum pacto revenditionis: cui poſt triennium numeratis adhuc 8000. renuntiatum à Succeſſore Epiſcopo Joanne. Poſt annos aliquot pariter ab Epiſcopo Paſſavienſi Georgio, ac Capitulo coëmit, pretio 7000. Librarum Viennenſium Caſtrum cum ditione Matſee; qui contractus deinde forſan ob minorem pretii quantitatem, à Gregorio Archi-Epiſcopo, cum eodem Antiſtite renovatus, adjectis aliis octo Librarum millibus. Anno demum 1396. vitam abſolvit Pilgrinus, tumulatus in Sacello Eccleſiæ Metropoliticæ, quod ipſe dum viveret, pie extruxerat.

VIII. GREGORIUS, ex Illuſtri Familia Schenckiorum de Oſterwiz, Carinthus, in Sedem Salisburgenſem anno 1396. evectus, pium ac quietum domi, at Breve annorum tantum ſeptem regimen tenuit. Intentus augendæ rei Familiari ſuæ Eccleſiæ, patellas Salis Hallenſes, quas Feudi jure Hugo Goldeckius (potens tunc erat & Illuſtris Familia) pincerna Hæreditarius Archi-Epiſcopatus poſſidebat, data in vicem ditione Daxenbacenſi conquiſivit, ac tandem quiete vivis exceſſit anno 1403. Interim dum Sedes iſta vacaret, Bonifacius IX. Pontifex providere mature cupiens, Bertholdum Epiſcopum Friſingenſem, Archi-Præſulem nominavit. Verum à DD.

Canonicis Regularibus, quod ſuo juri ſic præjudicatum crederent, admittere novum Præſulem recuſantibus, nova electione e gremio Regularis Capituli ſubſtitutus eſt.

IX. EBERHARDUS I. de Neuhauſen, patria Carinthus, ab Innocentio VII. Bonifacii Succeſſore pallio decoratus, celebratum erat ea ætate Concilium Conſtantienſe, cui Eberhardus noſter, à Scriptoribus Salisburgenſibus interfuiſſe memoratur, etſi ejus nomen in Actis Concilii inter Patres non reperiatur. Hic ipſe anno 1419. contra Potentiores Boiariæ Dynaſtas, multa contra Eccleſiaſticam imunitatem molientes Provincialem Synodum induxit. Exemptionis Cathedralis Eccleſiæ Paſſavienſis a jure Metropolitico Salisburgenſis Eccleſiæ, quam Georgius Hochenlochius Paſſavienſis Epiſcopus a Joanne XXIII. & ejus Succeſſore Martino V. impetraverat, plenam reſciſſionem & irritationem a dicto Martino V. pro Jurium Eccleſiæ ſuæ tuitione obtinuit. Interim poſt præclaras Eccleſiæ ſuæ curas defunctus eſt Eberhardus anno 1427. & in Sacello S. Annæ, a ſe Religioſe conſtructo, honorifice tumulatus.

X. EBERHARDUS II. à Starckenberg, ſeu Starenberg ex Canonico Capitulari ad ſolium Archi-Epiſcopale promotus anno 1427. Princeps omnibus numeris abſolutiſſimus, utpote corporis elegantia, naturæ donis, animi celſitudine, gratæque pietatis & virtutum meritis illuſtriſſimus, uno hoc cæteris minor, quod in regimine haud fuerit major annis, qui tamen conſumptus in brevi plusquam feliciter explevit tempora multa, multa quippe magno animo concipiens, præſertim quoad mores Canonicorum ſuorum ſecundum normam vitæ Apoſtolicæ, & ſacram magni Patris Auguſtini Regulam ſtrictius reformandos. Verum mox altero ſuſcepti regiminis anno communi bonorum omnium luctu terrenam liquit ac omnino dereliquit Celſitudinem celſa quærens Supernorum montium cacumina, ubi æternum coronatur in cœlis. Non deſunt, qui ob immaturam Principis mortem ſuſpicionem conceperint veneni ex ſceleſta induſtria propinati. Obiit autem anno 1429. die 10. Febr.

XI. JOANNES de Reicherſperg prætacto anno itidem de gremio datus. Hic, quia in Concilio Baſileenſi contra Eugenium IV. legitimum Pontificem ſtetit, eundem ipſum (in apertiſſimum propriæ Salisburgenſis Eccleſiæ præjudicium) ſibi difficilem & infenſum ſuſtinere debuit; qui tamen idem Romanus Pontifex ultimo vitæ ſuæ anno poſt Joannem hunc noſtrum Romanæ Sedi reconciliatum, & in priſtinam gratiam receptum priores Bullas contra eundem expeditas ac promulgatas revocari voluit, ac penitus annihilari fecit omnes. Duodennio præfuit Archi-Præſul iſte terris emortuus anno 1441. pridie Calendas Octobris.

Eo usque huc Metropolitani Canonici Salisburgenſes, utcunque Regulares, antiquo more prætenderant ſpolium bonorum mobilium omnium Archi-Epiſcopi recens defuncti, omnino neſcientes, iſtud jam olim prægnantes ob cauſas a Bonifacio Papa VIII. prohibitum. Hinc cum in electione novi Archi-Præſulis iſtius Joannis diverſa abirent vota, quibusdam nimirum Sigismundum à Wolckersdorff Summum Præpoſitum Salisburgenſem eligentibus, aliis vero Fridericum Truchſeſſium ejusdem Metropolitanæ Eccleſiæ Decanum in id expetentibus, hic poſterior mox ad Concilium Baſileenſe Legatum miſit, per quem humillime ſupplicavit, ut tam ipſe, quam ſui eligentes abſolverentur à cenſura ob ſpolium ante dictum inflicta; qua abſolutioné realiter obtenta, cum reliqua pars eligendi jure excidiſſet; mox à Sede Apoſtolica Decanus confirmationem accepit. Itaque

XII. FRIDERICUS Truchſeſſius de Emersberg Archi-Epiſcopus creatus eſt. Hic anno 1452. Ludovici Ducis Bavariæ, & Annæ Duciſſæ Saxoniæ nuptiis benedixit Landishuti celebratis. Obiit prætacto anno 1452. die 30. Aprilis poſt decennium in pleno Archi-Epiſcopatus regimine conſummatum.

XIII. SIGISMUNDUS à Wolckersdorff jam altera, feliciore tamen vice ex Præpoſito Metropolitano delectus Supremus Paſtor & Archi-Epiſcopus, Princeps morum integritate ac donis naturæ celſiſſimus, ſcientia litterarum excultiſſimus, Pater Patriæ Summis infimisque gratiſſimus juxta ac humillimus, nec minus caſtimoniæ laude fulgentiſſimus anno 1455. e ſacro Baptiſmatis fonte legavit Georgium Boiariæ Principem, tum etiam anno 1459. Maximilianum Friderici Imperatoris Filium: Caduceatorem etiam egit inter Cæſarem & Rebelles Auſtriacos, Hungaros, & Boëmos. Cæterum Archi-Epiſcopatus ſui novem annis & quod amplius excurrit, Gubernator laudatiſſimus extitit, quousque nimirum Princeps per omnia meritiſſimus terris diſparuit poſt mortem ſuam honorificentiſſime tumulo illatus anno 1461. die 3. Novembris.

XIV.

XIV. BURCARDUS à Weiſpriach ex Præpoſito gremii Metropolitani in Archi-Epiſcopum aſſumptus, ut & authoritate Papali confirmatus eſt anno 1461. tum anno proxime ſequenti Galerio Cardinalitio donatus Eccleſiam in Mülin Collegiatam fecit, multas inſuper magni animi vir apud ſe concepit innovationes ſuis locis & temporibus ſtatuendas & exequendas, a quibus tamen realiter adimplendis vel invitus omnino fuit retardatus, utpote præter ſpem citius fatis abſorptus anno 1467. die 16. Februarij.

XV. BERNARDUS de Rhor, gente Auſtriacus, Salisburgenſis Eccleſiæ Plebanus poſt biennem Metropolitanæ Sedis vacationem anno 1468. in Archi-Epiſcopum aſſumptus evaſit; cujus temporibus Hartmannus de Laber ejusdem Eccleſiæ Decanus ſimul & Officialis Archi-Diœceſanus utut Regularis Ordinis S. Auguſtini Canonicus anno 1477. terris defunctus, Bernardo huic noſtro Archi-Epiſcopo legavit mille florenos, Metropolitanæ vero Eccleſiæ totam, quam pretioſam omnino habuit, ſupellectilem ſuam argenteam; e qua poſtmodum Statua S. Ruperti Salisburgenſis Epiſcopi fuit fabrefacta centum marcis appenſa. Ne vero Lector venerande temerarium forſitan in hoc facto formes judicium, quaſi proprietatis vitium incurriſſet Hartmannus iſte noſter, ſcire debes. Primo. Ante tempora Concilii Tridentini id actum eſſe, dum adhuc non tam ſtricta inter quoscunque Religioſi Status Profeſſores paupertas fuit habita & obſervata. 2do. Canonicos Regulares Salisburgenſes vere fuiſſe Beneficiarios; atque ex Diſpenſatione eos poſſe ſicut in vivis (uti Doctiſſimus Doctor noſter Martinus Navarrus loquitur Comment. 2. de Regul. num. 58. fol. m. 115.) ita & in morte ad pias cauſas, ut in hoc caſu factum eſt, ſua relinquere, & quotidiana praxis habet. Quod tanto facilius indulgetur, quanto minus hujuscemodi Privilegium cedit in aliquod Monaſterii detrimentum vel incommodum, quod etiam citatus Doctor extendit in caſu de Moniali poſito infra ad illos Religioſos, qui de prævia Summi Pontificis, aut aliorum, quorum intereſt, licentia degunt extra Monaſterium, & hujus bonis non vivunt, ſed illis duntaxat, quæ induſtria ſua, labore, aut eleemoſynis acquirunt. 3tio. Canonici Salisburgenſes fuerunt id temporis magnæ potentiæ & Authoritatis Viri, quibus utique plura communiter ſolet concedi quam ſimplicibus. &c. &c. Cæterum Bernardus iſte tranquillæ quietis quam publici regiminis amantior, jam Cæſari Friderico, jam Mathiæ Corvino (priore illo repudiato) Hungariæ Regi, denique rurſum Friderico totum Archi-Epiſcopale munus ſuum reſignavit; quod factum eſt haud absque magno Dominiorum propriorum damno: cui demum finaliter abdicato anno 1482. die 14. Februarii exterus quidam ſucceſſit (ſub ſpe ſeu magis conditione Dominiorum recuperandorum accitus temporalium bonorum jactura interim ad centena millia Ducatorum ſeu Aureorum æſtimata) Strigonienſis nimirum Archi-Epiſcopus Hungariæ Joannes, dum interim Bernardus potius exul diem ſuum obiit Tittmoningæ anno 1487. Salisburgum tamen revectus, atque ibidem condigno honore reconditus. Verum quod res eſt Joannis antedicti electionem ſeu potius poſtulationem repudiarunt, ac ſuum de proprio gremio Præpoſitum elegerunt Chriſtophorum Ebroinum alii, qui fuerunt Sigismundus Hocheneckius, Rudolphus Kienburgicus, & Chriſtophorus Notthaffitius. At fruſtra ſolum ibant hæc vota, & nihil hiſce acquirebant aliud, quam quod in continuis Neo-Præſulis Joannis verſarentur & magnis (uti loquimur) diſgratiis: quibus ſuperſtite adverſario haud fuerunt enodati, ſpecialiter autem Salisburgum frequentare prohibiti. Haud diu tamen Archi-Præſulis hujus ſive poſtulati, ſive potius authoritate Cæſarea denominati & intruſi durabat Imperium, etſi maxima totius Archi-Diœceſeos utilitate prolatum, ſiquidem e vivis exceſſit jam anno 1489.

XVI. FRIDERICUS Comes de Schaumburg Urbis Salisburgenſis Plebanus de gremio Capituli Metropolitani per viam Compromiſſi (reliquis Canonicis adhuc cenſura Eccleſiaſtica ligatis) per geminos Abbates Rupertum Salisburgenſem ad S. Petrum & Jacobum Monaſterii S. Michaëlis in Beurn, nec non Andream Mautnerum Metropolitanæ Eccleſiæ Decanum in Archi-Epiſcopum electus, & juxta morem anno 1489. Authoritate Apoſtolica confirmatus provixit ſolum ad annum usque (quem ſibi die 4. Octobris fatalem habuit) Chriſti 1494tum hydrope defunctus.

XVII. SIGISMUNDUS de Hocheneck, Canonicus Metropolitanus & Magiſter Hoſpitalis Decretorum Doctor eligitur Archi-Epiſcopus currente adhuc anno 1494. cujus tamen etiam iſtius haud diuturnum erat regimen, enim vero in Solemnibus Imperii Comitiis Wormatienſibus infirmari occipiens reverſus in Patriam ſeu Mühldorfium in Civitatem ſuam pervenit, ubi pro medela nonniſi præſentiſſimam mortem invenit anno 1495. die 3. Junii Salisburgi tumulatus in propria Eccleſia ſua Salisburgenſi Metropolitana.

XVIII. LEONARDUS de Keutſchach Nobili e Carinthis ſtirpe natus, ex Canonico Auguſtiniano Archi-Epiſcopus inter Salisburgenſes Regulares ultimus electus anno 1495. die 7. Julii. Hic adhuc Juvenis anno 1460. Sacram Divi Auguſtini Regulam in ipſa Paſchali Dominicæ Reſurrectionis ſolemnitate apud Garantanos in Monaſterio Oberndorffenſi Profeſſus omni virtutum genere, nec minus ſingularis prudentiæ ac in agendo dexteritatis dotibus apprime cumulatus anno 1481. Calendis Septembris nativæ Regularis Canoniæ ſuæ Prælatus conſtitutus eſt, qui dum vix oneri humeros ſuppoſuit, potenter admodum in fornace tentationum torquetur ac probatur ab ipſo Supremo Numine; enimvero Oberndorffenſe ædificium Clauſtrale e Cœlo tactum miſerandum in modum terribiliter exuritur, ſternuntur muri, at neutiquam Leonardus Præſul, ſed vires reſumit, & Deo fortunante ſarta tecta reſtaurat omnia. Aliud horribile malum ſuſcitant Hungari ac efferi Turcarum populi, quorum tamen impetus etſi plusquam furioſos Fortiſſimus Atlas & Achilles maximus extulit, & ab ædibus ſuis omnimode propulſavit. Minora ſunt Religioſiſſimi Herois iſtius certamina, & ceu in protelarios ſolum velitatores pugnaſſet hactenus, majora tamen nunc exſpectat Præpoſitura Salisburgenſis Metropolitana diſſidiis inteſtinis inter ſumma Provinciæ capita & ipſum Capitulum hinc inde ſuſcitatis, adeo deprehenſa fuit exhauſta, ut oppignorari debuerit; quod pignus Cardinalis quidam natione Gallus in proprium ſuum commodum accepit. Ægerrime res habebat Præſulem hunc noſtrum Oberndorffenſem qui Religioſorum Confratrum ſuorum Salisburgenſium, inquam, Canonicorum iniquam ſortem miſeratus ad Romanum iter ſeſe fortiter accingit, quod & Succeſſu tam felici confecit, ut adeo præpinguem (qua integro etiam octennio jam Archi-Præſul factus jure merito fuit perfunctus) millenis aureis redimeret Præpoſituram; qua feliciter obtenta priorem Domeſticam in totum dimiſit anno 1490. novennio hactenus illi præfectus. Exinde ſub annum 1495. vacante Sede Metropolitana in Archi-Antiſtitem electus eſt Leonardus: cui ſane Salisburgenſis Eccleſia in hodiernum usque diem ſingulariſſime manet obſtricta, utpote meritis illius nimium quantum cumulata. Siquidem illam non tantum Ornatiſſimam reddidit ac ditiſſimam effecit, ſed & prius graviſſimis debitis exoneravit ſimul ac pignoribus exemit; redemit namque Vice Dominatum Leibnitz 22000. florenis. Redemit & Gmundam 30000. florenis Maximiliano Imperatori oppignoratam ubi & arcem caſualibus ac hoſtilibus flammis exuſtam e buſto ſuo novam extruxit, novamque Dynaſtiam de Rupa 70000. florenis emptitie comparatam ſæpedictæ Eccleſiæ ſuæ totam adjecit. Sic & Caſtrum Wall pariter oppignoratum feliciſſime recuperavit. Plus ultra Dominia Mühldorff & Mülin appellata Duci Bavariæ ſimiliter oppignorata redemit 23000. florenis in parata pecunia coram numeratis. Porro a Maximiliano Imperatore 12000. florenis emit, & Eccleſiæ ſuæ de poſthac pleno jure poſſidendam incorporavit Præfecturam Monaſterii Ordinis S. Benedicti, item S. Wolfgangi utramque iſtam cum pertinentiis ſuis. Dominium Wildenegg ac Urbem, caſtrumque Pettau itidem ab Imperatore redemit 20000. florenis. Sic quoque ad Territorium ſuum plene reduxit Dynaſtiam Stallenſem 5000. florenis in id numeratis. Præfecturam Vandorffenſem datis 2000. florenis. Item arces Friſacum, Landſperg & plura alia in confinibus Auſtriæ, Styriæ, & Carinthiæ ſituata, quæ in Chronicis Salisburgenſibus habentur annotata, adeo ut non injurie Maximilianus Cæſar de Archi-Præſule iſto Leonardo & Succeſſore ejus Langio palam edixerit, ſeſe duos habuiſſe Capellanos, quorum prior nunquam exhauriri, alter vero nunquam exhaurire poterat. Præter hæc etiam Arcem ſuam in monte Juvavienſi ſeu Salisburgenſi foſſa & aggeribus fortiſſime munitam ædificiis qua ſacris, qua profanis mirum in modum exornavit 263000. florenis in omnem hujuscemodi reſtaurationem expenſis. Anno 1498. Archi-Præſul Leonardus omnes & ſingulos terræ ſuæ habitatores de gente non Sancta, nempe Judæos procul hinc abire juſſit, & Solum vertere coëgit poſthabitis vectigalibus, quæ iſti ſtatis temporibus perſolverunt, ſat multis & magnis. Rebelles Ruſticanos Eccleſiaſtici Regiminis pertæſos plus minus 1500. ſcite compeſcuit anteſignanis illorum capite mulctatis; pari generoſitate ſedavit etiam cives & incolas Salisburgenſes obedientiæ, & Jurisdictioni ſui Principis ſeſe ſubtrahere connitentes. His & aliis pluribus glorioſe geſtis incomparabilis Princeps cum vere paterne præfuiſſet annis 24. & ultra laude immortali poſt ſe relicta terrenis expeditus ad cœleſtia tranſivit ex arce ſua Salisburgenſi die 6. Junii anno 1519. in ſua Capella D. Hieronymo Eccleſiæ Doctori ſacra ſepultus, quocum pro dolor! (Langio inſequente) conſepulta quoque eſt Religio Canonico-Auguſtiniana, de qua ipſe fuit ultimus vere ab adoleſcentia ſua totus quantus Auguſtinianus. Denique non extra memoriam hominum ponendum, quod ſub ſæpefati Leonardi Regimine currente anno Chriſti 1501. Diſcolores parvæ cruces ex aëre in hominum veſtes paſſim ſint delapſæ; item duo prægrandes Cometæ anno 1502. & 1508. a nemine non absque grandi horrore conſpecti, ut vere Poëta canit de ſuorum iniquitate temporum

Muta-

Mutarunt elementa fidem, prius igne calebant
Omnia, nunc ipso frigus ab igne venit.

Sic equidem triſti hoc orcino gutture illis & fatalibus annis, queis excidium longe graviſſimum paſſa eſt Religio noſtra Canonico-Auguſtiniana Salisburgenſis, propriam ſuam Matrem Filii jugulaverunt, ut vix umbra illius ſuperſit, imo nec umbra, ſed triſtis ſolummodo memoria. Sub Conrado I. Comite Abenſpergenſi Sanctæ memoriæ Archi-Epiſcopo calebant omnia calore Auguſtiniano, ſub Langio vero (jam prius intepeſcentibus cordibus Canonico-Auguſtinianis) frigore periere.

Syllabus

Præpoſitorum Metropolitanæ Eccleſiæ Salisburgenſis de Ordine Canonicorum Regularium S. Auguſtini.

I. HERMANNUS primus Regularis Præpoſitus anno 1120. a Calliſto Papa II. tum etiam ab Honorio II. ſub annum Chriſti 1125. Privilegium conſecutus ſeu Bullam Apoſtolicam Confirmationis de vita Regulari ſeu Canonico-Auguſtiniana perpetuis futuris temporibus in Metropolitana Eccleſia Salisburgenſi illibate ſervanda. Deceſſit tandem & ad plures abiit anno 1129.

II. GEBNO, ſeu Gebeon primum anno 1142. ſecus vero (uti perperam habet Hundius in Metrop. tom. 1. fol. 9.) jam anno 1130. vita terreſtri defunctus. Legitur is teſtis inſertus Litteris confirmationis Monaſterii Subenſis ab Altmanno Epiſcopo Tridentino datis anno 1142. quorum copiam exhibet idem Hundius citatus tom. 3. fol. 370.

III. HUGO deceſſit mortuus & ſepultus anno 1164. aliis 1170.

IV. SIBOTHO diem ſuum obiit anno 1184.

V. GUNDACHERUS, aliis Gundacharus obiit anno 1196.

VI. BERTHOLDUS Romæ moritur anno ſæculari 1200.

VII. BERNHERUS, antehac Præpoſitus Berchtesgadenſis poſt octenne regimen Metropolitanam Præpoſituram Salisburgenſem aſſecutus; iſtam tamen poſt annos ultra reſignat fatis extinctus 9. Calendas Septembris anno non notato.

VIII. ALBERTUS reſignat factus Epiſcopus Chiemenſis.

IX. OTTO fit Epiſcopus Gurcenſis anno 1212. ſeu (uti mavult Hundius) 1214.

X. ALBERO ſeu Adalbertus cum pluribus aliis pro recuperatione terræ ſanctæ in Syriam digreſſus demum obiit anno 1219.

XI. ADALBERTUS ex Canonico & Cuſtode Metropolitano Præpoſitus fit demum Epiſcopus Chiemenſis anno 1232.

XII. CHUNO antehac Decanus Metropolitanus obiit anno 1242.

XIII. OTTO itidem de proprio gremio aſſumptus obiit anno 1262.

XIV. FRIDERICUS de Wallen fit Archi-Epiſcopus Salisburgenſis anno 1270.

XV. HENRICUS fit Epiſcopus Secovienſis anno 1292.

XVI. FRIDERICUS de Metterkirch ſui in Cathedra Secovienſi Succeſſor proximus eodem adhuc anno 1292. in Epiſcopum Secovienſem conſecratus.

XVII. HELMBLICUS obiit anno 1307.

XVIII. WICKARDUS de Polheim fit Archi-Epiſcopus anno 1312.

XIX. FRIDERICUS de Leibnitz & ipſe fit Archi-Epiſcopus anno 1315.

XX. EVERHARDUS Saxo poſt decennem Prælaturam Berchtesgadenſem fit Præpoſitus Salisburgenſis, obiit admodum ſenex ac plenus dierum anno non notato, idem nominatus apud Hundium tom. 3. fol. 327.

XXI. JOANNES Reisſperger ſeu de Reicherſperg fit Archi-Epiſcopus anno 1429.

XXII. BURCARDUS de Weiſpriach fit Archi-Epiſcopus & poſt etiam S. R. E. Cardinalis.

XXIII. FRIDERICUS Planten obiit anno 1467.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XXIV. CASPAR de Stubenberg S. C. M. Consiliarius obiit Mense Octob. anno 1478.

XXV. CHRISTOPHORUS Ebron Mühldorffii exul obiit anno 1491. die 21. Jan.

XXVI. LEONARDUS Keutschach idem postmodum etiam Archi-Episcopus jam laudatus supra.

XXVII. RUDOLPHUS de Küenburg Metropolitanæ Ecclesiæ Salisburgensis Plebanus Vir omnigenæ virtutis splendore conspicuus, Divini cultus, & Orthodoxæ Religionis Zelator mirificus, nunquam non in orationibus ferventissimus, in celebrando ad Altare frequentissimus, ac demum in Domino terris pientissime demortuus anno 1526. die 16. Novembris.

XXVIII. BALTHASAR à Lamberg Metropolitanæ Ecclesiæ Decanus & Officialis inter Regulares Præpositos numero postremus, & ultimus obiit anno non notato. Notandum autem Regulares hujusmodi Salisburgenses Præpositos extitisse simul etiam Archi-Diaconos, quibus & Eberhardus II. Archi-Episcopus nominatus supra ex Indulto Sedis Apostolicæ indulsit etiam (uti referunt Chronica Salisburgensia) usum Virgæ Pastoralis & annuli Chirotecarii anno 1232.

Syllabus

Decanorum Regularium Metropolitani Chori Salisburgensis, is tamen forte solummodo mancus, singulari tamen studio ex antiqui Chartis collectus & excerptus.

I. B. HARTMANNUS primum Pataviæ ad S. Nicolaum Canonicus Regularis, subinde vero Regularis Ordo iste etiam in Metropolitanam Ecclesiam Salisburgensem fuit introductus à Conrado Archi-Episcopo Salisburgi in Decanum electus inclaruit, quod nempe mores illius cunctis essent Legis loco, permansitque talis usque ad annum 1131. quo decurrente ad Cœnobium Chiemense auctorante eodem Conrado Archi-Episcopo restitutum designatus est in Præpositum simul & Archi-Diaconum, ubi tribus constitit annis in Officio suo præclarus, tum vero in primum Regularem Præpositum Claustro-Neoburgensem in Austria constitutus, demum postulatus & constitutus est in Episcopum Brixinensem.

II. HENRICUS claruit sub Eberhardo Archi-Episcopo hujus nominis primo, & Hugone Præposito circa annum 1150. vel (secundum alios) 1160.

III. RUDOLPHUS Decanus anno 1195.

IV. ALBERTUS anno 1211.

V. CUNO anno 1218.

VI. CUNO alter (nisi sit idem cum priore) sive Thuno primum Decanus subinde vero Præpositus obiit anno 1242.

VII. FRIDERICUS de Mitte.kirchen fit anno 1292. Præpositus, tum vero Secoviensis Episcopus anno 1309.

VIII. LUDOVICUS Decanus anno 1307.

IX. WICHARDUS de Polheim, subinde Præpositus, & demum Archi-Episcopus anno 1312.

X. GERHOHUS de Waldeck fit Episcopus Chiemensis anno 1341.

XI. ORTOLFUS anno 1358.

XII. EGELMANNUS Krael fit Episcopus Chiemensis anno 1418.

XIII. FRIDERICUS Truchsäs de Everberg fit Archi-Episcopus Salisburgensis anno 1441.

XIV. HADMARUS de Laber Decanus & Officialis Salisburgensis ab Hundio in Metropoli *Generosus Dominus* appellatus obiit anno 1475.

XV. ANDREAS Mautner de Katzenberg anno 1487.

XVI. BALTHASAR à Lamberg Decanus & Officialis Curiæ Salisburgensis demum in Præpositum electus anno 1526.

SALIS-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SALISBURGENSE

Canoniſſarum Parthenæum olim Eccleſiæ Cathedrali contiguum, & à ſæpe laudato B. Conrado primitus Fundatum Canoniſſis Regularibus S. Auguſtini, quæ tunc temporis Dominæ Cathedrales vulgo dicebantur. Quænam autem huic Parthenoni prima præfuerit, quæ Succeſſerit in Præfectura, uti & alia fere omnia, memoria exciderunt. Ipſe locus, quo ſtetit, pro certo hodie compertus non habetur. Hundius, & alii ſcripſerunt, ſtetiſſe prope Eccleſiam Cathedralem, ubi tunc etiam ipſorum Canonicorum Domus fuit, unde ſi ita fuit, oportet, utrorumque ædes fuiſſe contiguas: & forſan antiqua ædes à DD. Canonicis Metropolitanis etiamnum noſtra ætate habitata, illis tunc habitationem præbuit, aut pars Cœnobii fuit; quam poſtea aliquamdiu DD. Præpoſitos incoluiſſe conſtat. Capella certe, ſeu exigua Eccleſia ibi extabat, ſacræ habitationis indicium. Aliorum Sententia & in his Benedicti Abbatis S. Petri (qui ante centum annos, nempe 1577. vita functus) fuiſſe legitur illud Cœnobium Canoniſſarum circa Eccleſiam Parochialem (quæ Religioſis Patribus S. Franciſci de obſervantia deinceps attributa eſt) eo fere loco, quo nunc in platea, templi nomen vulgo habentes, aulica ædificia porriguntur. Verum Cœnobium ſæpe memoratum poſteris temporibus deſiit. Nam Burcardus de Weiſpriach Archi-Præſul Salisburgenſis, & S. R. E. Cardinalis indulto Pii II. Pontificis Summi, numero forſan Sacrarum Virginum jam deficiente, illud in Presbyterorum Sæcularium Collegium mutavit, qui communi illuc habitatione & victu utentes Choro Eccleſiæ Metropolitanæ deſerviebant. Nec tamen, uti tempus mutat omnia, hoc diu ſtetit. Nam brevi poſt Burcardi mortem etiam Sacerdotum illud Collegium deſiit. Ædes ſupra memorata, cum ſua Capella jam pridem ſacris uſibus deſerta, paucos ante annos aliis habitatoribus relicta, demum cum ruinam minaretur, & Baſilicæ Metropolitanæ liberiori proſpectui obſtaret, penitus deſtructa, nunc latiorem aream reliquit.

SARBURGENSE

Monaſterium Canonicorum Regularium S. Auguſtini de Venerabili Congregatione Windeſimenſi prope Sarburgum in Auſtraſia jam pridem calamitate temporum ac Bellorum meriſſime ſucciſum; de quo proin haud amplius conſtat præter inane nomen illius apud Aubertum Miræum de Cann. Regg. cap. 13. fol. 69. vel breviter in hæc verba relatum. *Monaſterium S. Laurentii in Hiſſa prope Sarburg Diœceſis Metenſis.*

SCHAMHAPTENSE,

Alias etiam *Schambauptenſe* communiter appellari ſolitum, & ab Auberto Miræo de Cann. Regg. cap. 13. fol. 68. *Monaſterium S. Georgii Martyris de Sambeco* nuncupatum jam pridem evanuit. Hoc autem primitus ad fontes rivi Schamhaptenſis apud Bavaros haud procul à vico Altmanſtein intra limites Diœceſis Ratisbonenſis extruxit ipſamque Schamhaptenſem Eccleſiam anno 1130. admodum locupletavit Bertholdi Nobilis Dynaſtæ cujusdam vidua Domina Gertrudis. Venit etiam in partem ejusce pietatis ejusdem Bertholdi & Gertrudis Conjugum Filia Leitgarda. Qualiter ex Aventino refert Adlzreitterus part. 1. lib. 20. num. 22. Pennottus noſter in Generali Hiſtoria ſua tripart. lib. 9. cap. 39. num. 12. Schamhaptenſe Monaſterium iſtud diſtinguit ab illo, quod Miræus citatus *de Sambeco* vocat, & duo diverſa Canonicorum Cœnobia fuiſſe putat, at perperam ſolum unum enim tantummodo fuit taliter Bifario nomine nuncupari ſolitum. Henricus de Abenſperg Epiſcopus Ratisbonenſis electus anno 1465. de vicino ac Comprovinciali Diœceſis Eyſtadianæ Monaſterio Rebdorffenſi ſecundum Conſtitutiones Windeſimenſes ſtrenue reformato ſpecialiter ſibi complacens talia quoque ſuo Schamhaptenſi fieri deſiderans, iſtud pariter eisdem ſanctionibus ſubdi voluit & aptari; quocirca plenaria juris ſui ceſſione iſtud omnino perficiendum & exequendum negotium tradidit Venerabilibus Viris Congregationis Windeſimenſis Viſitatoribus, & quidem per proprias Litteras pro tota rei notitia cunctis habenda copialiter editas juxta ſequentium tenorem. Henricus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Ratisbonenſis ad perpetuam rei memoriam &c. Officii Paſtoralis, quo Domino diſponente in regimine Eccleſiaſtico præſumus crebris perurgemur curis, ut juxta nobis creditæ diſpenſationis officium quieti & paci Subditorum, præſertim ſub Regularis Obſervantiæ Studio piæ vitæ vacantium, in quorum utique profectu recreamur, in quantum nobis ex munere Altiſſimi conceſſum fuerit. Solicitudinis vigilantia intendamus & his, quæ pro Divini Cultus ſacræque Religionis incremento ſalubri-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

lubriter à Patribus conſpicimus ordinata, ut eo firmius obſerventur, & illibata conſiſtant, quo plenius noſtræ Authoritatis & Conſenſus fuerint approbata, & confirmata robore & munimine ſpeciali. Nos igitur Regularis obſervantiæ amore attacti, & ad Divinæ Majeſtatis cultum noſtris temporibus ampliandum ſuccenſi, illa, quæ in Monaſteriis noſtræ Diœceſis per injuriam Prælatorum & Regularis vitæ abuſum & negligentiam ad deterius ſunt redacta, & quodammodo collapſa, reformare & augere cupientes, noſtræ mentis oculos ad Monaſterium Schamhaupt. Ord. Cann. Regg. direximus intimis præcordiis affectantes, quod tam devotus locus ex incuria habitantium ad deſolationem tendens in ſpiritualibus & temporalibus reformetur, & refloreat. Conſiderantes denique id aptius meliusque fieri non poſſe, quam per introductionem Virorum Religioſorum Canonicorum videlicet Regularium de Obſervantia Monaſterii Rebdorff (quod eſt de & ſub Obſervantia & Capitulo Windeſimenſi Trajectenſis Diœceſis) cum plena ſubjectione quoad Regularem Obſervantiam & Monaſticam Diſciplinam conſervandam dicti Monaſterii Schamhaupt, eidem Capitulo & Superioribus, & Viſitatoribus facienda, prout in diverſis locis & Monaſteriis aliarum Diœceſium penitus quaſi deſolatis, & in ſpiritualibus & temporalibus collapſis, & per hujusmodi introductionem Canonicorum Regularium Reformatorum Divina favente Clementia temporibus noviter effluxis, laudabiliter reſtitutis & reformatis, factum eſſe, audivimus, & comperimus. Hinc eſt, quod Nos maturo præhabito Conſilio ex certa noſtra ſcientia pro tanto pio Dominoque Cultori vineæ Eccleſiæ gratiſſimo opere conſequendo, & conſummando, ex quo & in dies majora ubertim ſuccreſcere debere germina virtutum non dubitamus, interveniente etiam Capituli noſtræ Eccleſiæ Ratisbonenſis conſenſu, dictum Monaſterium Schamhaupt cum omnibus & ſingulis Juribus, Privilegiis, rebus, bonis mobilibus & immobilibus, ac pertinentiis univerſis, una cum Perſonis Regularibus inibi demorantibus præfato Capitulo Generali Windeſimenſi Canonicorum Regularium Præfatorum quoad præmiſſa conſervanda ſubmittimus, eorumque unioni & Incorporationi ſubiicimus. Volentes & decernentes prædictum Monaſterium illi Capitulo Generali & ipſius Jurisdictioni quoad Regularem Obſervantiam, ut præfertur, in perpetuum ſubeſſe & ſubjacere, dummodo tamen obſervantia Regulari ac Fratribus de dicto Capitulo & ipſius obſervantia in eodem remanentibus, ab eodem etiam, & Viſitatoribus per ipſum Deputatis vel Deputandis in futurum viſitari, & Prior atque Fratres ſeu Canonici inibi inſtituendi ſecundum Statuta & Ordinationes dicti Capituli Generalis eligi, inſtitui, confirmari, deſtitui, corrigi, & emendari, atque ipſum Monaſterium, Prior, & Fratres ſeu Canonici ad ipſum introducendi, omnibus & ſingulis Libertatibus & Privilegiis dicto Capitulo Generali & ipſius Perſonis à Sede Apoſtolica conceſſis & concedendis, in præmiſſis uti, frui, & gaudere poterunt & debeant, ita tamen quotiescunque aliquem Priorem in Regimine præficient, toties per ipſum vel alium Epiſcopo Ratisbonenſi pro tempore exiſtenti Canoniam ſuam, uti antiquitus de Præpoſito ſolitum ſuit, præſentabunt. Charitativum ſubſidium, ſicut alia Monaſteria, & Cathedraticum annuatim perſolvent. Nec non alia omnia & ſingula facient, quæ Legem Diœceſani de Jure vel conſuetudine concernunt, cujus Diœceſani Epiſcopi Jurisdictio tam quoad Legem Diœceſanam, quam Jurisdictionem ſpectant, quoad forum contentioſum Epiſcopo Ratisbonenſi pro tempore ſemper debebit eſſe ſalva & inviolata, & præmiſſis dolo & fraude remotis. Vicarios annuales vel perpetuos Presbyteros Sæculares ad Eccleſias Parochiales Monaſterio annexas ſeu incorporatas Nobis & Succeſſoribus noſtris vacationum temporibus pro inſtitutione Canonica obtinenda præſentabunt. Inſuper ut quietius & devotius Domino JEſu famulari, & ſecundum eorum cæremonias & exercitia ſpiritualia ſuccreſcere valeant, volentes eos ad hoc promovere, & hujusmodi Obedientiæ & ſanctæ Diſciplinæ per Nos promotæ comparticipare, adijcimus, quod in præmiſſis omnibus, & circa ea ipſos Fratres Canonicos non impediemus, inquietabimus, aut perturbabimus per Nos aut Officiales noſtros quovis modo, ſed eosdem pro uberiori fructuoſorum palmitum propagatione latius plantanda paterne & pie in omni libertate, quantum ad nos ſpectat, continebimus, & confovebimus fideliter. In quorum omnium fidem & teſtimonium &c. &c.

Taliter ergo (ut dictum eſt) Monaſterium hoc Schamhauptenſe quamvis ad intentionem Reverendiſſimi Ordinarii ſeu Ratisbonenſis Epiſcopi ſtrenue reformatum, & (nova Cœnobitarum Colonia ex Aſceterio Rebdorffenſi antedicto ad illud deducta) memoratæ Congregationi Windeſimenſi pleniſſime fuerit unitum & incorporatum, hæc tamen ſalubris Reformatio haud diu ſtabilis permanſit, & vix ad integrum unius ſæculi decurſum duravit, quin & ipſa Fundatio, utpote à ſui exordio tenuis admodum & macilenta paulatim omnimode defecit. Tota ſeries mutationis quamvis breviſſime ſolum deſcripta habetur in Litteris ad Reverendiſſimum D. Joannem Schizium ſæpe-

dictæ

dictæ Congregationis Windesimensis Visitatorem Generalem de Statu Monasteriorum de eadem Congregatione in Diœcesi Constantiensi Ratisbonensi, & Wormatiensi consistentium ex officio penitius inquirentem ab itidem Reverendissimo Domino Priore seu Prælato Rebdorffensi anno 1624. transmissis, quæ inter alia sic habent: *Solum est, quod de Schambaupto memorandum ad propositum illud nempe Monasterium circa finem præteriti Sæculi decimi sexti abolitum mutato nomine Monasterii solemni actu conversum fuisse in Dominium sæculare, reditusque una cum Dominio assignatos à Serenissimo Duce Bavariæ Vniversitati Ingolstadiensi, hac tamen conditione, ut de iisdem quotannis Monasterio Eremitarum* (Ordinis S. Augustini) *noviter Ingolstadij erecto quadringentos penderet florenos. Actui autem immutationis seu extinctionis Monasterij nemo ex parte Diœcesani (illo forte refragante) interfuit, sed aliunde ex nostra scilicet Diœcesi Eystettensi Dominus Officialis postulatus fuit, qui etiam primum mallei ictum, quo Monasterij manum petiit gravi læsione proprij pedis* (Deo forte taliter disponente) *excepit &c.*

SCHEFFTLARENSE

Præstantissimum hodie Sacræ Familiæ Præmonstratensis, Diœceseos vero Frisingensis in Superiori Bavaria Cœnobium, quod quidem aliquando à Monachis insessum, antiquitus vero, imo mox à primo suæ Fundationis exordio Regularibus S. Augustini Canonicis addictum, atque ab istis aliquanto saltem tempore inhabitatum dilucide satis ostendit Hundius in Metropoli Salisburgensi tom. 3. fol. 290. ex residuis ejusdem Monasterii Litterariis Documentis, quæ inter alia sic habent. *Temporibus Thassilonis Ducis Bavariæ Walkerius Decanus in Teiningen Vir nobilis Fundator Claustri Scheffarn de propria hæreditate, & vocabatur tunc Petenbach, & fuerunt ibi Canonici Regulares, postea Benedictini, qui fuerunt expulsi per Arnoldum impium Bavariæ Ducem & Hungaros. &c. &c.*

SCHEININGENSE.

Jam pridem antiquatum Virorum Monasterium apud Saxones in Diœcesi Halberstadiensi S. Laurentio Christi Martyri dicatum, idque in oppido (quod primus condidit, qui cum Hungaris prælio dimicaturus anno Christi 933. isthic loci castra sua posuit, Henricus I. Romanorum Rex cognomento *Auceps:* Quique jamjam armis accinctus, & hostem audacter invasurus ad suos Belli Duces conversus. Eja, hodie, dixit, victoriam ab Hungaris reportabimus, illis autem ita fieri posse severe negantibus, concepta spe in Omnipotentem renovata fretus intulit, sic erit, & ita fieri debebit, si tamen Deo placuerit: *Es wirdt geschechen, und mueß geschechen, ßo Gott will;* unde rei eventu felicissime subsecuto, locus certaminis jam in oppidum mutandus.

Scheiningen nomen accepit Scheiningensi constitutum; fuit autem istud prius Incluſorium (de cujus Authore & primo novæ Fundationis tempore haud amplius constat) Monialium; quibus suo tempore loco motis Reinardus seu aliis Reingerus Halberstadiensis Episcopus (juxta calculum Bruschii tom. 1. cap. 13.) Ordine decimus quintus anno Salutis humanæ 1120. Canonicos S. Augustini introduxit prima ipsorum Colonia de Cœnobio Hamerslebensi petita Tietmaro quodam ipsis in Præpositum dato, cumque idem Reinhardus Episcopus cerneret totum prioris Claustri Fundum novæ Religiosorum Fratrum habitationi minus congruum & acceptum, mutato Consilio, aliam, quam in Superiori Scheiningensis villæ parte habuit, templo S. Stephani Proto-Martyris adstructo propriam & insignem, memoratis Ascetis Augustinianis eo translatis, lubens indulsit, imo & de certis quibusdam censibus ac reditibus in perpetuam proprietatem legitime possidendis abunde providit; superadditis insuper variis Juribus ac Privilegiis de posthac convenienter usurpandis, prout fusius exclamant litteræ in confirmationem novæ Fundationis hujus juxta sequentem Formulam adornatæ: In instituendis ac firmandis Sanctæ Ecclesiæ Institiis & Religionis incrementis Episcopali præcipue decet providere vigilantia unde quamvis Matris Ecclesiæ ruinas multiplicari videamus, & eis peccatis nostris exigentibus pro debito nostro ad occurrendum per omnia minime sufficiamus, Divina tamen favente gratia susceptum in his Officii nostri ministerium pro posse nostro recogitare studebimus. Notum itaque facimus præsentibus & cunctis ultra futuris Sanctæ Ecclesiæ Fidelibus, quod nos in Ecclesia nobis credita inordinata corrigere, & inspecta fideli devotione prosequi cupientes quandam Sanctimonialium Congregationem apud villam Scheiningen institutam, sed inutiliter ac sine fructu Sanctæ Religionis omnisque honestatis dies suos deducentem, communicato fidelium Ecclesiæ nostræ Consilio removimus, & Fratres jux-

ta traditionem Regulæ S. Auguſtini vitam ducentes illic ſubſtituimus; quia vero prioris Clauſtri loca ad conſtruenda domicilia Congregationis inconvenientia vidimus, fidelibus Eccleſiæ noſtræ conſulentibus in Curiam noſtram, quam in ſuperiori parte ejusdem Villæ habuimus ipſum Clauſtrum utilitatis & commodorum gratia tranſtulimus, antiqua tamen Eccleſia cum appertinentibus bonis, mediis, omnibusque Juſtitiis ſuis in poteſtatem & ſubjectionem ipſius Congregationis perpetua ſtabilitate cedente. &c. &c. Quæ litteræ datæ fuerunt Halberſtadii 15. Calendas Novembris, eisque anno proxime ſequenti videlicet anno 1121. ſuperadditæ fuerunt etiam aliæ, quarum tenore idem Fundator Reinhardus Epiſcopus ſupradictus priorem Dotationem ſuam de novo reiteravit, & amplius confirmavit, aliis & aliis Fundis, Agris, Pratis, ac Sylvis in pinquiorem dotem amplius collatis. Hodie templum Scheiningenſe cum adjuncto Collegio prioribus ſæculis usque ad infauſta illa mutatæ Religionis tempora nunquam non, maxime vero ſub vigilantiſſima cura & inſpectione Viſitatorum Hallenſis (uti vocabatur) Capituli Florentiſſimo Religioſis Canonicis inde penitus excluſis, manet ſub iniqua poteſtate Principis terræ, ſeu Ducis Brunſvico-Wolfenbüttelani Sacrilege detentum, & Stipendiariis aliquot Lutheranis in uſus profanos conceſſum. Abrahamus Sauſius etſi Scriptor Acatholicus de Urbibus Lit. M. *Primam ait Sacrarum Virginum Coloniam novo Parthenoni Halberſtadienſi ſub annum 1181. recens fundato immiſſam, in Magiſtrum & ſuum in Spiritualibus Rectorem accepiſſe Godefridum quendam Canonicum Regularem & Presbyterum, ex eodem hoc Scheiningenſi Cœnobio datum.*

SCHENNIS, ſeu *SCHÖNIS*

Appellari ſolitum Canoniſſarum olim quidem Regularium, hodie vero Sæcularium apud Rhætos, in Diœceſi Curienſi & pago *Churwalachbo* dicto, Principale Collegium, ſecus vero Monialium Ordinis S. Benedicti (uti perperam habet Gabriel Bucelinus part. 2. fol. 79. Cœnobium; de cujus prima Fundatione Leonardus Mayr in ſuo Calendario Mariano vulgo *Mariæ Stammen-Buech* part. 1. die 30. Martii hæc apponit: *Graff Hunfridus aus Iſtria ware Mariæ Andacht inbrünſtig ergeben, Er bauete diſſer Himmels-Königin das fürtreffliche Freyſtifft Schönis den Adelichen Chor-Jungfrauen anno 800. welche nach S. Auguſtini Regel mit ſingen, leſen &c. vber die achthundert Jahr mit höchſter Andacht und Eyfer ohne Vnderlas dieneten.*

Porro Sacratas Virgines olim in Schönis commorantes Canonicam ut dictum eſt, ſecus vero Monaſticam tenuiſſe Clauſtralem Regulam liquido conſtat ex Diplomate quodam Henrici III. Romanorum Regis, quod totum legitur apud Ægydium Tſchudium in deſcriptione Rhætiæ Alpinæ cap. 7. fol. 19. clementiſſime datum ſub hujusmodi tenore: In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis &c. &c. Henricus Divina favente Clementia Rex &c. &c. Si dignis petitionibus Fidelium noſtrorum benignum auditum adhibere ſtuduerimus, apud Deum & homines condignam communerationem habere non dubitamus; quapropter omnium Dei noſtrique fidelium præſentium ſcilicet, & futurorum noverit induſtria, qualiter fidelis noſter Vdalricus Comes pietatis noſtræ Clementiam adiens humiliter rogavit, ut Monaſterium quod Schennis dicitur à Parentibus ſuis & à ſe Fundotenus conſtructum, in honorem quoque S. Martyris Sebaſtiani dedicatum, ſitum in pago Churwalacha in Comitatu Eberhardi Comitis & Sanctas Moniales Deo ſub Canonica Regula ſervientes in tuitionem ſuſcipere dignaremur, cujus petitioni pium aſſenſum præbentes ob interventum ac petitionem Dilectæ Conjugis noſtræ Agnetis Reginæ Præfatum Monaſterium cum Eccleſiis, decimis, Eccleſiam Nuroli cum Curte Wila, Ritinowa cum Curtibus, Eccleſiam vero Mellingen, nec non cætera bona, quæ videntur habere in Villa Ranckwila, Kiskingen, Frowines, Chezines, Finines, Eſtonis decimationem in Zuzunes, Thoſteres, cum omni utilitate in Bereduro, dimidia pars curtis & Eccleſiæ Falares, Pludenes, Schines, Walatade, Nivege, Filos, Nurach, Winchela, Chaltebrunn, Wettingum, Goldbach, Tuites & cum omnibus utilitatibus, & utenſilibus ad idem Monaſterium pertinentibus, ſeu quæcunque adhuc Divina pietas illic augeri voluerit, in noſtrum emundiburdium & tuitionem accepimus, noſtræque Authoritatis præcepto roboravimus, eo quoque tenore, ut præſcriptum Monaſterium & Sanctimoniales eandem libertatem quam cæteræ Regulares habeant eligendi Abbatiſſam; cui à Regia poteſtate idipſum committatur officium. Et ut hæc noſtri mundiburdii vel tuitionis auctoritas ſtabilis & inconvulſa omni tempore perſeveret, Chartam inde conſcriptam ſubtusque manu propria roboratam Sigillari juſſimur &c. &c. Hæc Tſchudius citatus.

SCHLECH-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SCHLECHDORFFIUM,

Ita genuino nomine ſuo dictum, Diœceſis Friſingenſis, ad Alpes Tyrolenſes in finibus Superioris Sueviæ juxta lacum Cochelſee cognominatum, Venerabile Canonicorum Regularium S. Auguſtini Cœnobium, primitus vero ſub annum gratiæ 740. pro Monachis Aſceſin Benedictinam Profeſſis (una cum aliis quibusdam Comprovincialibus hujuscemodi Monaſteriis, ut puta Benedicto-Burano, Pollingenſi, Weſſenbronnenſi &c.) fundatum, & inædificatum cœpit Authorantihus ter geminis Fratribus Landfrido, Waltramo & Elilando Comitibus de Antorff, qui tamen omnes tres iſti paulo poſt inſpirante Numine Sæculum terribiliter exoſi, poſtmodum itidem in antedicto Benedicto-Burano Monaſterio ſuo ſimul & ſemel Monaſticen Profeſſi, Succeſſivis vicibus etiam ejusdem loci Abbates evaſerunt, & primus quidem Landfridus, qui dum ad clavum ſedit annis 22. plenus meritis in Domino requievit anno 764. idem poſt mortem ſuam à S. Wicterpo Epiſcopo Auguſtano tumulatus, quem inde in eodem in Clauſtrali Regimine ſecutus fuit ejusdem Germannus Frater Waldramus qui in adminiſtratione ſui muneris Abbatialis conſtitit annis 29. Ac tandem 4to Idus Februarij poſt mortem ſuam cum Landfrido ſuo eodemque tumulo repoſitus, cui S. Simpertus Epiſcopus Auguſtanus parentavit. Succeſſit demum Elilandus inter Germanos Fratres numero tertius jam ſenecta ætate maturus annis 44. in Abbatiali regimine præclarus, quousque demum jam decrepita ætate feſſus exanimis factus & appoſitus eſt ad eosdem Germanos Fratres ſuos 18. Calendas Septembris, quorum oſſa & reliquias ætate noſtra, dum ſub annum 1684. templum Benedicto-Buranum omnino novum è Fundamento ſuo fuit inſtauratum complaudentibus omnibus & mirantibus illæſa & integra fuerunt reperta, quorum nomina ſingulis loculis deprehenſa fuere ſingulis tabulis inſcripta. Et hæc de primis Fundatoribus Schlechdorffienſis Cœnobii, quorum tamen pia fundatio tota periit utpote anno 945. à ferociſſimis Hunnis paſſim per univerſam terram iſtam in loca ſacra ſæviſſime debacchantibus penitus everſa & ſuccenſa, cum qua etiam ordo Monaſticus eo usque in Clauſtro iſto conſtanter obſervatus deſiit nullo prorſus veſtigio de prima & Antiquiſſima Monaſtarum converſatione Poſteritati relicto. Verum Satagente Principe Terræ Henrico Bavariæ Duce & Ottone ex Marchionibus Auſtriæ Supremo Friſingenſis Eccleſiæ Epiſcopo anno Domini 1140. Fundus Schlechdorffenſis denuo fuit refectus, ceſſitque Canonicis Regularibus S. Auguſtini, de quorum tamen Religioſa Colonia unde unde tandem adducta, uti & de Primorum Canoniæ hujus Schlechdorffenſis Præpoſitorum nominibus itidem non conſtat, cum injuria flammarum & tempus edax etiam duriora conſumpſerit, credimus eorum nomina ſcripta in libro vitæ, lecturi illa (ita ſperamus) in eo poſt aliquot Ariſtas. Hos tamen inter Prior, cujus extat memoria, eſt

I. CONRADUS, hujus nominis IV. quem circa annum ſæcularem 1200. hic loci præfuiſſe, conſecratumque hujus ſub Regimine Altare Divo Nicolao Epiſcopo Myrenſi dicatum, ſcripta perhibent Authentica, cæterum acta Conradi hujus utcunque latent, uti & Succeſſio usque ad annum 1374.

II. HERMANNUS ab anno 1374. Præpoſituram adminiſtraſſe invenitur per 34. annos ſat diu, ſi ſat bene.

III. CONRADUS electus anno 1388.

IV. BERTHOLDUS Præpoſituram adiit circa annum Domini 1403.

V. CONRADUS in Præpoſitum electus anno 1429.

VI. HERMANNUS Clauſtrale Regimen ſuſcepit anno 1446.

VII. OSWALDUS Clavum tenuit anno 1462.

VIII. MATHÆUS Rexit Eccleſiam anno 1474.

IX. JOANNES cognominatus Hirn (conveniunt rebus nomina ſæpe ſuis) Præpoſitus dignus nominatus eſt, haud indignus memoria noſtra, cum Hofmarchiam Olſtadienſem baculum ſenectutis noſtræ ære non ſuo nec alieno coëmerit, & Canoniam aliis etiam dotaverit prædiis.

X. GABRIEL Salutatus eſt Antiſtes anno 1503.

XI. CASPARUS ad Clavum ſedit anno 1507.

XII. ANTONIUS præfuit anno 1511.

XIII. AUGUSTINUS, qui cum ſui reique Domeſticæ curam haberet non niſi exiguam, exauthoratus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XIV. ARLATIUS Præpoſituræ jugum ſuſcepit anno 1552.

XV. GEORGIUS Præſul declaratus anno 1558.

XVI. WOLFGANGUS Bucher Vir fortis & prudens electus anno 1572. curavit ſuos annis 34. erexit in adjacente colle ædem Divis è Soc. VV. & MM. Ainbethæ, Wohlbetæ, & Vilbethæ Sacratam, in qua Filiis Adæ vota nuncupantibus multa præſtant Beneficia.

XVII. CHRISTOPHORUS Elwanger.

XVIII. VIRGILIUS Eiſenſchmidt electus anno 1631. ob tumultus Suecicos ferrea paſſus eſt luſtra, Vir ſi non multa fecit, multa tulit, enervatus ſenio, aliis de revolutione in præjudicium ſacri Ordinis noſtri periculoſa meditantibus locum ceſſit anno 1663. ſequenti, cujus nomen

XIX. BONIFACIUS ex Comprovinciali celeberrima Canonia Rottenbuechenſi; qui cum Pompejo ad omnia ſumma natus ex præſcripto Sacræ Regulæ noſtræ Clauſtralem Diſciplinam libens habuit, metuendus impoſuit, plus tamen inter ſuos dignus amore, quam timore: Hic bonus Præpoſitus, quia omnia bene fecit, peregre ad nos profectus, ſciens dignum Sacris Altaribus Miniſtrum ſacrum corpus ſub ſummo Altari conditum Divi Tertuliani Presbyteri & Martyris nobilis Romani Tutelaris Patroni noſtri ante plura Sæcula iſthuc ex Hungaria delatum poſuit ſupra candelabrum, ut omnibus, qui eſſent in Domo Dei præluceret, & benefaceret. Quadriennio tantum digniſſimus Antiſtes inter nos vixit, quo decurrente paucis explevit tempora multa, vel maxime reſtitutionem totius œconomiæ factam, prius vel oppido labefactatam.

XX. FELICIANUS Weinmüller itidem ex celeberrima Canonia Rottenbuechenſi iſthuc evocatus anno 1668. Habuit induſtrius iſte noſter Oeconomus tantam rei Domeſticæ curam, ut multa non eximeret ære alieno (Patres enim noſtri peccaverunt, & non ſunt) hinc apprime dignus, ut nomen ejus apud Schlechdorffenſes auro cedroque jugiter inſcriptum maneat. Obiit anno 1673. paſſim magno ſui deſiderio Poſteris relicto.

XXI. BERNARDUS in Præpoſitum Schlechdorffenſem electus anno 1674. die 22. Januarii.

XXII. CONSTANTIUS.

SCHLESWISENSIS

Eccleſia (quæ eſt Suffraganeatus Metropolitanæ Bremenſis) in inferiori Saxonia & cognomine Ducatu Schleswiſenſi ſub annum Chriſti 940. auctorante Ottone I. ſeu Magno Rom. Imp. fundata & inſtituta, eadem tamen hæc ſub annum 1648. damnata pacificatione Weſtphalica Sacrilego auſu in Principatum ſæcularem transmutata, in ſuo Cathedrali Collegio Clericos Canonicos primis ſaltem inſtitutionis ſuæ temporibus ad inſtar aliarum Saxoniæ Eccleſiarum Apoſtolicam Regularitatem ſancte coluit, de qua pluribus dictum eſt ſupra V. *Magdeburgenſe.*

SCHLIERSEENSE

Taliter ſuo nomine dictum vetuſtiſſimum Ordinis S. Benedicti Monaſterium, atque iſtud vel olim intra limites Superioris Bavariæ ſub Diœceſi Friſingenſi ad radices alpium, & cognomen lacum *Schlier* nuncupatum inter Oenum & Mangualdum notiſſima ejusdem Provinciæ flumina conſpicuum, originem ſuam trahit à Nobilibus Viris Adelwardo, Hiltpoldo & aliis circa annum 760. potentibus ac famoſis liberaliſſime fundatum; poſtmodum vero tempore Crudeliſſimæ devaſtationis Hunnorum cum plerisque locis ſacris per univerſam Regionem diſperſis, quamvis omnimode devaſtatum, è ſuis tamen cineribus denuo feliciter emerſum lætiſſime revixit, procurante nimirum S. Ottone Epiſcopo Friſingenſi ſub annum circiter 1140. pleniſſime reſtitutum, ac pro tunc traditum Regularibus Canonicis Auguſtinianis, qui iſthic loci ſeu in Schliersee ſub Regulari Profeſſione ſua perſtiterunt usque ad annum 1495. quo nimirum tempore Cœnobium iſtud Auguſtinianis Canonicis ademptum ceſſet alienis videlicet una cum Collegio Illmonaſterienſi ſupra recenſito ſubditum & incorporatum fuit primariæ Eccleſiæ Monacenſi pro tunc in novam Collegiatam elevatæ teſtante Adlzreittero part. 2. Annalium Boicarum lib. 9. num. 59. & 66.

SCHÖ-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SCHÖNENSTEINBACHENSE

Diœceſis Baſileenſis Canonicorum Regularium quondam Cœnobium, quod anno 1365. ab irruentibus Anglis Alſatiam devaſtantibus, hoſtiliter occupatum & direptum, Succeſſu temporis omnino in rudera ſubſidit, denuo aliquando reſuſcitatum ceſſit Monialibus Dominicanis, de quo nobis occurrit Felix Faber ejusdem Inſtituti Alumnus ac Prior Monaſterii Ulmenſis in ſua Hiſtoria Sueviæ lib. 1. cap. 15. fol. m. 177. in hæc verba legendus: *Lupoldus* (ſeu Leopoldus hujus nominis Quartus Archi-Dux Auſtriæ anno 1411. terris demortuus) *homo longus & magnus degens in Superiori Suevia uxorem habuit* (Catharinam) *Filiam Ducis Burgundiæ, & ambo erant Ordini Prædicatorum bene inclinati & devoti, quare Duciſſa cum Monialibus in Diſenhofen* (ejusdem Dominicanæ Familiæ Parthenone Diœceſis Conſtantienſis apud Helvetios in Turgovia hodiedum inclyto) *frequens fuit; ad quam acceſſerunt Devotariæ Monaſterii, rogantes, ut promiſſionem dudum eis factam per Uxorem Ducis Rudolphi compleret, Domina ergo promiſit, & complevit, cum enim eſſet in oppido Enſisheim Baſileenſis Diœceſis, & quodam die cum puellis & ſervis ſuis in Sylva prope Enſisheim pro ſolatio evagaretur, venit ad unum deſolatum Monaſterium cum combuſta Eccleſia, quam Anglici quondam dum Alſatiam vaſtarent, combuſſerunt: Videns autem locum vacuum, & tamen Religioni ſatis congruum, ſcrutinio habito, quod Canonici Regulares, qui loci Poſſeſſores fuerant, reædificare non intenderent locum, ad ſuas manus ſuſcepit Duciſſa illa devota, & collapſam Eccleſiam & Monaſterii ruinas removens Officinas Clauſtri inſtauravit cum Conſilio Reverendi Patris Conradi de Pruſſia primi Reformatoris Ordinis Prædicatorum in Provincia Teutonicæ. Loco ergo aliqualiter aptato aſcendit Domina Duciſſa in Diſenhofen, & inde tulit Sorores affectum & deſiderium habentes ad Regularem obſervantiam, & duxit eas in locum præfatum, qui dicitur Schönenſteinbach, & Monaſterio incluſit. &c.*

SCHWABENHEIMENSE

Monaſterium Canonicorum Regularium de Venerabili Congregatione Windeſimenſi in forenſi ditione Palatinatus Heidelbergenſis, Diœceſanæ tamen ſeu Epiſcopalis Jurisdictionis Moguntinenſis jam ab anno 1648. per pacta Pacis Cæſareo-Suecicæ Carolo Ludovico Electori Palatino Profeſſione ſua Calviniano & Succeſſoribus ejus in plenam Poſſeſſionem contraditum, atque idem a Gabriele Bucelino part. 1. fol. 80. vel breviſſime ſic annotatum: Schwabenheim Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini Collegium, quod ſub annum Chriſti 1130. fundavit Adelbertus eo nomine primus Archi-Epiſcopus Moguntinus Comes Saræpontanus ex Familia Principum Lotharingiæ ad differentiam (alterius, quod eſt Monaſtico-Benedictinum) dicitur *Pfaffen-Schwabenheimb;* quod idem atteſtatur etiam Bruſchius de Epiſc. Germaniæ tom. 1. cap. 2. in Adalberto 34. Archi-Epiſcopo Moguntino, ubi tamen notandum hujuscemodi Fundationem a Bucelino recenſitam ſuo tempore longe eſſe vetuſtiorem, & ab antiquis Comitibus de Sponheim initiatam, tum a memorato Adalberto Archi-Epiſcopo ſolummodo fuiſſe confirmatam ac renovatam, prout amplius oſtendit Abbas Trithemius in ſua Hirſaug. Chronica tom. 1. ad annum Chriſti 1130. ſic legendus: *Comes de Sponheim Megenhardus Monaſterium Canonicorum in Schwabenheim fundatum Eccleſiæ Moguntinæ in perpetuum obtulit in manus Adalberti Senioris Archi-Epiſcopi Moguntini, quam donationem idem Pontifex confirmavit, ut ſequitur:* In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Adalbertus Dei miſericordia Archi-Epiſcopus Moguntinus & Apoſtolicæ Sedis Legatus notum facio omnibus Chriſti Fidelibus tam poſteris quam præſentibus qualiter Comes Megenhardus de Sponheim pro remedio animæ ſuæ & Uxoris ſuæ Mechtildis, Parentumque ſuorum Monaſterium, quod Comes Eberhardus cum Domina Hedwige Matre ſua primitus fundaverunt, quodque Jure Hæreditatis eidem Mechtildi Uxori ſuæ ab Anteceſſoribus provenerat cum Eccleſiis in Villa, quæ vocatur Schwabenhaim cum univerſis decimationibus, & nona parte Dominicalium mancipiis, villis, agris, pratis, cultis & incultis, colonos quoque cum manſis quibusdam & omni juſtitia eorum (exceptis his, quibus Miniſteriales ſuos inbeneficiaverat) Beato Martino contradidit; quod factum eſt hac conditione, ut ibidem de omnibus ſupradictis bonis Fratres ſecundum Regulam S. Auguſtini degentes, ordinaremus, & ne decaleſcentes a rigore Regulam & Inſtitutionem nunquam prævaricentur, tam Nos, quam Succeſſores noſtri diligentiſſime provideremus, concedimus, atque confirmamus quotiescunque iisdem Fratribus Pater Monaſterii ordinandus fuerit, & tantum, quantum de communi conſilio & aſſenſu dictante Spiritu Sancto elegerint, unanimiter ab Epiſcopo inveſtiatur. Si vero intra Clauſtrum de Perſona non con-

conſenſerint, liceat eis in nomine Domini Perſonam aſſumere ejusdem Profeſſionis, atque propoſiti, quamcunque magis idoneam invenerint. Parochianus quoque Presbyter a Fratribus & eorum Patre de eorum Collegio conſtituatur, & omni remota inquietudine ſecura libertate perſeveret in Dei laudibus. Eadem etiam libertate, qua cæteræ Congregationes Epiſcopatus noſtri funguntur, præfatum Monaſterium & Eccleſiam donavimus, ita ut prædicare, baptizare ac ſepelire poteſtatem habeat, ſolique Archi-Epiſcopo ſubjecta ſit, & de omnibus reſpondeat, & tam a ſervitio noſtro quam Archi-Diaconi, quod Biſſextili anno perſolvitur (vulgariter guloſe dicitur) conſenſu ejusdem Archi-Diaconi libera permaneat. Inter cætera & hoc adijciendum putavimus, quamdiu idem Comes Megenhardus vixerit, ipſe Advocatiæ Jus ſuper eos obtineat, quo defuncto, ſi hæreditas ejus ſorte duali hæredum perſonis diſtributa fuerit, is, qui prædia illa pertinentia ad caſtrum videlicet Dille, non uſurpative, ſed hæreditario jure poſſederit, a nobis ſive ab aliquo Succeſſorum noſtrorum inveſtiatur absque ulla contradictione advocatus eorum exiſtat. Hujus itaque paginæ ſeriem ſtabilientes Sigilli noſtri impreſſione ſignavimus, præcipientes, & ſub perpetuo anathemate omnibus interdicentes Chriſtianis, ne quis contra eam venire, impetrare ſive deſtruere præſumat, ſed firma & inconvulſa permaneat omnis ejus authoritas authoritate Omnipotentis Dei & B. Petri Apoſtolorum Principis. Acta ſunt hæc Dominicæ Incarnationis anno 1130. Indictione octava, regnante Domino Lothario glorioſo Romanorum Rege ſecundo, anno ejus quarto. Item infra tom. 2. ad annum Chriſti 1504. idem Trithemius antecitatus de eodem hoc Monaſterio ita ſcribit: *Schwabenheim Cœnobium eſt Fratrum Canonicorum Regularium S. Auguſtini de Windeſimenſium obſervantia Fratrum quod Comites de Sponheim olim fundaverunt, ubi inter Stauroneſium & Sprenlingen caſtra* (Bello tum temporis inter Electorem Palatinum & Landgravium Haſſiæ agitato) *poſuerunt Haſſii, in quod cum impetu incurrentes non parva Servis Dei damna fecerunt, & incommoda. Juſſu tamen Principis temperatum eſt, ne deſolarentur in toto; pro qua liberatione ab incendio Prior loci ducentos nummos auri dare Landgravio compulſus eſt, non attenta paupertate, ſeu inopia, qua Fratres premebantur. &c.*

SECKINGENSE

Vetuſtiſſimum ſiquod aliud Diœceſis Conſtantienſis in partibus Rhenanis primum Regularium Canoniſſarum Principale Collegium; hoc tamen jam pridem Sæculariſatum; quod ipſum jam anno Chriſti 495. inchoatum, ſecundum primam Fundationem, ut & gratiſſimam Situationem ſuam à Bruſchio de Monaſt. Germaniæ cent. 1. fol. m. 146. Martino Zeillero in Itinerario Germaniæ cap. 26. fol. 555. item in continuatione ejusdem cap. 26. fol. 31. uberius deſcriptum; etiam à Pennotto noſtro in Hiſtoria tripartita lib. 2. cap. 39. num. 12. habetur in hæc verba notatum: Secanis, quæ eſt Inſula in Rheno ſita erat Seckingenſe Cœnobium à S. Fridolino Scotorum & Hyberniæ Regis Filio, qui Philoſophiæ Studiis præclare imbutus, & Eccleſiaſticæ vitæ inprimis Studioſus peregrinari ſtatuit plantandæ Religionis & propagandi Chriſtianismi cauſa fundatum anno 495. confirmatumque à Rege Galliarum Clodovæo. Ferunt illum in Gallias ad S. Hilarium Pictavienſem iviſſe, & inter illius Monachos vixiſſe, & S. Hilarium è terra levaſſe, & Clodovæo adjuvante Magnificum ibi Cœnobium erexiſſe, deinde in Belgium profectum apud Moſellam in honorem S. Hilarii aliud Monaſterium erexiſſe, & aliud ejusdem nominis in Vogeſi Montis cacuminibus fundaſſe: Aliud item Argentinæ, inde per Burgundiones ad Curiam Rhætorum venientem aliud ibi Monaſterium D. Hilarii fundaſſe: tandem in Augiam Seckingenſem reverſum in Inſula Sicania Cœnobium inſtituiſſe, quod modo factum eſt Collegium Canonicorum Sæcularium ubi ſolent eſſe octo Canonici. Hæc ex Miræo de Collegiis Sæcularium cap. 7. ubi multa habet. Verum ex dictis colligitur S. Fridolinum ex primis S. Patritii Diſcipulis fuiſſe, cum Sanctus ipſe Patritius illius fere tempora æquaverit, quod autem dicitur, illum ad S. Hilarium iviſſe, puto de Eccleſia, vel de cadavere, vel de Monaſterio S. Hilarii intelligendum, non de ipſo S. Hilario Epiſcopo & in vivis agente, quomodo enim, qui anno 495. Seckingenſis Monaſterii jecit Fundamenta, S. Hilarii Diſcipulus eſſe potuit, qui plenus dierum obiit circa annum 369. cujusque Diſcipulus fuit B. Martinus S. Patritii ex Filia Sororis avunculus, ut Baronius tomo 4. ſub annum 369. num. 23. & alii notant? Utcunque ſit, cum conſtet S. Hilarii & etiam S. Patritii Monachos eosdem fuiſſe cum illis, qui Clerici Regulariter viventes nunc dicuntur, conſtat Monaſteria per S. Fridolinum fundata Clericorum extitiſſe. &c. Ita Pennottus loc. cit. contra ac Gabriel Bucelinus ex more ſibi quaſi congenito, Abbatiam Seckingenſem vel olim Monaſtico-Benedictinam fuiſſe contendit, etſi perperam ſolum, & dehinc à Joanne Bollando in Actis Sanctorum tom. 1. Martii in Commentario prævio

ad

ad vitam ejusdem S. Fridolini merito reprobatus sub his verbis: Bucelinus part. 2. Germaniæ Sacræ ista habet pag. 81. Seckingen nobilissimum olim Virginum Benedictinarum ad Rheni fluenta Cœnobium conditum à S. Remigii, & S. Benedicti Discipulo S. Fridolino, quod deinceps in Collegium Canonicorum conversum est. Sed magis triumphat in suo Menologio ad 6. Martii, ubi in longo suo elogio asserit S. Fridolinum S. Remigii primum Discipulis accensum postea ipsum magnum Monachorum Archi-Ducem Benedictum secutum, utrobique maximos progressus feciisse. Ut tempus huic conjecturæ favens reperiatur, nihil de S. Fridolini habitatione in Pictavienſi S. Hilarii Monasterio traditur, neque indicatur, eum ante ibi Abbatem fuisse Monachorum, qui ipso etiam S. Benedicto Seniores erant. Cæterum nullum vestigium est ullius aut cum S. Remigio, aut S. Benedicto factæ communicationis, quin imo hunc constat tum procul in Italia apud Sublacenses etiam Monasticam solum auspicatum fuisse.

SECOVIENSE

Amplissimum ac Potentissimum in Styria Canonicorum Regularium Lateranensium Collegium (cujus Præpositus Archi-Diaconali dignitate præclarus, in toto suæ Secovienſis Diœceseos constrictu est. Ordinarius à nemine alio nisi à Summo Pontifice dependens, nulla indiget ad quosvis casus & causas delegatione, sed contra ipsemet aliis ordinariam suam delegat Potestatem, sibique officialem constituit extraordinario ac insolito inter alios Archi-Diaconos exemplo) mox a prima Fundatione sua usque hactenus florentissimum, cujus genuinam originem ac progressum fideli relatione habemus alicubi fuse descriptum, prout sequitur: Cum anno Domini 1140. Adalramus Comes de Waldeck prole destitutus Virginem Deiparam Possessionum suarum hæredem elegisset, Conradum ejus temporis Salisburgenſium Archi-Episcopum, & una cum toto suo Capitulo Canonicum Regularem S. Augustini de Congregatione Lateranensi adiit, ut ejus consilio & auxilio vota sua expleret; quem eundem in finem binas Capellas in fundo parentum suorum fundatas a Jure Parochiali exemptas, quarumque ipse Patronus & Advocatus extiterat, unam S. Mariæ in Feustriz, alteram S. Joannis Evangelistæ eidem Domino Archi-Episcopo resignavit.

His tam devotis ac liberalibus votis & oblationibus lubens annuit pius Præsul Conradus, & continuo missis de Choro suo seu S. Ruperti Venerabilibus Viris Wernero, postmodum electo Præposito, & Leopoldo postmodum Decano Sacræ Canonicorum Regularium observantiæ (quæ hanc usque in horam illibate perseverat) secundum intentionem Fundatoris prædicto in loco dedit principia. Insuper ut Adalramum sua confortaret, & exhilararet in bona voluntate, ac patefaceret, quantum in incremento Canonicæ Religiositatis a se Salisburgum introductæ sibi complaceret, meritaque apud Deum uberiora conciliare studeret, variis ipsemet Decimarum & aliorum Jurium donationibus novam plantationem irrigavit, & locupletavit Litteris publicis (quæ hodiedum illibatæ servantur, & integræ) in rei confirmationem datis.

Vix biennium Wernerus & Socii in dicto loco Feustriz transegerant, de oportuniori ad Religionis quietem loco, nam hic propter vicinum viarum transitum & villarum circumjacentium strepitum quotidie turbatus erat, in quem se reciperent, & transferrent, meditari cæperunt. Quapropter Fundator Adalramus & Wernerus Præpositus eundem Dominum Conradum Archi-Episcopum adierunt obnixe concupientes, ut eis propinquum locum Sekowe, in quem utpote Religiosæ pietati apprime accomodum se transferrent, concederet, annuit denuo benignus Archi-Præsul, & ut mutatio loci seu transmigratio ex Feustriz in Secowe fieri possit, benigne consensit, Decreto desuper & expedito anno 1142. Instrumento, & adhuc alio Donationes suas pristinas confirmante, ita tamen, ut super hoc negotio Wernerus Præpositus Romam ad Papam Innocentium II. cum petitionis litterarumque suarum testimonio dirigatur, seu, ut Conradus ipse loquitur, necessarium visum est omnia Privilegio nostro confirmata etiam Chyrographo Domini Papæ corroborare. Proficiscitur ergo Wernerus, & prospero cursu limina attingens a præfato universalis Ecclesiæ Patre, in B. Petri, & suam protectionem suscipitur, confirmantur eidem & suis factæ & faciendæ Donationes, approbatur mutatio loci, statuitur perpetua Canonici Ordinis observatio, liberatur a præstandis Decimis &c. & obtenta super his omnibus Bulla, quam Pontifex Patrocinium scriptum, Archi-Episcopus Adalbertus Privilegium nuncupant, una cum Banno Apostolico revertitur. Igitur de Mandato Domini Archi-Episcopi Romanus Episcopus Gurcensis in locum Secowe concedit, ut in eodem tanquam in Apostolico robore & Pontificiæ Protectionis Patrocinio firmato atrium Ecclesiæ benediceret,

dum interea Religioſarum Perſonarum numero, & Archi-Epiſcopi aliorumve fidelium, ac ipſius Fundatoris largis oblationibus nova plantatio in dies ſuccrevit, adeo, ut omnia ſua præter modicum cenſum ſibi reſervatum contradiderit, quem ipſum, poſtquam omnes ſuas prætactas Donationes in Synodo Hallæ anno 1147. congregata coram Domino Archi Epiſcopo & aliis Prælatis &c. reiteraſſet, notificaſſet, & Privilegio proprio ac ipſius etiam confirmaſſet, una cum ſui Perſona Wernero Præpoſito propter Deum obediturus humiliter & ultro obtulit. Moritur Conradus, & in Archi-Epiſcopali Sede ſuccedit Eberhardus, qui Prædeceſſoris ſui piis veſtigiis inſiſtens, Donationes amplius auctas & melioritas anno 1151. confirmat, qualiter atteſtantur Inſtrumenta Publica in rei memoriam deſuper expedita. His ita Secowiæ actis Romanum Solium mortuo Conrado Fridericus Barbaroſſa conſcendit, ſub cujus Imperio dira calamitas, & hominum malitia in Eccleſias Dei inſurrexit; quapropter Præpoſitus Wernerus & Adalramus Pii Patris Eberhardi Archi-Epiſcopi præſentiam adeuntes, quem in advocatum, qui eos contra invaſores violentos tueretur, poſſent aſſumere, authoritatis ejus maturitate cœperunt conſulere. Hic deliberato ſano meliorum conſilio Styrenſem Marchionem Ottocarum in Advocatum decrevit aſſumendum. Igitur anno 1152. in prima Curia Friderici Regis Ratisbonæ celebrata coram Rege & Principibus dictus Ottocarus petentibus Secovienſibus cum grandi honoris magnificentia, & ſub conditione, ne quos defenſandos ſuſcepit, Advocatiæ titulo, Oneribus, angariis, & exactionibus gravet, factus eſt ſolemniter Advocatus, ut Rudolphi Regis Privilegium exhibet in id clementiſſime datum.

Anno 1156. oritur lis inter Præpoſitum & duas Sorores ſuper prædio quodam, quæ multum ſatagente D. Romano Epiſcopo Gurcenſi, & præſentia D. Archi-Epiſcopi diſponente utrinque deciſa & terminata eſt. Circa quod idem tempus ſæpefatus Archi-Epiſcopus bina Altaria in Monaſterio & Capellas conſecravit, ac per alios Epiſcopos conſecrari fecit, uti & Succeſſor ejus Conradus, cujus per Regimen Romanam Cathedram Alexander Papa III. Canonicus Regularis conſcendit, & anno 1170. ad exemplar Prædeceſſoris ſui Innocentii Secovienſes ſub ſua & B. Petri Protectione ſuſcepit, obſervationem Canonici Ordinis confirmavit, bona acquiſita propriis vocabulis expreſſa, ut & acquirenda abſolvit a decimis : Licentiam dat in caſu pravitatis & Simoniæ Epiſcopi Diœceſani, a quo Ordinem, Chryſma, & alia, quæ Ordinis Epiſcopalis ſunt, recipere Secovienſes voluit, ad alium Epiſcopum migrandi, qui Authoritate Apoſtolica fultus poſtulata indulgeat: vult a Canonicis libere & Canonice eligi Præpoſitum, & alia quam plurima ſalutaria & utilia ſtatuit, & impertitur, prout Bulla ab eodem Sanctiſſimo Pontifice Privilegium dicta exhibet. Vita functo Salisburgenſi Antiſtite Conrado Adalbertus ſufficitur, qui ibidem more Prædeceſſorum ſuorum in Secovienſes beneficus, Altaria & Capellas conſecrat, & dotat, factoque publico inſtrumento anno 1197. ſuas & Anteceſſorum ſuorum Donationes atque acta enarrat, & ſtabilit, cujus glorioſi exempli ſolicitus imitator Eberhardus anno 1208. conſimile expedivit, & impetravit Teſtimonium ſeu Inſtrumentum: in quo etiam Secovienſium adeptam per Pontificia Indulta Immunitatem gratulatur, roborat & confirmat. Et hic eſt Status Primitivus Eccleſiæ Secovienſis perdurans usque ad annum Chriſti 1219. quo currente idem Epiſcopus Eccleſiam Secovienſem magis honorare volens eandem aſſentiente Summo Pontifice Honorio III. à Metropolitano Capitulo Salisburgenſi, ac ipſismet etiam Secovienſibus ſpecialiter requiſitus in Cathedralem evexit fundando Epiſcopatum Secovienſem, conceſſaque ſibi Facultate absque omni contradictione per ſe & Succeſſores ſuos eligendi, & inveſtiendi Neo-Epiſcopos; ita tamen, ut per omnia (cavente hoc Summo Pontifice in Inſtrumento proprio deſuper indulto) ipſius Eccleſiæ Secovienſis jure ſalvo illæſa penitus maneret, & indemnis, nullumque illius aut alieni cujusvis Juri præjudicium generetur. &c.

Porro Secovienſe Cathedrale templum adjunctum ſibi Sacellum habet, auro gemmisque fulgentiſſimum; opus vere ſtupendum ac magnificentiſſimum, quale hactenus in univerſis totius Germaniæ noſtræ Provinciis non fuit viſum. Fundatorem illius egit Sereniſſimus Princeps Carolus Archi-Dux Auſtriæ, Dux Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. &c. Ferdinandi I. Romanorum Imperatoris Filius, atque idem Ferdinandi II. itidem Imperatoris Parens anno ætatis ſuæ 51. Chriſti vero 1590. die 10. Julii in eodem hoc Sacello (in quo ipſe ſpectatiſſimum ſibi Mauſolæum conſtituit) cum aliis octo Principibus Auſtriacis ex linea (quam ipſe Carolus exorſus eſt) Græcienſi Deſcendentibus honorificentiſſime fuit tumulatus.

SEGE-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SEGEBERGENSE,

Percelebre quondam, atque Sanctiſſimum à cognomine Civitate Patria voce *Zegeberg* nuncupari ſolita, eoque à Zeillero in Itinerario Germaniæ cap. 30. fol. 655. uberius deſcripta, apud Aquilonares populos in finibus Holſatiæ Canonicorum Regularium Monaſterium, omnino diverſum ab illo, quod pariter *Segeberg*, item & Siburg in Diœceſi Colonienſi Ordinis Benedictini Cœnobium eſt, vel olim ſaltem tale fuit, utpote jam pridem in Collegium Sæculare transmutatum, iſtud autem Segebergenſe hoc noſtrum ſub finem Sæculi decimi ſeptimi cogente hæreſi penitus extinctum manet; cujus primam originem Crantzius in Metrop. Saxoniæ lib. 6. cap. 15. taliter exhibet annotatam: Ad annum Chriſti trigeſimum quartum poſt mille centum à Chriſto, cum Canutus Obotritorum Rex in Dania cæſus eſſet, ſucceſſerunt in Principatu Wandaliæ Pribislaus atque Niclotus: Altero Wagrienſium, & Polaborum, altero Obotritorum, quæ eſt Magnopolis, Provinciam gubernante. Chriſtianis nullus locus ſub his videbatur, invaluitque nimis idolorum cultura. Vicelinus autem, qui per tempora Canuti Obotritorum Regis (cui erat pro utriusque virtute familiariſſimus) plurimam in gentem Verbum Chriſti diſſeminaſſet, cerneretque zizania nimis ſuperexcreſcere, adiit Imperatorem Luderum (Lotharium vocant Itali) in Bardewico tunc agentem: expoſuitque multos conatus reducendi Chriſtianiſmi in Wandaliam eſſe fruſtratos: non niſi in manu forti ceſſurum populum. Eſſe oportuniſſimum locum muniendæ arcis in terra, quæ ſi firmaretur, ſub jugo poſſet populus contineri. Miſit Imperator, qui ſpecularentur. Placuit locus editiſſimus, jubet convenire gentem Wandaliæ omnem, quæ Saxonibus pareret. Venerant Wandalorum Primores, jubentur operas partiri ad arcem inibi firmandam. Tunc inter ſe collocuti Wandali alter ad alterum, quis, inquiunt, Imperatori prodidit locum illum? ego tibi auguror, ex hac arce in omnem Wandaliam graviſſimas nobis, gentique noſtræ excurſiones imminere. Ad quam vocem quidam eorum, vides, inquit, homuncionem recalvum Imperatori adſtantem? (Vicelinum autem demonſtrabat) ille nobis malum hoc invexit. Firmatur arx in monte nomenque ſortitur, ut Mons victoriæ, hoc eſt lingua noſtra Segeberg diceretur, cum pridem eſſet illi nomen Alberch. Quam Imperator cuidam Hermanno ex ſuis Miniſterialibus commendavit: Eccleſiamque ad radicem montis juſſit extrui, quam una cum Lubecenſi, in Urbe veteri commendavit Vicelino. Et hæc Crantzius loco citato; qui & eadem recenſet etiam in ſua Saxonia lib. 6. cap. 4. prout ſequitur: Per mortem Canuti (Regis ſupradicti) rediit Dominium Wagriæ atque Polaborum, Obotritorumque ad Fratrueles Henrici, Wandalosque Religionis Chriſtianæ adhuc hoſtes acerrimos, qui adhuc conabantur, ut plantaria novellæ Religionis in Lubeca diſſiparetur. Eo tempore in Vico Bardorum inſigne tum Oppidum erat, quod nunc obſoletum Bardewicum vocant, manſit Imperator Lotharius, quem adiens Vicelino monſtravit eſſe in Wagria inſignem montem arci imponendæ idoneum, unde omnis Provincia & Religioni accipiendæ, & ſolvendis tributis facile adigeretur. Moverunt Imperatorem verba Sacerdotis, viſendi loci gratia, eo contendit. Evocatis Præfectis Regionum, ubi vidit omnia ex commodo conſtare, mandavit proximis, ut fodiendo, importando inſtarent eo loco arcem communire, appellavitque montem victoriæ, lingua Saxonum Zegeberg. Wandali qui adſtitere inter ſe collocuti, quis, inquiunt, Imperatori prodidit hunc locum, unde in omnem Regionem noſtram fulgura, tonitrua proſilient? Tum unus, qui propius rem noſſe videbatur; Invides, inquit, calvum iſtum homuncionem (Vicelinum demonſtrabat) proxime Imperatori adſtantem? Is eſt acerrimus hoſtis Provinciæ noſtræ. Nam ex hoc Monte in Plone, Oldenborg, Lubeke & ultra Travenam in omnem Obotritorum terram flagella atque arma nobis iminebunt. Arci jam munitæ præfecit Imperator ex ſuis Hermannum quendam, juſſitque ad radicem montis Eccleſiam firmari, quam B. Patri Vicelino commendavit. Poſt aliquod tempus Wandalis iterum ingruentibus Segebergenſis hæc Eccleſia una cum novo (quod S. Vicelinus addidit) Monaſterio flammis exuſta labentibus annis fuit quidem opera ejusdem Vicelini pro poſſe reſtituta, ipſum vero Monaſterium in villam Hagerſtorpe translatum, prout amplius enarrat idem Krantzius citatus cap. 9. hæc ſubjungens: Holſatia interim (ſicut & univerſa Saxonia) novis quatitur motibus, dum expulſo Adolpho, qui Imperatrici relictæ fidem ſervans ceſſit Comitatu. Nam Wandali ad novi Principatus initia ſe erexere. Pribislaus qui veterem Lubicam tenuit, collecta magna ſuorum manu Zegeberg invadit, Monaſterium cum Eccleſia tradit incendio, unum ex Fratribus, qui ſe defenſioni Sacrorum obtulerat, obtruncavere, reliqui, qui vix fuga elapſi redierunt in Falderam; cæteri, qui Lubicam incoluere, ſat difficili & ancipiti laboravere periculo, quod Pribislaus etſi nondum fidelis Chriſtianus Fratribus tamen ibi prædicantibus ſatis erat benignus.

Nec tam ſuæ moverunt pios pericula, quaſi aliorum Chriſtianorum conſpecta vincula & ludibria. Nec longum tempus in medio, & ecce alii de Mari Wandali aſcenderunt Pribislaum hoſtem inſequentes (diu enim Nobilium Familiæ Critonis atque Henrici de Principatu diffidebant) & Lubicam applicantes, qui ſupervenere diripuerunt omnia, quæ reperere arcem incendunt, & cum hoſtem non adeſſe cernerent, cum præda revertuntur. Sacerdotes autem vix manibus eorum elapſi ad Patrem ſuum Vicelinum contulerunt. Ita fruſtrato iterum labore vinea novella depaſta eſt; quid facerent optimi Patres? quando prædicatio negabatur? Orationi inſtitere humiliter deprecantes Dominum JEſum Chriſtum, ut ad gloriam ſui nominis & animarum ſalutem Fidei januam miſeris aperire dignetur. Item infra cap. 10. ad finem. Interim Vicelinus Spiritualibus quoque incrementis intentus prædia recuperavit ab Adolpho, quæ Lotharius Imperator Monaſterio Zegebergenſi contuliſſet, ſed viſum eſt tum Patribus Monaſterium in Hagerſtorpe villa erigere, propter fori tumultus, & ab arce militaria incommoda, quæ Zegebergæ videbantur. Permiſit facile Comes, in loco priſtino ad radicem montis Parochialis Eccleſia remanebat. Tantumque valuit novæ molitionis Fama, ut Thietmarus Bremenſis Chori Decanus, relicto loco ſuo Falderam petierit, & à Vicelino novæ plantationi Hagerſtorpe præeſſe juberetur. Et ſic ſæpius allegatus Crantzius loc. cit. qui & in ſua Wandalia de eodem iſto Segebergenſi Monaſterio verba faciens lib. 4. cap. 1. ad finem affert ſequentia: Anno 1140. cæperunt inhabitari deſerta Wagriæ (hodie Holſatiæ Ducatus eſt) Provinciæ, & multiplicabatur numerus Incolarum ejus. Vicelinus quoque Sacerdos invitante & adjuvante Comite prædia recepit, quæ Lotharius Imperator ad conſtructionem Monaſterii, & in ſubſidium Servorum Dei jam olim ſibi coram arce Zegeberg contradidit. Viſum autem fuit Patribus ex re eſſe, propter incommoda fori & tumultus caſtrenſes Monaſterium in Villam Hagerſtorp transferre, miſitque Vicelinus eo Venerabilem Sacerdotem Folkardum cum induſtriis viris, qui Oratorio & Clauſtralibus Officinis erigendis operam darent. Item infra lib. 6. cap. 25. Hartwicus Bremenſis Archi-Epiſcopus, qui Sifrido ſucceſſerat, in Hamburgum evocavit Canonicos Lubicenſes cum illis de electione tractaturus. Et cum veniſſent Archi-Epiſcopus Albim tranſire non potuit, quod glacies occupaſſet, necdum firmata ad greſſus, nec cedens navigationi. Igitur in Purificationem Mariæ re dilata, venit Archi-Præſul Lubicam: ibique electionis inſtituto negotio diviſa ſunt vota. Nam alii Abbatem habere voluere Hersfeldenſem ejusdemque Archi-Epiſcopi Fratrem, alii vero Præpoſitum Eccleſiæ ſuæ præferebant. Sed eo res finiit, ut utroque dimmiſſo in Theodoricum in Segeberg Regularium Præpoſitum conſentirent omnium vota. Recuſavit conſtanter refugiens humilitas, multis multorum hortatibus vix potuit permolliri, ut flecteretur. Subjecit volens nolensque humeros, & permanſit in Præpoſitura ſua ad reditum Imperatoris usque de Italia, & cum Archi-Epiſcopo tum aſcendit in ejus præſentiam, acceptaque inveſtitura (pro conſuetudine illorum temporum) de manu ejus rediit Bremam cum Archi-Epiſcopo, ibique Sanctificationis oleo eſt delibutus.

SELVERTENSE

Taliter ſuo nomine dictum Sacrarum Virginum contubernium vel olim apud Belgas inclaruit, atque iſtud referente Auberto Miræo de Collegiis Regularibus cap. 75. fol. 172. generatum; de reliquo ſecundum antiquum ſtatum ac conditiones ſuas æque novas ac antiquas nec difficulter quidem amplius per nos inquirendum.

SEPTEM-FONTIUM

Monaſterium, ſeu Prioratus quidam, Patria lingua *Sevenborn* alias B. Mariæ in Septem Fontibus appellari ſolitus prope Bruxellas in Brabantia de Congregatione Windeſimenſi: Cujus reformationem Canonia iſta cum ſex aliis Monaſteriis ſuo ſtatu ac conditione paribus acceptavit anno 1413. de quo legi poterit Chronicon Joannis Buſchii lib. 1. cap. 40. Cæterum ſacra Domus hæc a primo ſui initio (fundo in ejus ædificationem ab Illuſtriſſima Principe Joanna Duciſſa Brabantiæ conceſſo) Authorem ſeu Conditorem habuit primum loci Rectorem Venerabilem Dominum Ægydium Bredeick anno gratiæ 1349.

SEPTEM-FONTIUM

Aliud quoddam tale itidem apud Belgas paris quidem nominis, imparis tamen ſexus, nempe Sacrarum Virginum de eadem Windeſimenſium Congregatione, Venerabile

bile Contubernium; istud tamen jam pridem cum omnibus Religiosis commembris in ipsam Urbem Bruxellensem receptum, atque idem in Chronico Montis S. Agnetis cap. 26. in hæc verba memoratum: Eodem anno (1449.) obiit Frater noster Godefridus Kempis in Brabantia apud Sorores Regulares in Inclusorio B. Virginis apud Septem-Fontes decimo septimo Calendas Februarii. Hoc Monasterium postea fuit totaliter combustum anno Domini M CCCC - - - - - & translatæ sunt Moniales in Bruxellam per Ducissam Burgundiæ cum magno honore.

SICHENIUM,

Modicam Brabantiæ Civitatem nominatam apud Zeillerum in Itinerario German. cap. 21. fol. m. 461. vel ante hac Religiosum quoddam Sacrarum Virginum habuisse Contubernium Congregationi Windesimensi subditum, idque S. Catharinæ Virgini & Martyri dicatum, ac proin suo nomine *Catharinarium* nuncupari solitum dilucide satis ostendit Joannes Hogbergius in Notationibus ad Historiam Corsendoncanam exaratis, ubi de Parthenio Cætu isto Sichenensi seu de primæva Fundatione illius fol. 147. pandit sequentia: Anno 1468. Ludovicus de Bourbon Episcopus Leodiensis ad preces devotissimi Presbyteri Joannis Moaus Investiti seu Personæ, & Don Heylwigis Cools Rectricis illud idem Beginagium erexit in Monasterium tertiæ Regulæ S. Francisci consentientibus in eandem erectionem, personatus extinctionem &c. &c. Decano & Capitulo Ecclesiæ S. Petri Lovanienſis tanquam loci Patronis: Anno vero 1474. idem Episcopus de libero consensu omnium Sororum sive Virginum accedente etiam Licentia eorum omnium, quorum intererat, idem tertiæ Regulæ Monasterium ob certas causas erexit, & transtulit in Monasterium Canonissarum Regularium S. Augustini: quæ omnia Authoritate Apostolica sunt confirmata, per D. Lucam Sibniensem Episcopum & Legatum Apostolicum. Ordinarius vero Leodiensis Episcopus plenam Facultatem a Sede Apostolica comprobatam eisdem Canonissis tribuit eligendi sibi quemcunque vellent Canonici Ordinis Visitatorem seu Commissarium perpetuum, qui illas visitaret, corrigeret, Professiones & Investitiones reciperet, Confessores seu Rectores assignaret, ac omnem denique Jurisdictionem, quam Ordinarius posset in illas exercere. Qua Facultate habita D. Julitta de Rœredenborch Priorissa cum Conventu suo capitulariter congregato juxta Privilegia & Indulta Apostolica sibi in hac parte concessa una cum consilio & assensu D. Nicolai Prioris Carthusianorum de Zeelheim ibidem præsentis, ac vices suas in electione & deputatione hujusmodi ex vi Indulti Apostolici interponere habentis elegerunt, & deputarunt Priorem Corsondoncensem pro tempore existentem & futurum in dicti Monasterii B. Mariæ Virginis & S. Catharinæ Virginis & Martyris Visitatorem & Commissarium perpetuum sese omnibus modis illis subijcientes, quatenus talis Visitator (verba sunt Instrumenti desuper coram Notario & testibus anno 1489. die 7. Novembris confecti) qui pro tempore erit, Sorores Cœnobii aut Monasterii hujusmodi pro tempore existentes, & idem Cœnobium seu Monasterium in Capite & in membris visitare, defectusque & excessus corrigere tenebit, rebellesque in correctionibus subeundis acclaustrare, & si nimia protervitas exegerit, Claustrali carcere mancipare, ordinationesque & statuta salubria condere: Similiter Confessorem bonarum vitæ & famæ cum consilio Dominarum Priorissæ & Conventualium prætacti Cœnobii seu Monasterii de Sichenis pro tempore existentium, seu sanioris partis earundem instituere, & destituere valebit &c. &c. ut latius in ipso instrumento, quod Originale in Archivis nostris habemus, continetur. Subjectum vero fuit & mansit idem Monasterium Corsendoncanis usque ad ultimas bellicas turbas, quibuscum Indulta illa Apostolica perierunt, & etiam Priores de Corsendone tanquam exules vix propriæ suæ Domus debitam curam gerere potuerunt, factum est, ut Illustrissimus Mechlinienſis Archi-Episcopus tanquam Ordinarius illam commissionem Corsendoncanis subtraxerit, & sibi omnem Jurisdictionem assumpserit. Quamvis usque ad annum 1625. consenserit, ut Rector sive Confessor huic Monasterio præesset Corsendancus. Hæc ille loco citato.

SINDELFINGENSE

Monasterium de Congregatione Windesimensi, Diœcesi vero Constantiensi, in Ducatu Wirttenbergico jam pridem cum mutatione Religionis penitus extinctum. Fuit autem istud a primæva origine sua Monastico-Benedictinum, atque in honorem S. Martini Turonensis Episcopi & Confessoris anno 1083. ab Alberto Comite Calwensi, vel forte Tubingensi fundatum; inde tamen post breve tempus Monachis Inquilinis Hirsaugiam deportatis in Collegiatam Sæcularem transmutatum, ac demum etiam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

anno 1477. de prævio quorum intereſſe potuit aſſenſu & authoritate cum omnibus Juribus, Poſſeſſionibus, Privilegiis, ac Perſonis ad Parochialem Eccleſiam S. Georgij Tubingenſem pleniſſime translatum, Religioſis Canonicis Windeſimenſibus viciſſim ad relictam Eccleſiam Sindelfinganam introductis.

SOCKENTHALENSE,

Seu *Sætenthalenſe* ab aliis dictum percelebre licet & egregium ſatis Regularium Canonicorum in Flandria Monaſterium: iſtud tamen toto Religioſo decore ſuo nobis vel invitis adhuc incognitum, utpote hodiedum in terris noſtris vix nomine ſuo manifeſtatum: Quod usque modo floret, & Abbas illius gaudet Titulo, Jure, Dignitate ac Privilegio Statuum Provincialium inter Eccleſiaſticos inclytus & honoratus, prout amplius oſtendit Author Anonymus in Atlante Minori 1648. typis Amſtelodamis Germanice edito part. 1. fol. 423.

SOLIER.

Sive D' Solier proprio nomine ſuo dictum Parthenium Canoniſſarum Regularium ſub Diſtrictu vaſtiſſimæ Diœceſis Leodienſis prope Hogum oppidum Cœnobium antiquioribus Sæculis Authore haud amplius inquirendo fundatum, exinde tamen iſtud ſub decurſum Sæculi decimi tertii ſervato ſexu fæmineo ad Sacram Familiam Ciſtercienſem translatum; de quo Anonymi Magnum Chronicon rerum Belgicarum fol. 234. vel breviter ſic habet: *Tum* (circa annum Domini 1235.) *Moniales de Soliers prope Hogum Ordinis S. Auguſtini aſſumpſerunt Ordinem Ciſtercienſem. &c.*

SONNEBECCA vide Littera Z ZONEBECKA.

SONNEGIANUM,

Apud Sonnegias Hannoniæ Monaſterium S. Vincentij, in quo S. Bruno Colonienſis Epiſcopus amotis Monachis Inſigne Collegium Canonicorum erexit, ijsque Conſtitutiones juxta Regulam S. Auguſtini præſcripſit Templo & Clauſtro reparatis. Jacobus Guiſius in Chronicis Hannoniæ. Molanus lib. 1. de Canonicis cap. 12. & in Natalibus ad diem 14. Julij, ubi dicit hanc Inſtitutionem Canonicorum factam anno 965. Nunc cum Miræus referat illud inter Collegia Sæcularium, puto factum Sæculare, ſicut alia innumera. Hæc Pennottus in Hiſtoria Tripart. lib. 2. cap. 38. num. 11. nec plura. Molanus vero in Indiculo Sanctorum Belgii fol. 78. de eodem hoc Monaſterio Sonnegiano, & primo Conditore illius ita ſcribit: *S. Vincentius Confeſſor Hannoniæ Comes antea Mandelgerius dictus inter Palatinos Regis Francorum Dagoberti non infimus fuit. Habuit enim Uxorem Conſanguineam Regis Beatiſſimam Waletrudem, ipſumque Rex habuit ad annos aliquot Hyberniæ Gubernatorem.* Et paulo poſt. *Conſtruxit etiam apud Sonnegias Cœnobium, in quo obdormivit, & requievit. Sed hodie eſt Canonicorum* (Sæcularium) *Collegium in Sonnegiis oppido Hannoniæ: quæ commutatio ſecundum Annales Hannoniæ facta eſt per Brunonem Archi-Epiſcopum Colonienſem anno nongenteſimo ſexageſimo quinto. Natalis ejus eſt die decimo quarto Julij, quem etiam Cameracenſis Eccleſia, cui tota Hannonia ſubeſt, merito novem Lectionibus celebrat.* &c. &c.

SPIRENSE

Collegium Eccleſiæ Cathedralis (quæ eſt Suffraganeatus Metropolitanæ Moguntinæ) ad inſtar aliorum talium ſeu itidem Cathedralium intra fines Germaniæ noſtræ conſiſtentium antiquitus, pariter fuiſſe Regulare præter Conſtantem traditionem refert etiam Bruſchius de Epiſcopis Germaniæ tom. 1. cap. 6. in Gebhardo XIII. Epiſcopo Spirenſi (qui ab anno 848. usque 849. quindecim ſolum menſibus Pontificatum geſſit) ita ſcribens: *Sub hoc ipſo Epiſcopo donatur Epiſcopatus ab Hildeberto hujus Epiſcopi Fratre pagis ac prædiis quibusdam, & ex hujus donationis litteris deprehendimus Canonicos Nemetum Monaſticam vitam tunc Profeſſos ſub uno tecto conjunctos habitaſſe, & ex una eademque olla paſtos ac alitos Sanctæ converſationis homines fuiſſe &c.* Et ſic ille loco cit. cujus verba Neoterici quidam Scriptores Monachi, ut etiam antiquos Spirenſes Canonicos in cenſum ſuum abripiant, ſeu itidem Inſtituti Monaſtico-Benedictini cultores & alumnos fingant, in ſenſum & favorem ſuum torquere nituntur, & attrahere; at fruſtra ſolum, ſiquidem Trithemius Abbas (uti mox videbimus) aperte diſtinquit inter regulam priſcis illis Canonicis Cathedralibus uſitatam, & alteram tum tem-

temporis a Monachis obſervatam in ſuo Hirſaugienſi Chronico part. 1. ad annum Chriſti 957. ſic legendo. *Eodem anno moritur Rupertus Archi-Epiſcopus Trevirenſis, cui Henricus ſucceſſit, qui Regulares Officinas & Clauſtrum S. Petri circa Eccleſiam conſtruxit, & Regulam Canonicorum ibidem obſervari præcepit. Hæc eſt major Eccleſia Trevirenſis, in qua hoc tempore, ſicut & cæteris antiquis Eccleſiis Canonici ſecundum Regulam eis præſcriptam in communi vivebant, unam habentes Burſam, unumque commune Dormitorium, ſicut hodie inter nos* (Monachos) *juxta normam nobis propoſitam converſamur &c.* Et ſic ille loco citato. Verum antiqua hujuscemodi Regularis obſervantia, ſeu vita communis in Metropolitana Eccleſia Trevirenſi antiquitus uſurpata labentibus annis (atteſtante eodem Trithemio) penitus exolevit, nec non inter Spirenſes Canonicos pariter defecit, & quidem ſub Balderico viceſimo ſecundo Spirenſium Epiſcopo, qui ab anno 970. usque 987. præſedit, quamvis adhuc ſub initium Sæculi ſequentis aliqualiter duravit; ſic enim in ſuo Spirenſi Chronico refert Philippus Simonis Author non contemnendus, prout ſequitur: *Joannes Epiſcopus Spirenſis* (qui ab anno 1090. usque 1104. præſedit) *Collegium S. Guidonis* (in Civitate Spirenſi) *bonis ac reditibus locupletavit, datoque Diplomate inter alia ordinavit, ut Fratres S. Guidonis in ſuo anniverſario ad* (Cathedralem) *Eccleſiam S. Mariæ ad Vigilias in nocte, & Miſſam in die celebrandas conveniant, & in Refectorio pariter cum Fratribus ſe reficiant. &c.*

SPIRENSE

Canonicorum Regularium Congregationis S. Sepulchri Monaſterium, quod (prout conſtans & antiqua habet traditio) a duobus Civibus Spirenſibus poſt peregrinationem Hieroſolymitanam, anno non notato, ſuſceptam ac feliciter abſolutam, domum reverſis, ſat magnis impenſis apparatum prodiit cum templo, Hieroſolymitano illi (in quo viſitur Sepulchrum Domini) per omnia ſimillimo, primum Sacris Virginibus ſeu Monialibus qualecunque demum Inſtitutum Regulare Profeſſis in Poſſeſſionem traditum, quo tamen eodem hoc Clauſtro vertentibus annis utcunque fœde laceſſito, loci Ordinarius (qualis tunc oportune fuit Conradus hujus nominis tertius ex Baronibus a Schurpfeneck S. R. I. Princeps & Epiſcopus Spirenſis numero XXVI.) hujuscemodi Clauſtrum denuo reſtaurandum ſuſcepit, atque iſtud de poſthac curandum tradidit Præpoſito & Conventui Monaſterii Denckendorffenſis de Congregatione S. Sepulchri ſupra memorata, prout amplius de hoc conſtat ex Chronico Hirſaug. tom. 1. ad annum Chriſti 1207. ſic legendo: Conradus Epiſcopus Spirenſis Eccleſiam Dominici Sepulchri in Suburbano Civitatis, in qua Moniales antea fuerant, cum omnibus attinentiis & Proventibus ſuis Præpoſito de Denckendorff in perpetuam tradidit proprietatem & poſſeſſionem, ut Monialibus, quæ tunc erant in ipſa Civitate defunctis aut alibi proviſis Conventum Virorum ſuæ Profeſſionis inſtituat, qui tamen Jurisdictioni Pontificis pro tempore exiſtentis in Neometenſi Eccleſia ſubjaceat. Igitur Præpoſitus in Denckendorff locum acceptans ſui Ordinis Viros in eo repoſuit; quibus Priorem ſecundum Religionis ſuæ conſuetudinem præfecit. &c. Porro idem Spirenſe Monaſterium anno 1228. a Friderico II. Romanorum Imperatore Duce Sueviæ variis Privilegiis fuiſſe donatum & inſtructum oſtendit Chriſtophorus Lehmann in ſuo Chronico Spirenſi lib. 5. cap. 73. fol. 570.

SPIRENSE

Tertium Venerabile quoddam Canoniſſarum Auguſtinianarum Sodalitium usque ad Patrum memoriam integre ſervatum conſtitit, etſi de prima Fundatione ſua nondum nobis revelatum, de quo proin ex ſimplici ſolum traditione comperimus; quod Religioſa quædam Sacrarum Virginum Colonia ad Monaſterium S. Petri Apoſtoli nuncupatum in Palatinatu Heidelbergenſi ſub annum Chriſti 1419. recens Fundatum è Parthenone iſto Spirenſi fuerit aſſumpta, prout ſuo loco jam dictum eſt ſupra. Cæterum Moniales ſeu Regulares hujuscemodi Canoniſſas Spirenſes ſaltem aliquot paucas usque ad infauſta illa Militaris diſturbii Suecici ſeu ad annum usque 1632. in quieta Religioſæ Manſionis ſuæ Poſſeſſione ſubſtitiſſe ſecuras, & imperturbatas me per litteras edocuit Phrontiſterii Moguntini ad S. Agnetem Antiſtita Venerabilis ac Religioſiſſima Domina Maria Catharina.

S. SPIRITUS

Taliter intitulatum, jam pridem tamen iſtud in apertiſſimum Orthodoxæ Religionis odium penitus extinctum Canonicorum Auguſtinianorum Monaſterium, Diœceſis

Verdenſis, prope Soltwedel oppidum in Marchia Brandenburgenſi, ſuperiori ætate perinclytum; ubi tamen locorum, quia temporibus noſtris omnis Status Religioſus per univerſam Provinciam procul exulat, plura de Cœnobio iſto Poſteros edocere nulla facultas ſuppeditat; usque modo tamen aperte nobis conſtat hoc ipſum S. Spiritus Cœnobium vel olim inter Religioſa Venerabilis Congregationis Hallenſis jam ſupra commemoratæ fuiſſe recenſitum, & quod conſtiterit à Nobiliſſimis Viris æque Doctiſſimis ac Pientiſſimis inhabitatum.

SPRINGERSBACENSE,

Seu communiter *Nobile Collegium in Springersbach* nuncupari ſolitum, utpote Perſonis ſolummodo Natalium ſplendore conſpicuis aggregatum Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini Cœnobium, intra limites Archi-Diœceſis Trevirenſis usque hactenus florentiſſimum, niſi hodie (dum hæc ſcribimus) cum tota Provincia ſub jugo Gallico (quod abſit) miſerabiliter afflictum; de quo proin modernum ſtatum illius pro hic & nunc nullis mediis obtinendum vel inviti hic intermittimus, ac dehinc ea ſolum ad notitiam Lectoris proferimus, quæ de Nobiliſſima Springersbacenſium Abbatia iſta gratioſe nos per Litteras edocuit Comprovincialis Inquilinus illius Reverendiſſimus ac Ampliſſimus Dominus Joannes pro tempore Venerabilis Congregationis Windeſimenſis Prior Everhardo-Cluſanus, & ea ſic habent: *Anno Chriſti 1107. Springersbacenſe Monaſterium apud Salientem vivum unde nomen habet, recens conditum, Beato Apoſtolo Petro Trevirenſi dicatum, donoque datum eſt. Quod ut planius fiat, neceſſe eſt rem paulo altius repetere. Benigna Dives & Mariti Hæredis defuncti locuples inprimis fœmina in iis tum Diœceſis partibus agebat, ubi jam in aprico nemore, ſeceſſu amœniſſimo Cœnobium viſitur, hæc vitæ ſolitariæ & quietioris amore capta, ſaltu, quem ætas illa Contelium vocabat, in Thermuntio privatis opibus & Expenſis, ac voluntate Sigefridi Palatini Cellam, Domiciliumque conſtituit, ad quam incolendam Clericos B. Auguſtini Diſciplinam ſequentes, à quibus ſimul ipſa Sanctitatis ac vitæ exempla purioris hauriret, invitavit, iisdemque ad Dei Laudes rite ibi decenterque concinendas ædem ſacram pari beneficentia locavit. Porro cum Bruno Archi-Epiſcopus dicando templo benigne pollicitus operam adfuiſſet, Benigna ultro Pontificem in præſentia multorum Nobilium ac Beneficiariorum accedens, Cellam ſe B. Petri Trevirenſis honori extructam, atque rebus, reditibusque fundatam habere ait, quam Trevirenſi Eccleſiæ perpetuum ſubditam vellet. Bruno igitur cum inde vicinum in locum ſeceſſiſſet, Benigna per Sigefridum Palatinum Aſceterium Epiſcopo tradidit; utque ipſe Comitem ejus loci Advocatum in præſens modo inſtituere vellet, obnixe rogavit. Deinde quo rata illa impoſterum donatio cenſeretur, Treviris per manus Sigefridi Palatini apud Altare B. Petri Apoſtoli eandem Cellam Archi-Epiſcopo conditionibus his obtulit, ut ipſe jus in controverſiis atque omnium rerum gerendarum arbitrium ſibi haberet, Cœnobitis Abbatis eligendi poteſtatem faceret, atque concordibus ſuffragiis electum de more conſecraret, neque Advocationis munus quemquam gerere perpetuum vel in una idem hærere Familia ſineret.* Hactenus Litteræ ex Cluſa Everhardica ad me transmiſſæ.

Porro Benigna Vidua hæc noſtra proles duas habuit nempe Richardum, qui ſtabilita in Springersbachio Divi Auguſtini Diſciplina primus ibidem Abbas fuit, & Tenwidem, quam Andernacenſis Parthenonis gubernacula manebant: Sub idem tempus hac tam eximia Viduæ pietate illectus Bruno Archi-Epiſcopus Trevirenſis Clero à Benigna congregato, omnem culti Soli qua frugum, qua pecorum decumationem remiſit, & ſponte condonavit.

Anno 1136. Springersbacenſis Eccleſia conſecratur ab Alberone Archi-Præſule Trevirorum & Apoſtolicæ Sedis Legato; quo eodem anno Wilhelmus Palatinus ex Lothariorum Hæredibus poſtremus ex illa gente, qui rerum Coloniam Agrippinam verſus in Ripanis, Moſellæ Rhenique potiebatur, & Cochimam arcem aliaque munita Imperii loca jure Vicario obtinebat, præter multiplices datas huic Cœnobio variarum rerum exceptiones, & Cochemenſe Portorium eidem remiſit, & Contelii nemoris ſpatia cum agris, frugiferisque locis ampliavit, & Advocatorum id Servitute liberavit cum hac Donationis tabula manu propria conſcripta in Dei Genitricis Altari oblata.

Ego Wilhelmus Comes recogitans ex pluribus, quæ mihi ex Superabundanti gratia Deus in præſenti vita contulit, qualiter de futuræ vitæ bonis mihi aliquid compararem, pauperes ſpiritu, qui in hoc Sæculo nihil habere cupiunt, ut Chriſtum lucri faciant, manutenere, & aliquid de meis ad conſolationem & Suſtentationem eis dare decrevi, ut ipſi me in æternis recipiant habitaculis Anno MCXXXVI. Indictione XIV. Lotharii Regni XI. Imperii IV. Pontificatus Alberonis Venerabilis Trevirorum Archi-Epiſcopi anno V.

Circa

Circa annum Domini 1213. hoc Springersbacenſe Monaſterium Abbatem vitæ morumque honeſtate venerandum & Sapientiæ tam humanæ quam Divinæ peritia Clarum tulit, Abſolon is fuit lumen & ornamentum Trevericæ Diœceſis, qui Pariſiis ad S. Victorem Canonicum agens in Cœnobium Springersbacenſe abſens cooptatus, Pariſiis Treviros accerſitus, & adventus ejus in Monaſterium ſuperne prænuntiatus eſt, nec eventu res caruit, ſiquidem Springersbacenſem Diſciplinam mox inſtaurans tam hujus Sodalitii Fratres, quam iis Subjectæ Virgines Mariæburgi, & Inſulæ S. Nicolai Collegiis, nec non illis Præpoſiti Cœnobitæ à carnium eſu & adipatis eduliis ut abſtinerent, impetravit, unum & quinquaginta per ſtata & ſolennia anni tempora diſtributos Sermones protulit, opus eruditum & Bernardina Facundia exornatum, in Cleri corruptelam & multiplicem iſtius ævi labem ſtrenuas habuit invectivas, floret in hoc usque tempus hæc Canonia prædives & hoſpitalitatis Beneficio nominata & celebris, & plura etiam habuit Monaſteria ſubjecta, quæ continuis inteſtini Belli temporibus extincta, à variis Principibus diruta, ac una cum annexis reditibus & proventibus direpta ſunt. Reſtant adhuc ſolummodo duæ Parthenones Prænobilium Virginum ad S. Thomam ſcilicet prope Andernacum, & in Inſula S. Nicolai Vulgo Stuben (de qua pluribus infra dicemus) ad ripam Moſellæ Florentiſſimæ huic Canoniæ Springersbacenſi appertinentes. In Sepultura Wilhelmi Palatini inſcriptis humili Saxo verſibus hæc habentur.

Gleba Palatini Comitis dudum ſat opimi
Wilhelmi celebris, marcet in his tenebris.

Lector ut ignoſcat ſibi
Chriſtus debita poſcat
Ipſius ante Thronum
Dando perenne Bonum.

Hæc de Origine Celeberrimæ Abbatiæ Springersbacenſis. Jam ad ordinem Abbatum Springersbacenſium à prima Fundatione usque ad hæc tempora perveniendo, qui nobis gratioſe transmiſſus talis eſt

Ordo

Reverendiſſimorum DD. Abbatum Springersbacenſium.

I. RICHARDUS I.
II. RICHARDUS II.
III. GODEFRIDUS I.
IV. ABSOLON Pariſienſis abſens miraculoſe electus.
V. WERNERUS.
VI. GODEFRIDUS de Dune. II.
VII. GODEFRIDUS III.
VIII. HENRICUS de Meren.
IX. NICOLAUS.
X. RICHARDUS III.
XI. EUSTACHIUS.
XII. MATHÆUS de Mocoll.
XIII. PAULUS de Lanſtein.
XIV. THEODORICUS de Wiltlich.
XV. SIMON de Cociler.
XVI. PHILIPPUS â Koppenſtein.
XVII. PETRUS â Keſſelsſtatt I.
XVIII. CONRADUS â Mezenhauſen.
XIX. JOANNES â Broell.
XX. DANIEL Schillingh.
XXI. CASPARUS Melchlingh.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XXII. PETRUS Scheid II.

XXIII. JOANNES FRIDERICUS ab Awach. Hic primo usum mitræ habuit anno 1605.

XXIV. JOANNES EVERHARDUS â Decysternam.

XXV. HERMANNUS â Wettenbach de Schonbeck.

XXVI. FRANCISCUS WILHELMUS Guliger ab Eylen.

XXVII. THEODORUS Wernerus ab Ensenbroch.

XXVIII. JOANNES BALDUINUS Bergh de Durffendall anno Domini 1715. Sacerdotii Jubilarius.

STAINZENSE

Insignis Abbatia Canonicorum Regularium Oppidi Stainzensis in Styria S. Catharinæ V. & M. dicata. Fundata fuit circa annum Domini 1246. à *Leutoldo de Wildonia* milite, hoc est: Ex Nobilitate Equestri Oriundo, & Conministeriali sive ex eo Illustrium numero, quibus cura Ducatus Styriæ commissa erat. Ad rei hujus confirmationem sequentia servient Diplomata.

I.

Confirmatio & Ratihabitio super Ecclesiam Stainzensem ab Innocentio IV. Pontifice.

Innocentius IV. Episcopus Servus Dei Venerabili Fratri Ulrico Episcopo Seccouiensi Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota, quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Cum igitur sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis Leutoldus de Wildonia miles Conministerialis Ducatus Styriæ Ecclesiæ de Stainz Ordinis S. Augustini tuæ Diœcesis, quæ Parochialis erat, & etiam tunc vocabat, in qua idem ministerialis jus obtinet Patronatus, in tantum de Possessionibus propriis pia liberalitate præstiterit, quod Personis Deo inibi famulantibus possunt necessaria esse, túque ad ejus ministerialis instantiam de consensu Capituli tui eosdem Canonicos instituëris regulares, supplicationibus inclinati; quod super hoc à te factum est, & in alterius præjudicium non redundat, ratum & gratum habentes Authoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti Patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, & BB. Apostolorum Petri & Pauli ejus se noverit incursurum. Datum Lugduni 10. Calendas Martii 1246. Pontificatûs nostri anno V.

II.

Confirmatio ab Vdalrico Episcopo Seccouiensi.

Ulricus Dei gratia Seccovienſis Episcopus universis Christi fidelibus in perpetuum. Ne gesta hominum labantur Processu temporis in abusum consueverunt ea, quæ geruntur sub literarum testimonio posterorum memoriæ reservari. Cum igitur nobilis Vir Dominus Leutoldus de Wildonia pia & laudabili ductus devotione ad laudem & honorem Altissimi juxta fluvium, qvi Stainz dicitur, Ecclesiam S. Catharinæ fundavit, Regularibus ibidem Canonicis institutis. Nos eo quia hujusmodi plantatio sit in nostra sita Diœcesi, eandem institutionem ratam habentes, & favorabiliter approbantes, ipsam præcise cum omnibus suis viribus & donationibus quocunque titulo aut nomine censeantur, prout in suis, & aliorum Privilegiis super hoc editis plenum est expressum Authoritate Dei & Potestate ordinaria confirmamus, præcipientes sub interminatione anathematis, ut nullus omnino hominum, eandem nostram confirmationem præsumat infringere, vel ei ausu temerario contraire. Actum apud Piber Anno Domini 1247. 8. Calend. Novemb. Pontificatûs nostri anno primo.

III.

III.

Privilegium Ducis Sclavoniæ.

Nos Stephanus DEI Gratia Dux totius Sclavoniæ, & Capitaneus Styriæ &c. notitiam omnium tenore præsentium volumus prævenire. Quod accedens ad nos Conradus Præpositus de Stainz Privilegia Ecclesiæ suæ in Stainz, tam Ducis Friderici, quam & Leutoldi de Wildonia Ecclesiæ suæ Fundatoris nobis exhibuit, quibus inspectis, & ad plenum intellectis ex eorundem tenore libertates a se Ecclesiæ suæ in Stainz concessas cognovimus in hunc modum. Quod ab omni Advocatia ipsa Ecclesia cum Fundo ejus, & Foro in Stainz, cum aliis Possessionibus eidem Ecclesiæ dotatis tam habitis, quam habendis, liberata est penitus, & exempta. Hos vero cupientes bonorum operum, & orationum Religiosorum participes effici ad petitionem prænominati Præpositi & sui Conventus, nec non Præfati Leutoldi de Wildonia Fundatoris, dictam Ecclesiam una cum Præposito & Fratribus suis ibidem Deo famulantibus in Domini nostri Bele Serenissimi Regis Ungariæ, & Ducis Styriæ, & nostrum favorem, gratiam, & in Protectionem recepimus specialem. Promittentes firmiter, quod in omnibus conditionibus, seu libertatibus dictum Præpositum, & Conventum in Stainz virum continentia Privilegiorum suorum, tam Ducis Friderici, quam Leutoldi Fundatoris eorum de Wildonia manutenebimus, favebimus, & pro nostris Viribus defendemus. Et has ipsis perpetuo conservabimus illibatas. In cujus rei evidentiam, præsentes Literas dedimus Sigilli nostri munimine roboratas. Datum in Graz An. 1257. 14. Calend. Augusti.

IV.

Otthocari Bohemiæ Regis Privilegiorum Confirmatio.

Ottocarus Dei gratia Bohemiæ Rex, Dux Austriæ, Styriæ, & Carinthiæ, Marchio Moraviæ, Dominus Carnioliæ, Marchio Egræ, ac Portus Navigationis universis hanc Literam inspecturis Fidelibus suis gratiam suam & omne bonum. Tenore præsentium notum facimus universis, quòd nos ob honorem Dei, & B. Catharinæ Virginis & Martyris suæ, Ecclesiam S. Catharinæ in Stainz novam plantationem piæ memoriæ Leutoldi de Wildonia, quam intendimus favorabiliter promovere, una cum habitis, & habendis, & omni libertate sua approbata ex suis Privilegiis in nostram Protectionem recipimus, & gratiam spiritualem. Nullum ei præficientes tutorem alium, quam nos ipsos, nisi Præpositus dictæ Ecclesiæ de voluntate propria & arbitrio Benevolo quemcunque Capitaneum terræ nostræ Styriæ præfecerimus, forte eligeret nostro nomine Defensorem. Super quo in testimonium sibi damus has nostras patentes Litteras, & Sigillum. Datum Pragæ 1276. 4. nonas Augusti.

V.

Bulla Pauli V. de quotidie Privilegiato Altari S. Joannis Baptistæ.

Ad perpetuam rei memoriam, omnium saluti paterna charitate intenti sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde Fidelium defunctorum animæ Domini nostri JEsu Christi ejus Sanctorum suffragia & merita facilius consequi, & illis adjutæ, & purgatæ de Pœnis ad æternam salutem per Dei Misericordiam perduci valeant. Volentes igitur, Præposituram nuncupatam S. Catharinæ Canonicorum Regularium oppidi de Stainz Seccovienſis Diœcesis simili ad præsens Privilegio, ut accepimus, minime decoratam, & in ea Altare S. Joannis Baptistæ hoc speciali dono illustrare authoritate nobis à Domino tradita, ac de Omnipotentis DEI Misericordia, BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus authoritate confisi, supplicationibus quoque dilectæ in Christo Filiæ nobilis mulieris Mariæ Annæ Archi-Ducissæ Austriæ nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati: Ut quandocunque Sacerdos aliquis sæcularis, sive cujuscunque Ordinis Regularis Missam Defunctorum pro anima cujuscunque Fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac migraverit, ad prædictum Altare, celebrabit, anima ipsa de Thesauro Ecclesiæ per modum Suffragii Indulgentiam consequatur, & ut ejusdem Domini nostri JEsu Christi, ac Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorúmque omnium meritis sibi suffragantibus à purgatorii pœnis liberetur, concedimus & indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 28. Novembris. 1609. Pontificatûs nostri anno V.

VI.

Bulla Pontificia propter Pontificalia.

Nicolaus Epiſcopus Servus Servorum DEI, dilectis Filiis Sigismundo Lembſizer Præpoſito, & Conventui Monaſterii in Stainz per Præpoſitum ſolitum Gubernari, Ordinis S. Auguſtini Seccovienſis Diœceſis Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Expoſcit Jure devotionis ſinceritas & religionis promeretur honeſtas, ut tam vos, quos Spirituali Benedictione proſequimur, quam Monaſterium veſtrum dignis honoribus attolamus. Hinc eſt, quod nos chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Friderici Romanorum Regis illuſtris pro vobis dilectis ſuis, nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis, ac veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut tu Fili Præpoſite, & Succeſſores tui veſtri Monaſterii in Stainz per Præpoſitum ſolitum gubernari, Ordinis S. Auguſtini Seccovienſis Diœceſis, quod à progenitoribus præfati Regis ſolemniter fundatum, & ſufficienter dotatum extitit, & in quo Regularis obſervantia, ut aſſeritur, vigere dignoſcitur, Præpoſiti, qui pro tempore erunt Mitra, annulo, & Baculo Pontificalibus infra ſepta dicti Monaſterii libere uti poſſitis; nec non infra eadem ſepta Benedictionem ſolemnem poſt Miſſarum, Veſperarum, & Matutinorum ſolemnia, dummodo in Benedictione hujusmodi aliquis Antiſtes, vel amplificæ Sedis Legatus præſens non fuerit, elargiri poſſitis, felicis recordationis Alexandri Papæ VII. Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit Abbates, & aliis quibuscunque Conſtitutionibus amplificis in contrarium editis nequaquam obſtantibus, vobis & ejusdem Succeſſoribus auctoritate amplifica de ſpeciali gratia tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam noſtræ Conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum. Anno Domini 1453. 3. Calendas Januarii. Pontificatûs noſtri anno IV.

VII.

Friderici Romanorum Regis Anno 1319.

Fridericus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus univerſis præſentes Literas inſpecturis gratiam ſuam, & omne bonum. Gratum Deo, & acceptabile arbitramur obſequium impendiſſe, dum Perſonis Religioſis Divino cultui Laudabiliter inſiſtentibus eleemoſynarum munera elargimur, ex hoc enim ipſorum devota creſcit devotio, nobisque apud Deum meritum, & apud homines clara fama. Hæc ſiquidem in noſtris Præcordiis jugiter meditantes, honorabilibus & Religioſis Viris Nicolao Præpoſito, & Conventui Monaſterii in Stainz Ordinis S. Auguſtini, ac ipſorum Succeſſoribus devotis noſtris dilectis, qui humilibus ſuis orationibus, puris Sacramentorum ſuffragiis, aliisque precibus pietatis Conditori omnium ſerviunt inceſſanter, pro Salute animæ, & Corporis noſtri, & pro remedio animarum Progenitorum noſtrorum centum marcas duriorum Gracenſium, modis & viis infra ſcriptis, erogamus. Ita videlicet ut prædicti, Præpoſitus, & Conventus cum dicta pecunia redditus decem marcarum de Poſſeſſionibus, & proprietatibus in terris noſtris ſitis de noſtra voluntate Conſenſu Libero, & Licentia, orare teneantur: Debent etiam prænominati Præpoſitus & Conventus, unum Sacerdotem, Sacerdotibus ſuis ſuperaddere, qui unam ſpecialem Miſſam ſingulis diebus, vel alius pro eo juxta ordinationem Præpoſiti ab hac die in perpetuum pro noſtra & noſtrorum Progenitorum ſalute, teneantur jugiter celebrare, & Sacerdos qui Miſſam eandem celebraverit, debet quotidie in una Pytantia honorari. Præterea volumus, & ordinamus, ut prædicti Præpoſitus & Conventus, & Succeſſores eorum, poſtquam Dominus noſter JEſus Chriſtus nos de hac luce vocaverit, teneantur diem obitus noſtri, & anniverſarium noſtrum ſub debito honore, & reverentia, Vigiliis, Orationibus, Miſſis, Candelis, & Refectionibus, ſicut ſuorum Fundatorum anniverſaria peragere perpetuo, ſicut ipſius Monaſterii conſuetudo exigit, & requirit. Quod ſi facere, & exequi quocunque anno neglexerint dicti redditus in pœnam hujusmodi negligentiæ niſi moniti, dictus Præpoſitus & Conventus neglecta plenarie adimpleverint, ad noſtros in Ducatu Auſtriæ & Styriæ Hæredes, ſive Succeſſores, libere absque contradictione qualibet revertentur. In cujus noſtræ ordinationis, ſeu donationis evidens teſtimonium, regale noſtrum Sigillum præſentibus eſt appenſum. Datum in Graz Calend. Januarii. Anno 1319. Regni vero noſtri anno V.

Cata-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Catalogus
Præpoſitorum Collegii Stainzenſis.

I. GEROLDUS præfuit Monaſterio vivente adhuc Fundatore, obiit an. 1236. 10. Calendas Novembr.

II. CONTADUS poſtquam regnavit 18. annos obiit anno 1254.

III. PETRUS I. rexit annis 22. mortuus an. 1276. 3. Calend. Auguſti.

IV. SIGHARDUS præfuit Cœnobio usque ad annum 1298. & obiit 11. Calendis Octobris.

V. WILDUNGUS nomine vitam cum morte commutavit anno 1300. 24. Martii.

VI. HENRICUS obiit anno a partu Virgineo 15. Septembris. anno 1308.

VII. NICOLAUS Polans migravit ex hac vita Anno 1324. 14. Maji regens 16. annos.

VIII. NICOLAUS cognomine Heckelmanus valedixit officio & vitæ die 7. Junii 1345.

IX. PETRUS II. hujus nominis Fundator Capellæ S. Petri Martyris, & S. Eliſabethæ Viduæ obiit an. 1361. 23. Aprilis, & ſepultus in Capella ſua a ſe fundata.

X. MARTINUS mortuo Petro II. electus in Præpoſitum, duobus tantum præfuit annis, dein honori & oneri ceſſit.

XI. RUGERUS interim vero in Antiſtitem ſubrogatus, & obiit 13. Maji Anno 1375.

XII. ULRICUS præfuit huic Collegiatæ Eccleſiæ Anno 1377.

XIII. BERTHOLDUS onere & honore, ad nauſeam usque ſatiatur, ſucceſſori locum ultro ceſſit, & ad plures abiit die 6. Februarii anno 1399.

XIV. JOANNES Steindorffer ex Parocho ad S. Stephanum in oppido Stainzenſi ſupremus & univerſalis Rector deſignatur, & in locum Prædeceſſoris canonice ſubſtituitur, poſt breve regiminis tempus morte naturali peremptus omnino defecit Calendis Novembris an. 1397.

XV. GEBHARDUS digniſſimum Antiſtitem egit usque ad annum 1412. quo decurrente numerum dierum ſuum adimplevit 10. Calend. Octobris.

XVI. ERHARDUS poſt annos 27. & menſes 3. vita terreſtri ſimul & præpoſitura deceſſit tumulo illatus die 28. Jan. an. 1439.

XVII. SIGISMUNDUS a Lembſiz prius ad S. Stephanum Lector parochialis altiori Prælaturæ miniſterio depoſthac adminiſtrando deputatur, idem ad inſtantiam Friderici IV. Romanorum Imperatoris primus a Sede Apoſtolica mitra præſulari donatur obiit demum die 28. Octobr. 1461.

XVIII. THOMAS Enſer de Reichenthal & ipſe quoque Parochiæ S. Stephani Præfectus, itidem in ſupremum Collegii Stainzenſis Curatorem & Dominum adſcitur die 4. Januarii an. 1462. decennio & ultra munere ſuo digniſſime perfunctus ad plures tandem abiit die 15. Auguſti an. 1472.

XIX. AUGUSTINUS Sittich poſt annos 22. religioſæ quietis deſiderio ſucceſſit ſponte ſolum ſua reſignat, & ad modicum tantum temporis adhuc ſuperſtes emigrat, ſepultus cum Patribus ſuis die 30. Auguſti anno 1494.

XX. ANDREAS Schmelzer electus die 9. Septembris anno 1494. quinquennio, & ultra Prælaturæ vices dignus adminiſtraſſe laudatur, ſubinde mortuis connumeratus Necrologio domeſtico legitur inſcriptus, die 30. Auguſt. an. 1501.

XXI. WOLFGANGUS Pruner electus an. 1501. poſt annos 17. a præſenti Sæculo traslatus requievit ipſo die feſti S. P. N. Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi, & Eccleſiæ Doctoris an. 1518.

XXII. JOANNES I. Macher cognominatus quindenis propemodum annis primariam Eccleſiæ Stainzenſis Cathedram occupavit, legitima poſſeſſione ſua per mortem naturalem deſtitutus die 14. Aprilis anno 1533.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XXIII. BERNARDINUS Amerinus quondam ad S. Stephanum Parochus, tum inter ſuos Magiſter Scholaſticus conſtitutus vacantem Prælaturæ ſedem Canonica promotione die 26. Aprilis an. 1533. pro meritis aſcendere nominatus, inter ſuos annis circiter 20. honoratus præſedit usque ad finem anni 1554. quo deſinente & ipſe deſiit præpiiſſima mortis victima factus die 23. Decembris.

XXIV. JOANNES II. Prechfinck electus die 22. Decembris an. 1554. poſt annos 9. & menſes 6. in Voitſperg civitate Styriæ die 24. Junii anno 1563. huic Sæculo defunctus, apud ſuos tamen Canonicos Stainzenſes tumulo dolenter illatus in antedicto S. Petri Martyris Sacello communem cum aliis Anaſtaſin expectat.

XXV. LEONHARDUS Grasmayr ſubditis æque religioſis ac Sæcularibus jura dixit annis ſupra viginti duobus, quo temporis ſpatio feliciter exacto ſarcinam mortalem exutus in Domino requievit an. 1585.

XXVI. SEBASTIANUS Fux vitam ſuam in alto Prælaturæ munere protaxit ad decennium emortuus an. 1596. menſe ejusdem primo.

XXVII. JACOBUS Roſalenz Coloniæ Agrippinæ ad Rhenum terris editus quondam Parochus in Leibniz Calendis Februarii an. 1596. in digniſſimum nobiliſſimæ Canoniæ hujus Stainzenſis Præpoſitum electus, mox etiam, utpote Juris æque Civilis ac Canonici peritiſſimus, ſed & ſuprema Theologiæ laurea clariſſimus in Auguſtiſſimi Cæſaris Ferdinandi II. Conſiliarium aſſumptus, ac demum Præſes Cameræ inferioris Auſtriæ clementiſſime deſignatus, toto regiminis ſui tempore profligandis hæreticis potiſſimum intentus, conſilio ſuo & induſtria plurimos e finibus Styriæ Carinthiæ & Carniolæ cedere & ſolum vertere coëgit, reſtant plures libri a nominatiſſimo hoc propaganda fidei orthodoxæ zelote conſcripti: quibus multifaria hæreſum monſtra fortiſſime fuere debellata, & neque locus eorum amplius inventus eſt in provinciis & territoriis illis antedictis. Emicat autem alias laudatiſſimi Cænobiarchæ hujus eximia ſane prudentia cunctis hodiedum admiranda, qua novum omnino conſtrui fecit Stainzenſe templum, & par quoque totius collegii ſui ædificium: quod unice primarium ſui authorem Jacobum iſtum agnoſcit: quemque Græcienſe Lycæum Ferdinandæum, ut vocant, tertium numero loci, ac quorumvis Jurium ſuorum reſpective Fundatorem & reſtauratorem ampliſſime deprædicat: Juventus quoque litteraria Græcienſis ætate minor talem itidem pari titulo de ſe promeritum condignis laudibus celebrat, & tenera pietate jugiter adamat. Facit etiam ſingulariter in præclaram Reverendiſſimi Antiſtitis hujus laudem, quòd præ omnibus aliis ipſe digne judicatus, & ab ipſa Sede Apoſtolica denominatus fuerit in primum & novum Epiſcopum ampliſſimæ nobiliſſimæ civitatis Græcienſis, quæ tum temporis de proprio paſtore intra muros ſuos conſtituendo admodum ſolicita nihil non tentavit, quod tamen piiſſimum negotium inſperata digniſſimi Præſulis iſtius Jacobi morte dolenter interveniente ſuum optatiſſimum finem haud attigit. Præfuit æque ac profuit nobiliſſimus ſane Præſul iſte totius Ordinis Canonico-Auguſtiniani decus & ornamentum ſingulariſſimum perpetuum non ſolum Eccleſiæ ſibi creditæ, ſed toti etiam Provinciæ apud populos Styriæ totis 34. annis, quibus omnimode reſolutis die 3. Martii anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum viceſimo nono deſuper evocatus fuit, quia juſtiſſime promeritus ad condigne recipiendam mercedem pluribus illis olim ab alto promiſſam: *qui ad Juſtitiam erudiunt multos.* Daniel. 1. v. 3.

XXVIII. SIMON Eberhardus ob res itidem præclare geſtas condigna laude & memoria ſempiterna digniſſimus inter Reverendiſſimos Eccleſiæ Stainzenſis Prælatos, atro quidem mortis calculo, non item debito rerum geſtarum præconio notatur. Necrologio domeſtico inſcriptus ad annum 1658.

XXIX. GEORGIUS Chriſtophorus Purckſtaller quadriennio ſolum cum tota plenitudine poteſtatis Canoniam Stainzenſem adminiſtravit, fatis extinctus an. 1654.

XXX. GEORGIUS Treitler ſcientia & virtute ſublimis annis 13. Præſulatum geſſit, exaninatus anno poſt portum Almæ Virginis Deiparæ 1667.

XXXI. GEORGIUS Sigefridus ex Liberorum Baronum à Jochlinger Familia procreatus Eccleſiæ ſuæ ſub initium Sæculi decurrentis recentis fabrefactæ ultimam manum admovit, ſiquidem illam mirifice condecorari fecit, eique Sacellum S. Antonii Paduani de novo plusquam ſumptuoſe conſtructum adjecit, duas item turres etiamnum mole ſua firmiſſime perſtantes novis campanis admodum ſonoſis inſtruxit, ipſam quoque moderni Collegii ſtructuram è Fundamentis omnino novam molitus, totum inſuper boni publici ſtatum integerrima ſedulitate ſua domi forisque imperie fovit licet inter maxima & ſumme ardua regiminis ſui negotia continuis fere corporis ægritudi-

tudinibus obnoxius; quare Inclytorum Statuum Provinciæ ſuæ Styriacæ deputatus, ut vocant, quamvis ad id Officii communibus votis ſuppliciter invitatus omnino eſſe noluit, quique tandem Græcii famoſa Styriæ Metropoli in Curia ſeu Reſidentia ſua Stainzenſi piiſſima morte vitæ terreſtris Spiritum exhalavit die 7. Julii an. 1683. Corpus illius condigno honore depoſitum ſepulturam accepit in Sacello S. Antonii Paduani antedicto.

XXXII. JOANNES Bernardus ex Perilluſtri Familia à Paumbgarten in Præpoſitum electus die 30. Aug. ejusdem anni 1683. & 8. Decemb. ejusdem anni Infulatus in propria noſtra Eccleſia. Hic magnam partem Collegii è Fundamento erexit, numerum Canonicorum auxit, Eccleſiam exornavit, Altare ſummum de novo extruxit. Magnam Cryptam pro Canonicis, minorem pro ſe, & Succeſſoribus, & ſuper hanc ultimam Sacellum B. Joanni Nepomuceno noviter omnia ædificavit, Confirmatus Provinciæ Styriæ deputatus 17. Novembris 1704. Stonizij pie in Domino obdormivit.

XXXIII. CHRISTOPHORUS Horatius Carmindi Styrus Græcenſis Canonicus, & tunc Commiſſarius in temporalibus, in Parochia noſtra ad S. Stephanum unanimi quaſi voto Canonico electus eſt 19. Januar. 1705. conſecratus in Collegiata noſtra Eccleſia 15. Febr. ejusdem anni, Vir magnæ prudentiæ & virtutis, erat hic Collegii noſtri Decanus 16. annis, & eo tempore vix non ſemper Novitiorum Director, eſt Dominus Zeloſiſſimus, & diſcretus, ſibi auſterus, aliis benignus, charus omnibus, & domeſticis & externis. Huic ex ſpeciali affectu Reverendiſſimus, & Celſiſſimus Princeps, & Epiſcopus Seccovienſis Franciſcus Comes a Waggenſperg ceſſit deputatiam Provinciæ in Styria jam in ſecundo anno ſui regiminis, auxit hic non parum decorem Eccleſiæ noſtræ, extruxit ex Fundamento partem Collegii noſtri, & tam in temporalibus quam ſpiritualibus ſuos ſequitur Anteceſſores, cui benigniſſimus Deus longævum, & felix regimen concedere dignetur.

His pro Coronide ſuperaddatur adhuc dies obitus noſtri Illuſtriſſimi Fundatoris Leutoldi Comitis de Wildonia, qui anno reparatæ ſalutis 1249. die 13. Aprilis anno ætatis ſuæ 67. ex hac mortali ad immortalem vitam migravit. Ita Documenta communicata.

STAVERENSE,

Sic dictum ab Urbe *Stavera*, S. Odulphi veneratione & miraculis celeberrima, quæ fuit quondam Urbium totius Friſiæ maxima, ditiſſima, ac ſplendidiſſima, imo & Regum credita ſedes, portu tunc ſupra modum commodiſſimo; unde opes cumulatæ Luxum, inſolentiam, proterviamque tantam genuerunt, ut quisquis nimis inſolenter apud Friſios ſeſe effert: communi Proverbio dicatur videri *protervus Juvenis Staverenſis.* Sed ex præſagio S. Odulphi cum dicta Urbe ſic actum eſt, ut paulatim fortunam amiſerit, atque ita decreverit, ut vix Oppidi nomen retineat, & pauci incolæ captura piſcium, & navigatione vitam ſuſtineant. In hac itaque Urbe Collegium Canonicorum Regularium inſtauratum eſſe à S. Odulpho expreſſis verbis memorat Miræus in Faſtis Belgicis in hunc modum: S. Odulphus *ultrajectum profectus, S. Salvatoris Canonicis, vulgo Oudmünſter, qui communem ac velut Cœnobiticam adhuc vitam tunc agebant, ſe adjunxit: & à Frederico Epiſcopo in Friſiam miſſus, Stavriæ Canonicorum in communi pariter viventium Collegium inſtauravit, quod Andreas Cuquenſis XXV. Epiſcopus Ultrajectinus, Benedictinis Oſtbrauca evocatis poſtea attribuit.* Ex quo Clariſſimo teſtimonio manifeſte præterea conficitur S. Odulphum fuiſſe Canonicum, & quidem à Monachis Benedictinis (qui ſe antiquitus Canonicorum præcipue Trajectenſium nomine veniſſe, noſtris præcipue temporibus operoſe contendunt) Inſtituto diſtinctum, utpote qui cum talibus tam in Ultrajectenſi quam Staverenſi Collegio vixerit Canonicis, quibus ſuo tempore Monachi Benedictini ſunt ſuffecti. Denique S. Odulphum Staverenſem Præpoſituram tenuiſſe, advertit Joannes de Beka in Chronico Ultrajectino, in S. Friderico, ubi ſic ait: *B. Odulpho S. Salvatoris Con-Canonico, Stavrienſem Eccleſiam commiſit.* Si hujus Scriptoris teſtimonio B. Odulphus fuit S. Friderici Con-Canonicus, ejusdem cum Eo inſtituti fuerit oportet; ut adeo non videam, quo jure S. Fridericum in Suis numerent Benedictini. Vita S. Odulphi videri poteſt ex variis manuſcriptis Codicibus collecta apud Bollandum ad diem 12. Junij.

STEDERBURGENSE,

Seu ſecundum alios *Stetterburgenſe*, dicendum *Monaſterium Virginum Ordinis S. Auguſtini, ubi Attila olim à paucis ex Arce hujus loci erumpentibus cæſus ægre effugit.*

git. Fundatum fuit post annum Millesimum ab uxore Altmanni Comitis ab Olsberg, ejusque Filia Fredecunda. Hæc obiit anno 1080. & Mater anno 1087. utraque ibidem condita. Diruitur anno Christi 1542. à Civibus Brunsuicensibus, qui nec mortuis pepercere: Qui illud denuo struere sunt coacti. Illud tanto post Comes de Solms anno 1627. Generalis Danici Exercitus exussit. Ita Gabriel Bucelinus part. 3. fol. 114. cui juvat hic subdere etiam ea, quæ novissime ex ipsa Saxonia ab amica manu rescripta fuerunt sequentia: *Collegium Canonissarum Regularium in Stederborch Diœcesis Hildesheimensis hodiedum quidem extat, sed ab heterodoxis solummodo detentum, videlicet Pseudo-Abbatissa & Lutheranis quibusdam Nobilibus Matronis, plane Religiosarum Monialium Similis, & quidem jam ab anno 1560. à Julio Duce Brunsuicensi violenter occupatum.* Fuit autem istud attestante Joanne Buschio lib. 2. Refor. cap. 18. antehac satis dives, anno 1501. à S. Bernwardo Hildesiano Episcopo fundatum de bonis devotæ cujusdam Nobilis Matronæ ac Filiæ ejusdem. Primas autem Claustri hujus Domicellas idem S. Bernwardus antedictus ipsemet investivit, & quidem eodem die, quo etiam in Parthenone Heiningensi sacras Vestales pari Canonicæ itidem Religionis indumento condecoravit, idemque Stederburgense Claustrum authoritate æque Papali ac Ordinaria stabilivit, sicut & in Heiningen jam prius fecerat, quas ipsas Moniales toto reliquo vitæ suæ tempore Religiose gubernavit, nec non & in Regulari observantia studiosissime conservavit. At inde post longævum temporis decursum Disciplina Regulari non nihil labefactata, idem hoc Claustrum Authoritate Nicolai Cusani S. R. E. Cardinalis & per Germaniam Legati à Latere, cooperante simul Loci Ordinario Reverendissimo & Serenissimo Principe Magno è Ducibus Saxoniæ Episcopo Hildesiano, nec non & Henrico Duce Brunsuicensi per Venerabilem Dominum N. Præpositum de Reichenberg strenue fuit reformatum, testimonium perhibente eodem Joanne Buschio ante citato, qui idem ipse ejusdem Cœnobii hujus Regularis Visitator fuit, ac plures isthic Moniales non solum investivit, sed & ad Religiosam quoque Professionem suscepit.

STEINFELDENSE

Celeberrimum ætate nostra Diœcesis Trevirensis in Eiflia (cujus Provinciæ descriptionem exhibet Zeillerus in suo Germaniæ Itinerario ad finem fol. m. 675.) sub Ordine Præmonstratensi comprehensum, fuit a prima Fundatione sua Parthenæum Monastico-Benedictinum: Cujus Domicellis jam olim inde proscriptis locus cessit Canonicis Regularibus ex supra recensita Abbatia Springersbacensi isthuc adductis; qui tamen est isti puta Regulares Canonici post aliquod tempus omnes susceperunt habitum & Institutum Sacræ Familiæ Præmonstratensis.

„ Per duo circiter Sæcula, inquit Reverendissimus Stigavienſis Abbas Annal.
„ Præmonstr. Tom. II. p. 852. Perstiterunt (Steinfeldiæ) Sacræ Vestales, ad Regulæ
„ viventes amussim, & Monasterio nomen *Domus Dei* ex Cleri Suffragio indictum
„ est. At paulo post ad Laxiorem vitam & dissolutam ultro abscedentes, aliæ ad Sæ-
„ culum avolarunt: aliæ ad Profanos sic degenerarunt mores, ut Fridericus Colonienſis Metropolita ex Springirbacensi Monasterio Canonicos Regulares accersere debuerit, qui Domum Dei purgarent scandalo, & Religionem innovarent. Id operis
„ aggressi sunt *Evervinus de Helffenstein*, *Cono de Widderstein*, *& Gualterus*
„ *de Ulmena*, Canonici Springirbacenses pro instituenda Canonia illuc destinati,
„ anno 1121. sub auspiciis Theodorici Comitis de *Abre*. Primum Abbatem ex memoratis tribus Reformatoribus egit *Evervinus* sive *Ebrouinus* (ut alii vocant) *de Helffenstein*, Vir Doctrina, & Religionis Zelo armatus optimos illico mores introduxit. Ab Honorio II. impetravit anno 1126. Steinfeldensis Canoniæ bonorum Confirmationem. Interfuit Consilio Pisano anno 1134. ibique partes Innocentii II. fovit pro viribus: à quo in gratitudinis monumentum recepit insigne Diploma ad Fratres Ecclesia Steinfeldensis. Hæreticos, qui Coloniæ tractum sua colluvie inficiebant, verbo & scripto aggressus eorum errores propalavit, confutavitque Catholicæ Fidei vindex acerrimus familiaris fuit Sancto Bernardo quocum Litterarum Commercium habuit. Legitur ejusdem Epistola in Operibus S. Bernardi Tomo IV. Operum Edit. Mabillonii. Col. 1490. & seq. Quam totam huc transcribo, ut uberius de meritis Evervini Lectoribus constet.

Reverendo Domino suo & Patri Bernardo Clarævallensium Abbati, Evervinus Steinfeldensis Minister humilis, in Domino confortari, & confortare Ecclesiam Christi.

Læta-

Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut, qui invenit ſpolia multa, qui nobis memoriam abundantis ſuavitatis Dei eructare in omnibus dictis, & ſcriptis veſtris ſoletis, maxime in Cantico amoris Sponſi, & Sponſæ, hoc eſt, Chriſti, & Eccleſiæ, ita, ut eidem Sponſo dicere veraciter poſſimus: *Servaſti bonum vinum usque adhuc.* Hujus vini tam pretioſi pincernam te nobis ipſe conſtituit: Non ceſſes propinare, non hæſites, hydrias, non poteris evacuare. Nec te excuſet, Pater ſancte, debilitas tua, cum plus operetur pietas in officio, quam Corporalis ædificationis exercitatio. Nec dicas, te occupatum: neſcimus aliquid huic tam neceſſario operi communi præponendum. De hydria quantum, Sanctiſſime Pater, habes, nobis propinare! De prima propinatum eſt ſatis, & reddidit eos ſapientes, & fortes contra doctrinam, & impetum Scribarum, & Phariſæorum: ſecunda contra argumenta, & tormenta gentilium: tertia contra ſubtiles deceptiones Hæreticorum, quarta contra falſos Chriſtianos, quinta contra Hæreticos, circa finem Sæculi venturos, de quibus per Apoſtolum manifeſte ſpiritus dicit: *In noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, intendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, probibentium nubere, abſtinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione.* De ſexta inebriabuntur, fideles confortando contra illum, qui in hac nimirum diſceſſione a fide revelabitur, ſcilicet ille peccati Filius, Homo perditionis, qui adverſatur, & extollitur ſuper omne, quod dicitur, aut quod colitur Deus; cujus eſt adventus ſecundum operationem Satanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis. Poſt hanc ſeptima non erit neceſſaria: quando Filii Hominum inebriabuntur ab ubertate Domus Dei, & torrente voluptatis ejus. O bone Pater, ſatis interim propinaſti de quarta hydria omnibus nobis ad correctionem, ædificationem, conſummationem, incipientibus, proficientibus, & perfectis, usque in finem Sæculi profuturus contra teporem, ac pravitatem, quæ eſt in falſis Fratribus. Jam tempus eſt, ut de quinta haurias, & in medium proferas contra novas Hæreticos, qui circumquaque jam fere per omnes Eccleſias ebulliunt de puteo abyſſi, quaſi jam Princeps illorum incipiat diſſolvi, & inſtet dies Domini. Et in Epithalamio amoris Chriſti, & Eccleſiæ locus, qui a te, Pater, ſicut tu ipſe mihi retuliſti, jam eſt tractandus, videlicet, *Capite nobis Vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*, huic Myſterio congruit, & te ad quintam hydriam perduxit. Rogamus igitur, Pater, ut omnes partes hæreſis illorum, quæ ad tuam notitiam pervenere, diſtinguas, & contra poſitis rationibus, & authoritatibus noſtræ Fidei illas deſtruas.

2. Nuper apud nos juxta Coloniam quidam Hæretici detecti ſunt, quorum quidam cum ſatisfactione ad Eccleſiam rediere. Duo ex eis, ſcilicet qui dicebatur Epiſcopus eorum cum Socio ſuo nobis reſtitere in Conventu Clericorum, & Laicorum, præſente ipſo Domino Archi-Epiſcopo cum magnis viris nobilibus, hæreſim ſuam defendentes ex verbis Chriſti, & Apoſtoli. Sed, cum vidiſſent, ſe non poſſe procedere, petierunt, ut eis ſtatueretur dies, in quo adducerent de ſuis viros Fidei ſuæ peritos, promittentes, ſe velle Eccleſiæ ſociari, ſi Magiſtros ſuos viderent in Reſponſione deficere, alioquin ſe velle potius mori, quam ab hac Sententia deflecti. Quo audito, cum per triduum eſſent admoniti, & reſipiſcere noluiſſent, rapti ſunt a populis, nimio Zelo permotis, nobis tamen invitis, & in ignem poſiti, & cremati, &, quod magis mirabile eſt, ipſi tormentum ignis non ſolum cum patientia, ſed & cum lætitia introiere, & ſuſtinuere. Hic, Sancte Pater, vellem, ſi præſens eſſem, habere Reſponſionem tuam, unde iſtis Diaboli membris tanta fortitudo in ſua Hæreſi, quanta vix etiam invenitur in valde Religioſis in Fide Chriſti.

3. Hæc eſt hæreſis illorum. Dicunt, apud ſe tantum Eccleſiam eſſe, eo quod ipſi ſoli veſtigiis Chriſti inhæreant, & apoſtolicæ vitæ veri ſectatores permaneant, ea, quæ mundi ſunt, non quærentes, non domum, nec agros, nec aliquid peculium poſſidentes: ſicut Chriſtus non poſſedit, nec diſcipulis ſuis poſſidenda conceſſit. Vos autem, dicunt nobis, domum domui, & agrum agro copulatis, &, quæ mundi ſunt hujus, quæritis, ita etiam, ut, qui in vobis perfectiſſimi habentur, ſicut Monachi, vel Regulares Canonici, quamvis hæc non ut propria, ſed poſſident ut communia, poſſident tamen hæc omnia. De ſe dicunt: Nos pauperes Chriſti, inſtabiles, de civitate in civitatem fugientes, ſicut oves in medio luporum, cum Apoſtolis, & Martyribus perſecutionem patimur, cum tamen ſanctam, & arctiſſimam vitam ducamus in jejunio, & abſtinentiis, orationibus, & laboribus die, ac nocte perſiſtentes, & tantum neceſſaria ex eis vitæ quærentes. Nos hoc ſuſtinemus, quia de mundo non ſumus, vos autem mundi amatores cum mundo pacem habetis, quia de mundo eſtis. Pſeudo-Apoſtoli adulterantes verbum Chriſti, quæ ſua ſunt, quæſiere, vos, & patres veſtros exorbitare fecere, nos, & patres noſtri generati Apoſtoli in gratia Chriſti permanſi-

mus, & in finem ſæculi permanebimus. Ad diſtinguendos nos, & vos Chriſtus dixit: *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Fructus noſtri ſunt veſtigia Chriſti. In cibis ſuis vetant omne genus lactis, &, quod inde conficitur, & ex coitu procreatur. Hoc de converſatione ſua nobis opponunt. In Sacramentis ſuis velo ſe tegunt: tamen nobis aperte confeſſi ſunt, quod in menſa ſua quotidie cum manducant, ad formam Chriſti, & Apoſtolorum cibum ſuum, & potum in corpus Chriſti, & ſanguinem per Dominicam orationem conſecrant, ut inde ſe membra, & corpus Chriſti nutriant. Confeſſi ſunt etiam manifeſte, ſe præter aquam, in ignem, & ſpiritum baptizare, baptizatos eſſe, adducentes illud teſtimonium Joannis Baptiſtæ baptizantis in aqua, & dicentis de Chriſto: *Ille vos baptizabit in Spiritu S. & igne.* Et alibi: *Ego baptizo in aqua, major autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis*, quaſi alio baptiſmo præter aquam vos baptizaturus. Et talem baptiſmum per impoſitionem manuum debere fieri conati ſunt oſtendere teſtimonio Lucæ, qui in Actibus Apoſtolorum deſcribens baptiſmum Pauli, quem ab Anania ſuſcepit ad præceptum Chriſti, nullam mentionem fecit de aqua, ſed tantum de manus impoſitione, &, quicquid invenitur, in Actibus Apoſtolorum, & Epiſtolis Pauli de manus impoſitione, ad hunc baptiſmum volunt pertinere. Et quemlibet ſic inter eos baptizatum dicunt Electum, & habere poteſtatem, alios dignos baptizandi, & in menſa ſua corpus Chriſti, & ſanguinem conſecrandi. Prius enim per manus impoſitionem de numero eorum, quos Auditores vocant, recipiunt eum inter Credentes, & ſic licebit eum intereſſe orationibus eorum, usque dum ſat probatum eum faciant electum. De baptiſmo noſtro non curant. Nuptias damnant, ſed cauſam ab eis inveſtigare non potui, vel, quia eam fateri non audebant, vel potius, quia eam ignorabant.

4. Sunt & alii hæretici quidam in terra noſtra, omnino ab iſtis diſcordantes, per quorum mutuam diſcordiam, & contentionem utique nobis ſunt detecti. Iſti negant, in altari fieri corpus Chriſti, eo quod omnes Sacerdotes Eccleſiæ non ſunt conſecrati. Apoſtolica enim dignitas, dicunt, corrupta eſt, implicans ſe negotiis ſæcularibus, & in Cathedra Petri non militans Deo, ſicut Petrus, poteſtate conſecrandi, data Petro, ſe privavit, & quod ipſa non habet, Archi-Epiſcopi, & Epiſcopi, qui in Eccleſia ſæculariter vivunt, ab ea non accipiunt, ut aliquos conſecrare poſſint, advertentes illud de verbis Chriſti: *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi; quæ vobis dicunt, facite*, quaſi iſtis talibus conceſſa ſit poteſtas tantum dicendi, & præcipiendi, & nil amplius. Et ita evacuant Sacerdotium Eccleſiæ, & damnant Sacramenta, præter Baptiſmum ſolum, & hunc in adultis, quos dicunt baptizari per Chriſtum, quicunque ſit miniſter Sacramentorum. De Baptiſmo parvulorum fidem non habent, præter illud de Evangelio: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Omne conjugium vocant fornicationem, præter quod contrahitur inter utrosque virgines, maſculum, & fœminam, adſtruentes hæc de verbis Domini, quibus reſpondit Phariſæis: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, quaſi Deus tales conjungat, tamquam ad ſimilitudinem primorum hominum, & quod eisdem ei opponentibus de libello reſpondit repudii: *Ab initio non ſic, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur*, & illud Apoſtoli: *Honorabile connubium ſit omnibus, & thorus immaculatus.*

5. In Suffragiis Sanctorum non confidunt, jejunia, & cæteras afflictiones peccatorum adſtruunt, juſtis non eſſe neceſſaria, nec etiam peccatoribus; quia *in quacumque die ingemuerit peccator, omnia peccata remittuntur ei*, & cæteras obſervantias Eccleſiæ, quas Chriſtus, & Apoſtoli ab ipſo diſcedentes non condidere, vocant ſuperſtitiones. Purgatorium poſt mortem non concedunt, ſed animas ſtatim, quando egrediuntur, de corpore in æternam requiem, vel pœnam tranſire, propter illa Salomonis: *Lignum in quamcunque partem ceciderit, ſive ad auſtrum, ſive ad aquilonem, ibi manebit.* Et ſic Fidelium orationes, vel oblationes pro defunctis annihilant.

6. Contra hæc tam multiformia mala rogamus, S. P. ut evigilet ſolicitudo veſtra, & contra feras arundinis ſtilum dirigatis, nec nobis reſpondeatis, quod turris illa David, ad quam confugimus, ſat ſit ædificata cum propugnaculis, quod mille Clypei pendent ex illa, omnis armatura fortium, ſed volumus, Pater, ut hæc armatura propter nos ſimpliciores, & tardiores, veſtro Studio in unum collecta, contra hæc tot monſtra ad inveniendum fiat paratior, & in reſiſtendo efficacior. Noveritis etiam, Domine, quod redeuntes ad Eccleſiam nobis dicere, illos habere maximam multitudinem, fere ubique terrarum ſparſam, & eos plures ex noſtris Clericis, & Monachis. Illi vero combuſti dixere nobis in defenſione ſua, hanc hæreſin usque ad hæc tempora occultatam fuiſſe a temporibus Martyrum, & permanſiſſe in Græcia, & quibusdam aliis terris. Et hi ſunt illi Hæretici, qui ſe dicunt Apoſtolos, & ſuum Papam habent. Alii

Papam

Papam noſtrum annihilant, nec tamen alium præter eum habere fatentur. Iſti Apoſtolici Satanæ habent inter ſe fœminas, ut dicunt, continentes, viduas, virgines, uxores ſuas, quasdam inter electas, quasdam inter credentes, quaſi ad formam Apoſtolorum, quibus conceſſa fuit poteſtas circumducendi mulieres. Vale in Domino.

Occurrit etiam mentio hujus Evervini Libro VI. N. 22. & 26. de Miraculis Sancti Bernardi. Sub primo hoc Præpoſito Steinfeldenſem Canoniam in Leges Præmonſtratenſium juraſſe certum eſt. Controvertitur tamen quo anno id fuerit factum? Citatus ſupra Celeberrimus Stigavienſis Abbas id definire non audet. Annales Miræi hanc mutationem contigiſſe aſſerunt anno 1126. Fidem tamen haud meretur hæc aſſertio, nullis firmata tabulis, nec id evincitur ex Reſcripto Honorii II. in quo nulla omnino Legum aut Ordinis Præmonſtratenſis commemoratio, ..ec ex Diplomate Innocentii II. quod in annum 1136. incidit, fatetur enim ipſemet Stigavienſis Antiſtes apertam nullam fieri mentionem Inſtituti Norbertini, ſed tacitam duntaxat. Prævalet tamen tacita huic notitia gemina, Virorum Doctiſſimorum authoritas qui ſatis aperte indicant ad viginti ſaltem annos juxta Canones Auguſtinianos poſt novam ex Springirbacenſi Canonia introductam Coloniam Steinfeldæ perduraſſe Religioſiſſimos Inquilinos. *Petrus Merſſæus Cratepolius* rerum Colonienſium diligens Scriptor, atque in iis probe verſatus de Steinfeldenſium Monialium Amotione in ſuis Annalibus Colonienſibus ſub Sancto Brunone Archi-Epiſc. Col. XXVI. ſequentia habet: *Cum Sanctimoniales* (Steinfeldæ) *laxius vivere cæpiſſent amotis illis, quæ per annos 177. ibi fuerant, Canonici Regulares Sprenckirbacenſes illuc ſunt Tranſlati & Cœnobium Opera cujusdam nobilis in editiori loco conſtructum eſt. Hi per Annos tantum Viginti illic permanſerunt. Cum autem Ordo Divi Norberti, quem Præmonſtratenſem appellant, celebrari cæpiſſet, illuc quoque inductus eſt, & in hodiernum diem usque perdurat.* Quatuor hæc luſtra tribus annis auget noſtri Ordinis haud incelebris Scriptor Nebridius a Mindelheim qui in *Antiquario ſuo Monaſtico* Epiſt. 19. fol. 90. ita teſtatur: *Monaſterium Steinfeldenſe primum per centum ſeptuaginta ſeptem annos alebat Moniales Ordinis S. Benedicti, quibus ob Licentiorem vitam amotis introducti ſunt Canonici Regulares Springerbacenſes, qui poſt quam Viginti tribus annis in habitu ſuo ibidem Deo ſerviiſſent, orto Ordine Præmonſtratenſium, in eum ſe pariter omnes ſalvo loco tranſtulerunt.* Negari minime quidem poteſt *Evervinum* primis mox translationis ſuæ annis multum inclinaſſe ad Divi Norberti Florentiſſimum Ordinem, cum Sanctimoniales a Steinfeldia in *Dunwaldt* tranſtulerit, & *Strahovia* ad Bohemorum Ducis inſtantiam Præmonſtratenſis Inſtituti Surculum implantaverit. Canonicos tamen Auguſtinianos Steinfeldiæ tam mature in Præmonſtratenſes migraſſe ob allegatos Authores veritati minime conſentaneum eſſe exiſtimo. Obiit Vir Magnus, ut eundem jure vocat Abbas Strahovienſis circa annum 1160. Ingens pro Canonicis Auguſtinianis Gloria quod illum S. Ordini ſuo primo Springerbacenſes genuerint, Ingens pro Præmonſtratenſibus decus, quod poſtmodum ſui Inſtituti Sectatorem ad Sanctitatis apicem perduxerint.

STEINHEIMENSE

Jam pridem antiquatum Canonicorum Regularium Diœceſis Auguſtanæ in Ducatu Wirtenbergiæ Monaſterium in Forenſi ditione Heidenheimenſi, & oppido (vel olim Monachis Ciſtercienſibus Cœnobii Königsbrunnenſis ſubdito) Steinheimenſi conſpicuum, etſi de genuina primæ Fundationis ſuæ Hiſtoria haud amplius inquirendum: Quodque Carolus Stengelius Abbas in Mantiſſa ad Commentarium rerum Auguſtanarum cap. 6. fol. 16. cujuscunque demum incerti ſolum Ordinis Cœnobium & antedictæ Abbatiæ Königsbrunnenſi conſociatum ſeu unitum quidem fuiſſe ſcribit; verum Steinheimenſe Monaſterium iſtud antiquitus ad ſolos Canonicos Auguſtinianos adſpectaſſe aperte ſatis liquet ex Documentis Monaſt. Wirtenberg. fol. 641. ubi Fundator Königsbrunnenſis, qui fuit Albertus Romanorum Imperator hujus nominis primus Dux Auſtriæ. &c. &c. inter varias Donationes ſæpe nominatæ Königsbrunnenſi Eccleſiæ a ſe collatas nominatim etiam recenſet *Advocatiam Monaſterii in Steinheim, Ordinis* (ut ipſe ait) *S. Auguſtini Auguſtanæ Diœceſis &c.*

STENDALENSE,

Seu in Stendalia, vulgo *Stendel* veteris Marchiæ Brandenburgicæ oppido ad Vechtam amnem Venerabile Parthenæum de Sacra Congregatione Windeſimenſi vel olim

ante tempora mutatæ Religionis apprime commendatum: de cujus initio nondum inquisivimus, bene tamen de moderno statu illius haud ita pridem Reverendissimus ac Amplissimus D. Josephus de eodem Ordine ac Windesimensi Congregatione Monasterii Hildesiani Præpositus gratiose sequentia ad me rescripsit. *Stendalense hoc Virginum Domicilium primum anno 1688. a Politico Urbis Magistratu licet Acatholico secundum materiales structuras suas fuisse non solum egregie reformatum, sed & omnino novum a Fundamentis excitatum, imo etiam novam Coloniam illi datam e Parthenone Dornstadiensi desumptam. &c.*

STERENBERGENSE

Divæ Virgini Deiparæ dicatum, Congregationis Lateranensis, Monasterium, Diœcesis Olomuciensis in Moravia, ab Olomucio Provinciæ seu Marchionatus hujus Moraviensis Metropoli duobus milliaribus sejunctum, decurrente Sæculo decimo quarto mirificum adeo Fundatorem habuit, Primogenitum nimirum Nobilissimi Herois Stephani de Sterenberg Filium Celsissimum ac Reverendissimum Principem ac Dominum D. Adalbertum dignissimæ memoriæ Archi-Præsulem Magdeburgensem, cujus quidem nomen Albertus Krantzius in sua Metropoli (ubi alias per totum Archi-Antistites istos Parthenopolitanos fuse perstringit) omnino reticuit, contra ac Gabriel Bucelinus part. 1. fol. 40. Hierarchæ istius Adalberti differte meminit, nam & inter Metropolitas Magdeburgenses ille ipse est, a quo Lusatia vel olim tota quanta Magdeburgensi Ecclesiæ subdita Carolo IV. Romanorum Imperatori, & Regi Bohemiæ &c. væniit, quique sub annum Christi 1371. die 4. Martii Religiosos Viros Ascesin Canonico-Augustinianam Professos unde unde tandem accitos numero quatuordecim ad novum Sterenbergense Claustrum istud introduxit, una cum Præposito ipsis in Superiorem seu Rectorem dato; demum & ipse Fundator Adalbertus ante dictus post expletum vitæ curriculum in templo Sterenbergensi sub annum 1380. die 14. Januarii secus aram Principem in Crypta subterranea congruis honoribus repositus; ubi pariter tumulati requiescunt etiam alii de eadem Familia Surculi, qui sunt Stephanus de Sterenberg supradictus cum Conjuge sua Anna, & Petro Germano Fratre Ordinis Minorum S. Francisci Alumno, item etiam Zdenko ejusdem memorati Adalberti Germanus Frater, qui auxit numerum Fratrum, ut sint 24. Canonici, & Anna Conthoralis ipsius, nec non etiam Sorores Agnes & Catharina cum pluribus Agnatis Posteris, de quorum glorioſa stirpe R. P. Guilielmus Gumpenberger Soc. JEsu in suo Atlante Mariano fol. 157. occasione Miraculosæ cujusdam Statuæ Marianæ *Sterenbergica* nuncupatæ & hodiedum ista Viennæ Austriæ in Templo RR. PP. Franciscanorum magnam habet venerationem, speciale quoddam etsi breve solum affert præconium in hæc verba legendum. *Chara debet esse hæc Familia, è qua unus ante quatuor Sæcula Tartarorum immensas copias delevit ad Olomucium, & propria manu Ducem illorum occidit. Ex alia Linea Petrus Melitensis Eques ferociſſimum illum Hussitarum Ducem Ziskam fudit, cumque nemo esset, qui etiam Cælo Duce rabiem Hussiticam multis annis grassantem compesceret, duo tandem Sterenbergij Barones ita eorum reliquias quodam prælio deleverunt, ut ab eo tempore Thaboritarum furor campum, apertumque Martem fugeret. &c.*

Syllabus

Reverendissimorum DD. Præpositorum Regularis Canoniæ Sterenbergensis in Moravia.

I. WENCESLAUS, omnium primus solemniter investitus quarto nonas Maij anno 1372. obiit demum anno non notato.

II. FRIDERICUS in Regimine confirmatus anno 1384. præfuit annis 20.

III. FLORIANUS electus anno 1404.

IV. NICOLAUS Rosenka morte naturali pluribus aggregatus decimo tertio Calendas Novembris anno 1449. 20. Octobr.

V. SIMEON.

VI. JACOBUS fatis extinctus anno 1461.

VII. NICOLAUS Welick Prælaturæ fasces tenuit usque ad annum 1510.

VIII.

VIII. BENEDICTUS undecimo Calendas Septembris anno 1511. electus, demum morte interveniente locum Succeſſori liquit menſe Junio anno 1534.

IX. NICOLAUS Ludwick obiit ſexto Idus Junii anno 1558. Hujus ſub Regimine Urbs Sterenbergica Jure Hæreditario, ſeu (uti refert Martinus Zeillerus in ſuo Itinerario Germaniæ cap. 23. fol. m. 509.) Uxorio nomine ad Carolum Principem Münſterbergenſem devoluta protinus ab eodem novis Lutheranorum dogmatibus (quæ & ipſe Carolus publice profeſſus eſt) conſpurcata fuit, & inquinata, ſat magno etiam Pacis publicæ detrimento inde ſubſecuto; atque hoc calamitoſo tempore usque hodie Duces Münſterbergenſes ficto an violenter aſſerto Advocatiæ titulo neſcio quænam jura in Canoniam iſtam Sterenbergenſem prætendunt.

X. SALOMON gente Italus ſuppellectile ſacra furtive ſubducta fugitivus & infamis Apoſtata factus anno 1565.

XI. FRIDERICUS Borzikowsky, natione Bohemus, de ſacra Familia Fratrum Prædicatorum Alumnus, ab eodem tamen Ordine ſuo (eo quod ſuum Pragenſe Monaſterium, cui cum titulo & officio Prioris præfuit, clandeſtine Hæreticis divendidit) juſtiſſime proſcriptus & excommunicatus, Sterenbergenſi Præpoſituræ pro tempore vacanti violenter intruſus, demum morte prorſus infelici periit die 20. Martii anno 1588.

XII. JOANNES Roſenblut obiit quarto nonas Junii anno 1605.

XIII. MELCHIOR Pyrneſius electus anno 1605. biennio ſolum præſedit fatis abſorptus ſeptimo Calendas Auguſti anno 1607.

XIV. BARTHOLOMÆUS Patronus electus die 29. Auguſti deceſſit anno non notato.

XV. MATHIAS Gaſſinsky natione Polonus, optimus Oeconomus, nomen Confundatoris tota induſtria ſua juſtiſſime promeritus, inde tamen rebus feliciter geſtis, denuo in Patriam reverſus Sterenberga diſceſſit, decimo ſexto Calendas Martii anno 1618.

XVI. MATHIAS Jaretius Rogoysky ſexto Idus Martii anno 1619. ſolemniter inveſtitus, cujus temporibus per univerſam Boëmiam, Moraviam, & Sileſiam facta eſt perſecutio magna in Eccleſia, de qua Hiſtorici paſſim; ac pro tunc prævalente hæreſi RR. DD. Canonici Sterenbergenſes per ſummam contumeliam violenter adacti, triſtes emigrarunt prætacto anno octavo Idus Septembris quaqua tandem emmiſſi, nihil præter Breviarium & Baculum in manibus ſecum deportantes, prout ita ſteterunt ſub Cruce Davidicum illud Pſal. 113. concinnentes. *In exitu Iſraël &c.* de Civitate & Cœnobio ſuo Sterenbergenſi conjunctim exierunt, ad imitationem illorum, qui Actorum cap. 5. verſ. 41. *Ibant gaudentes à conſpectu Concilii quoniam digni habiti ſunt pro nomine JEſu contumeliam pati.*

XVII. VDALRICUS Reſenaur poſt Rebelles Hæreticos à Cæſareanis in acie Pragenſi glorioſe debellatos, ac ſubſecutam proin Monaſterii reſtitutionem electus die 15. Junii anno 1626. ſexennio fere præſedit demum ſopore Lethali ſuffocatus ſexto Idus Aprilis anno 1632.

XVIII. ALEXANDER Ginannus de Piſauro gente Italus electus anno 1632. reſiduos vitæ dies continuavit usque ad eum, quem ſibi fatalem ſenſit, & expertus eſt, annum Chriſti 1658. nono Calendas Julii.

XIX. JOANNES Radonsky electus pridie Idus Novembris anno 1658. decenni Prælatura nondum finaliter expleta exanimis factus decimo quinto Calendas Junii. anno 1667.

XX. JOANNES Kraiſel electus quinto Calendas Julii anno 1667. obiit anno 1672. die 11. Martii.

XXI. JOANNES ADAMUS Jäge[illegible] Reüth electus quinto Calendas Maij anno 1672.

XXII. JOANNES Klezel.

XXIII. AURELIUS Auguſtin electus anno 1758.

STRETTNENSE

Monaſterium Canonicorum Regularium vel olim in Pomerellia (quæ eſt pars Pruſſiæ Germanicæ, amplius deſcripta à Zeillero in Itinerario Germaniæ cap. 24. fol. m. 515.)

515.) conſtitit intra limites Diœceſeos (cujus Epiſcopus in fundo quidem & forenſi territorio Regis Poloniæ conſtanter reſidet, juxta tamen Pomerelliam antedictam ſecundum Jura Eccleſiaſtica ſibi ſubditam habet) Leslavienſi feliciter adſpectandum. Mentionem de Strettnenſi Monaſterio iſto etſi jam pridem à Regionariis Acatholicis penitus abrogato facit etiam itidem Scriptor Heterodoxus Chriſtophorus Hartknock in deſcriptione Pruſſiæ part. 2. cap. 4. fol. 447. ubi is affert fragmentum aliquod Papalis cujusdam Bullæ ab Eugenio IV. de dato Romæ anno Chriſti 1431. Pontificatus ſuæ Sanctitatis primo N. Epiſcopo Wladislavienſi, & N. Præpoſito Monaſterii hujus Strettnenſis in cauſa directæ.

SUBENSE,

Præclariſſimum ætate noſtra Diœceſis Patavienſis in ſecunda Boica ad Oenum fluvium Virorum Monaſterium S. Lamperto Epiſcopo Trajectenſi (cujus dies Natalitius in Faſtis Eccleſiæ Romanæ recolitur decimo quinto Calendas Octobris) & Martyri jam à prima Fundatione ſua dedicatum, quonam determinato anno per Engelberthum Carinthiæ Ducem hujus nominis tertium, de Familia Comitum Ortenbergenſium (quorum Stemma Genealogicum prolixe ſatis deſcriptum exhibet Wolf. Lazius de migrat. gent. lib. 7. fol. 292. & ſeqq.) progenitum, & Tutam conthoralem ipſius è Regio Hungarorum Sanguine deductam, initia ſua ſumpſerit, adhuc dubitationi locus eſt. Adlzreütterus in ſuis Boicæ gentis Annalibus parte 1. lib. 20. num. 23. primam Fundationem incidiſſe ſcribit in annum 1136. quod nempe Tuta Confundatrix antedicta eodem hoc anno (uti liquet ex Epitaphio) diem ſuum obierit Calendis Maij. Altmannus Epiſcopus Tridentinus gente Boius donationes Regularibus Canonicis Subenſibus factas anno 1142. Diplomate ſancivit, eſtque meritus titulum Confundatoris. Vide etiam Hundium in Metropoli tom. 3. fol. 370. & ſeqq. ubi plures appoſitæ recenſentur Bullæ Pontificiæ, & aliorum diverſorum Magnatum donationes jam olim in gratiam hujus Subenſis Eccleſiæ diverſimode factæ in ſcriptis relatæ. Quibus ad finem additur etiam Præpoſitorum Syllabus à tempore primæ Fundationis usque ad annum 1610. deductus, & talis eſt usque ad noſtra tempora

Catalogus

Reverendiſſimorum DD. Præpoſitorum Monaſterii Subenſis.

I. HARTWICUS, primus hujus Cœnobii Præpoſitus obiit 18. Calend. Maij. anno 1127. quot vero rexerit annis, reperiri non potuit.

II. OTTO è vita migravit anno 1143.

III. CHUNO, obiit 5. Idus Aprilis anno 1182.

IV. Wipoto, obiit Calendis Aprilis.

V. PABO, obiit Calendis Februarij anno 1198.

VI. THIEMO, obiit 5. Idus Martij anno 1203.

VII. DIETMARUS, obiit Calendis Junij anno 1221.

VIII. ROMANUS, obiit 19. Calendas Febr. anno 1223.

IX. JOANNES, hujus nominis primus, obiit Idibus Decembris anno 1231.

X. ALBERTUS, obiit Calendis Octobris anno 1235.

XI. GREGORIUS, obiit anno 1249.

XII. HENRICUS, obiit pridie nonas Aprilis anno non notato.

XIII. PABO, hujus & Gurcenſis Eccleſiæ Præpoſitus obiit 3. Idus Octobris anno.

XIV. JOANNES, hujus nominis ſecundus, obiit Non. Junij. anno.

XV. ANDREAS, hujus nominis primus, obiit pridie Calend. Auguſti. anno.

XVI. JOANNES, hujus nominis tertius, cognomine Capellanus obiit 12. Calendas Decembris anno.

XVII. MEINHARDUS, obiit 4. Idus Junij anno 1303. Iſti quinque prænominati Præpoſiti præfuerunt annis 54.

XVIII.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

REVERENDISSI NO ERNESTO THEOPHILO.
CELEBERRIMI UGUSTINI PRÆPOSITO ET.

Joann Franck fecit 1687

REVERENDISSIMO PRÆSULI PRÆNOBILI AC AMPLISSIMO DOMINO DOMINO ERNESTO THEOPHILO
CELEBERRIMI COLLEGII SUBENÆ AD S. LAMPERTUM CANN. REGG. S. AUGUSTINI PRÆPOSITO ET
PRÆLATO &c. D.D.D.

Steven Franck fecit 1807

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XVIII. OTTO, obiit anno 1310.

XIX. ENGELBERTUS, obiit 5. Calend. Auguſti anno 1331.

XX. WALCHUNUS, obiit octavo Idus Julii anno 1345. ſub cujus Regimine Monaſterium iſtud in ſumma inopia & paupertate fuit.

XXI. WILHELMUS, obiit 4. Nonas Septembris anno 1351.

XXII. HENRICUS, hujus nominis ſecundus, obiit 14. Calend. Aug. anno 1353.

XXIII. RUGERUS Neunhofer, obiit 4. Calend. Auguſti anno 1358.

XXIV. ANDREAS de Lampoting Canon. Salisburgenſis præſentatus & confirmatus anno 1358. 6. Calendas Septembris à Godefrido Epiſcopo Patav. Auctor & Inſtitutor Miſſæ die Lunæ haberi ſolitæ pro Prælatis Defunctis obiit 15. Calend. Septembris anno 1380. præfuit annis 21. menſibus 11. diebus 25.

XXV. JOANNES de Liebenberg Canon. Salisburg. obiit 11. Calendas Julij anno 1390.

XXVI. UDALRICUS Saeldt Profeſſus in Reicherſperg & in Hoſpitem Salisburgenſem receptus, obiit 17. Calendas Novemb. anno 1421. præfuit annis 31. menſibus 3. qui inſtituit quotidianam recitationem Pſalmi de Profundis ante Completorium in ambitu.

XXVII. SIGISMUNDUS de Bottendorff Canon. Salisburg. obiit 13. Calendas Martii anno 1422. Is fuit ultimus ex Canonicis Salisburg. Hi fere omnes male præfuerunt. Rexit autem Sigismundus 3. menſibus.

XXVIII. MATHÆUS Mermoſer, Profeſſus in Berchtolsgaden, obiit pridie Idus Maij anno 1456. præfuit annis 34.

XXIX. ERASMUS Werder, Profeſſus in Gars, & Hoſpes Chori Salisburg. obiit 3. Calendas Februarij anno 1471. præfuit annis.

Vacabat Prælatura Triennio, propter ipſius
Prælaturæ actionem Salisburgenſem.

XXX. HIERONYMUS Rotenpeckh, Profeſſus in Rebdorff, & olim in Canonicum Salisburg. receptus, qui tamen nunquam in Poſſeſſionem Præpoſituræ morte præoccupatus pervenit.

XXXI. LEONARDUS Huetter, hujus loci Profeſſus antea Oeconomus, obiit 6. Calendas Julii anno 1493. qui multum laboravit pro Monaſterii libertate, atque primum omnium à ſuis Conventualibus electus fuit, Vir doctus, Religione & devotione inſignis præfuit annis 19.

XXXII. JOANNES Heiweckh, hujus loci Profeſſus, electus fuit 9. Julij anno, quo ſupra, confirmatus primo à Chriſtophoro Epiſcopo Patavienſi, 17. Julij, deinde ab Alexandro 6. Papa 18. Calend. Januarij, eodem anno obiit 5. Idus Novemb. anno 1509. optime quoque præfuit annis.

XXIII. PETRUS Dörffl, hujus loci Profeſſus, electus fuit 10. Novemb. ejusdem anni, confirmatus à Julio ſecundo Papa 14. Calend. Febr. anno 1510. obiit 23. Julij anno 1530. præfuit annis.

XXXIV. LAMBERTUS Pogner, hujus loci Profeſſus, ante Oeconomus, obiit 10. Calend. Julij anno 1542. præfuit annis.

XXXV. LEONARDUS Reütter, hujus loci Profeſſus ac Plebanus in Raäb, electus fuit 14. Julij anno, quo ſupra. Confirmatus à Guolfgango Epiſcopo Patavienſi 4. Septemb. eodem anno, obiit 16. Calendas Januarij anno 1558. præfuit annis.

XXXVI. GEORGIUS Wagner, hujus loci Profeſſus, electus fuit 6. Martij, & confirmatus à Guolfgango Epiſcopo Patav. 6. Aprilis anno 1559. obiit 11. Calendas Septembr. anno 1563. præfuit annis.

XXXVII. JOANNES Molitor, hujus loci Profeſſus, electus fuit 19. Octobr. confirmatus ab Urbano Epiſcopo Patavienſi 5. Novembr. anno 1563. obiit 12. Calendas Febr. anno 1586. præfuit annis.

XXXVIII. PAULUS Fixinger, Profeſſus in Ranshofen, obiit 5. Calend. Julij anno 1586.

XXXIX. JOANNES Ponner, Profeſſus ibidem obiit nonis Auguſti anno 1591.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XL. MICHAEL Hererig, Liberalium Artium Magiſter, Profeſſus in Baumburg, alter quaſi Reſtaurator & Reformator Monaſterii hujus, poſt octo Regiminis ſui annos poſtulatus ad Præpoſituram S. Nicolai extra muros Patav. obiit idem 7. Calend. Decembr. anno 1602.

XLI. VDALRICUS Rack, hujus loci Profeſſus & Decanus, obiit Scherdingæ Cal. Decemb. anno 1601.

XLII. WOLFGANGUS Straſſer, hujus loci Profeſſus, & Vicarius in Raäb, cum tempore Vindemiarum in Auſtria Cœnobii negotiis intentus eſſet, ibidem in Roſaz obiit 5. nonas Octob. anno 1602.

Vacabat hìc Prælatura duobus annis.

XLIII. LEONARDUS Lilius, Profeſſus hujus loci, & Vicarius in Tauffkirchen, Vir alias pius, obiit Scherdingæ 4. Idus Januarij anno 1610.

XLIV. Huic ſucceſſit GREGORIUS Reichenſtorffer, ante Oeconomus & Canonicus hujus loci, unanimiter à Fratribus 22. Martij anno 1610. electus, eoque die confirmatus fuit, obiit anno 1622. præfuit annis 12.

XLV. MARCUS Peckh, hujus loci Profeſſus, electus fuit 10. Maij 1622. obiit anno 1628. ſub cujus Regimine incepit Bellum Suecicum, & Bohemicum, nec non Ruſticorum Rebellio in ſuperiori Auſtria.

XLVI. MATHIAS Froſchamer, hujus Collegii Profeſſus, obiit anno 1640. per duodecim annos laudabiliter regnavit, Eccleſiam multis Paramentis ornavit.

XLVII. GEORGIUS Gugler, hujus loci Profeſſus, electus fuit 28. Januarij anno 1641. obiit anno 1649. præfuit annis 8. ſub cujus Regimine graſſata eſt Peſtis in Bavaria, & etiam in hac Canonia, in qua lue etiam mortuus eſt.

XLVIII. HIERONYMUS Ländl, hujus loci Profeſſus, electus eſt 16. Febr. anno 1650. obiit 9. Aprilis anno 1664. laudabiliter præfuit annis 14. menſe 1. diebus 21. ædificavit Capellam S. Catharinæ adhærentem Portæ Eccleſiæ, in qua etiam ſepultus jacet.

XLIX. LAMBERTUS Wieninger, Raäbenſis Boius, hujus loci Profeſſus, antea Vicarius in Zell & Tauffkirchen, electus fuit 23. Junij anno 1664. obiit 3. Febr. 1672. præfuit laudabiliter annis 7. menſibus 7. diebus 10.

L. AQUILINUS Sadlbogner, hujus loci Profeſſus, & Vicarius in Raäb, electus fuit 3. Aprilis anno 1672. obiit 29. Junij 1678. præfuit annis 6. menſibus 2. diebus 26. ædificavit novam Prælaturam.

LI. WILHELMUS Saxmayr, hujus loci Profeſſus, & Vicarius in Raäb, electus fuit 31. Julij anno 1678. obiit 2. Martij anno 1679. præfuit menſibus 7. diebus 2.

LII. ERNESTUS Theophilus Scharer à Frienſenegg, Nobilis Auſtriacus Cremſenſis, hujus loci Profeſſus, electus fuit 24. Aprilis anno 1679. procuravit per Bullam Pontificiam ab Innocentio XI. de Dato 7. Decemb. anno 1684. Infulam, & fuit primus Infulatus Præpoſitus, erexit etiam Confraternitatem B. Virginis Mariæ ſub titulo Auxiliatricis in ejusdem B. V. Capella, obiit 25. Aug. anno 1696. præfuit annis 17. menſibus 4. diebus 2. ætatis ſuæ 64. ſepultus jacet in Capella B. V. Mariæ.

LIII. GREGORIUS Raiffauer, Brunovienſis Boius, hujus loci Profeſſus, & antea 15. annis Decanus, electus fuit 30. Sept. 1696. ædificavit ex Fundamento totum Conventum, & Sacriſtiam, ornavit Eccleſiam multis & pretioſis Paramentis.

LIV. PATRITIUS Eggerbacher Roſenhemij, Nobili Bavariæ oppido, honeſtiſſimis Parentibus natus à pueritia tam in Studiis, quam Muſica, præſertim in pietate greſſus fecit giganteos. Abſolutis Monachii & Oeniponti maxima cum laude Studiis, ſpretoque haud ignobili Capellæ Magiſtri officio, mundo valedixit, & in Canonia Subenſi ſub Legis Magni Auguſtini Legislatoris juravit anno 1708. altero mox anno ad Regale Sacerdotium promutus tanti nominis ac muneris menſuram egregiis virtutibus implevit. Nunc Culinæ nunc Cellæ, nunc Oeconomiæ Præfectus adeo nihil à Regulari Diſciplina remiſit, ut dirigendis Novitiis & Choro, quem multis Muſicalibus auxit, poſt ſexennium admotus ſua in omnibus rebus gerendis dexteritate & Comitate omnium animos ſibi devinxerit; poſt obitum enim Reverendiſſimi Anteceſſoris ſui 1720. undecimo Auguſti unanimi calculo in Præpoſitum fuit electus. In hac dignitate conſtitutus cultum Divinum præcipue adamavit. In Choro fuit aſſiduus, & vix non ſemper primus, nec alicui ſine gravi cauſa abeſſe licuit. Eccleſiam multis pretioſis & ſericis Paramentis, ſtatuis argenteis, cadureo ex auro contexto, candelabris

&

& aliis pretioſi Metalli vaſis locupletavit. Erga pauperes fuit pie liberalis, erga animas purgantes adeo devotus, ut vix ullam legerit miſſam, quam pro iis non applicarit, præſertim in perſolvendis Suffragiis pro Conſœderatis erat accuratiſſimus parem Charitatem ab aliis exſpectans. Tres Domos Parochiales Tauffkirchenſem, Rääbenſem & Zeleenſem è Fundamentis non ſine magnis ſumptibus ædificavit. Oneri Prælaturæ poſt annos 28. humeros ſubduxit reclamantibus omnibus ſoli Deo & ſibi vacaturus. Quod & præſtitit, nam ab eo tempore ita ſolitarie vixit, ut vix poſt prandium unum aut alterum Religioſum ad horulam ſe inviſentem admiſerit, reliquum tempus volvendis ac revolvendis Roſariis, curſui Mariano, Viſitationi Via S. Crucis, cæterisque devotionibus impendens, donec tandem viribus ſenſim deficientibus acceſſerit gangræna ſubito, ſed non improviſo (utpote, qui jam anno 1735. ſarcophagum, ut mortem ſemper ante oculos haberet, fieri curavit) generali abſolutione obtenta placidiſſime exſpiravit anno 1756. 2. Auguſti.

LV. FIRMINUS ſucceſſit Laudatiſſimo Anteceſſori ſuo anno 1756. Virtutumque ejusdem Hæres etiamnum Canoniæ Subenſi cum omnium bonorum gratulatione feliciſſime præeſt, cui annos Jubilæos ex animo imprecamur.

SUERINENSIS.

Suerinenſis (quæ eſt Suffraganeatus Metropolitanæ Sedis Bremenſis) Eccleſia primum Magnopoli ſeu in Meckelburgo ſub annum 1062. inchoata, paulo tamen poſt videlicet anno Gratiæ 1066. à Neophytis Chriſtianis in priſtinam Gentilis Idololatriæ labem perfide relapſis, ac primo illorum Epiſcopo S. Joanne Meckelburgenſium Apoſtolo in odium Chriſtianæ Religionis immaniſſime trucidato, rurſum diſſipata fuit, & penitus extincta; quam tamen ſubinde Potentiſſimus Princeps Terræ Henricus LEO cognominatus, idem Urbi & Orbi notiſſimus denuo reſuſcitavit, & Epiſcopali Sede Suerinum translata omnino novum iſthic condidit Epiſcopatum, ex tunc *Suerinenſem* ſuo nomine dicendum, ſed & novam itidem Cathedralem Eccleſiam iſthic inſtauravit, Canonicis Regularibus ad inſtar aliorum hinc inde in Comprovincialibus Saxoniæ Collegiis degentium eo immiſſis; verum labentibus annis in eodem hoc Suerinenſi Cathedrali Collegio ſicuti per reliquas Superioris Germaniæ noſtræ Collegiatas Eccleſias ſecundum Regularem ſtatum ſuum omnino defecit, ac denique ſub annum 1648. cogente Pace Weſtphalica non ſolum Status Clericalis, ſed & omnis avita Religio Orthodoxa in Suerinenſi Eccleſia miſerrime fuit debellata, ſucciſa, & penitus extincta Lutheraniſmo viciſſim iſthic introducto.

SULLENBERGENSE

Suo nomine dictum, apud populos Aquilonares Venerabile quoddam Canonicorum Collegium, in Archi-Diœceſi Bremenſi currente Sæculo undecimo fundatum, cujus tamen nuda ſolum ſupereſt memoria, atque hæc unice ab Alberto Kranz. Metropoli Saxoniæ lib. 5. cap. 5. taliter inſerta: *Solus in ea Regione Mons prominet juxta Albim fluvium, longo in occaſum dorſo protenſus, (quem Incolæ Sullenberg vocant) juxta villas Nigenſtede, & Blankeneſo, quem Pontifex* (Albertus Archi-Epiſcopus Bremenſis circa annum 1067. in Paſtorali munere præclarus) *oportunum arbitratus, ut in eo firmaretur Caſtellum, quod genti foret præſidio, ſtatim Sylvam, quæ Montis verticem obtigit, excidi, mundarique locum præcipit: Ita quod multis impenſis, multoque hominum ſudore voti compos effectus, montem aſperum fecit habitabilem. Ubi Præpoſituram conſtituens, Congregationem decrevit facere Deo ſervientium: Ibique locavit caput S. Secundi Thebæorum Ducis, cujus Patrocinia Metropolitanus in Italia largiente quondam Taurinenſi Epiſcopo, ſuſcepit. Sed hæc inſtitutio fruſtrata eſt: Quia converſus eſt locus in Speluncam Latronum. Ex illo enim quaſi præſidio quidam ex noſtris, populares, quibus tuendis fuerunt collocati, deprædari ac perſequi cæperunt. Ideoque poſtea locus ille concurſu & tumultu Comprovincialium eſt deſtructus, populus vero Nordalbinganorum exinde per Archi-Epiſcopum excommunicatus. Compertum eſt in gratiam Ducis* (Cuidonis Ducis Wandalorum) *eſſe factam demolitionem, qui de ſuo more felicibus Eccleſiæ actis invidebat. &c.*

SUNDIS,

Seu Patrio ſuo nomine communiter *Stralſund* appellata, Potiſſima Ducatus Pomeraniæ interioris Civitas, ſub limite Diœceſis Suerinenſis, in ora Maris Baltici usque modo famoſo illi fœderi Hanſeatico juncta, Superiori ætate quidem ſui juris ac libera,

Pace tamen Weſtphalica anno 1648. Coronæ Suecicæ ſubdita, atque iſte inter ſuas, quibus olim inclaruit, Venerabiles Dei Eccleſias unam etiam Collegiatam habuit, & quidem totius Civitatis primariam ſimul ac Parochialem, mox in prima Conſecratione ſua Almæ Virgini Deiparæ dicatam, quam tamen cum toto, quo inſtructa fuit Nobiliſſimo Canonicorum Collegio miſerrime deperivit, & ſimul ſub annum Chriſti 1522. ſubitaneo furore partim in exilium ejecit, partim etiam immaniſſime trucidavit omnes & ſingulas Perſonas Eccleſiaſticas intra mœnia ſua conſiſtentes Senatus Populusque Sundenſis, execrandis novi dogmatis Lutherani blanditiis ineſcatus. Primarius autem Sundenſis Collegiatæ hujus Eccleſiæ Fundator eximius, idem & cultui Mariano deditiſſimus fuit anno 1261. Baronimus Pomeraniæ Dux hujus nominis primus etiam ab Antonico Albicio in Stemmat. Chriſtian. Principum amplius laudatus fol. 34.

Littera T.

THABORITANUM,

Seu *Monaſterium S. Salvatoris in Thabor* intitulatum Congregationis Windeſimenſis commembrum prope Snecam in Friſia vel olim ante tempora devaſtationis Hæreticæ Zelo & Religioſo fervore ſuo ſumme venerandum, ſecundum Primogeniam Fundationem ſeu Inſtitutionem ſuam deſcriptum habetur à Joanne Buſchio in Chron. Windeſ. lib. 1. fol. 170. prout ſequitur: *Per idem tempus* (circa annum Domini 1406.) *Miles quidam Hieroſolymitanus in Friſia oriundus Dominus Revenicus propria in Perſona Capitulum adiens Generale in Windeſem dona plurima & certa prædia eidem obtulit pro novo Monaſterio Ordinis noſtri in bonis ſuis Hæreditariis debite conſtituendo. Decretum ergo fuit per Capitulum, ut antequam Patres illuc mitterentur, de loci congruentia, ubi Monaſterium aptius conſtrueretur, providendum. Cumque bujusmodi Commiſſarii anno ſequenti Capitulo relationem feciſſent de bona loci congruentia ſecundo Capituli Viſitatores illuc deſtinavit, qui locum illum Thabor nominatum non acceptarent, niſi prius præhabita cautione de centum antiquis Scudatis Franciæ pro perpetuis Monaſterii illius annuisque reditibus, & quinquaginta Scudatis pro ædificiis conſtruendis. Dicti ergo Viſitatores cum cuncta hæc præmiſſa cernerent ſic peracta, locum Præfatum S. Salvatoris in Thabor nuncupatum cum omnibus ſuis redditibus, agris & proventibus pro novo Monaſterio ædificando Auctoritate Capituli Generalis tunc aſſumpſerunt, & Capitulo incorporaverunt. Cujus Gratia Præfatus Dominus Revenicus Miles pie permotus & vehementer accenſus, Ordinem noſtrum intrare & habitum aſſumere deliberavit. Et quia Amici & Cognati ejus Friſones in partibus ſuis id fieri nullatenus conſenſiſſent, ad multam ejus inſtantiam tandem per Priorem de Windeſem Joannem Huesden in Windeſem fuit inveſtitus, & ita in Religione noſtra redditus ad proprium Monaſterium remiſſus. In hoc Monaſterio plures de Windeſem Fratres diverſis temporibus fuere Rectores & Priores. Frater Wernherus Keynkamp ſeptem annis, Frater Jacobus Oem octo annis, Frater Henricus Herdewick duobus annis, id eſt decem & ſeptem annis ſimul computatis, qui dictum Monaſterium in Thabor prope Snecis in bona Regulari Diſciplina inſtituerunt, & conſervaverunt, ut hodie datur cernere. Unde poſtmodum plura antiqua Ordinis noſtri Monaſteria in Friſia vidimus reformata ad decus totius Patriæ. &c.*

THENENSE,

Seu Religioſum Canoniſſarum Auguſtinianarum contubernium in oppido Thenenſi ſuperiori ætate conſtitit omnino florentiſſimum, ſub titulo Vallis S. Barbaræ cognominari ſolitum. Recenſet hoc Myræus de Collegiis Regularibus cap. 55. fol. 143. inter Monaſteria, quæ ſacri Ordinis noſtri, ſexus tamen Fœminini, in Brabantia ſunt, & expreſſam quoque de eodem mentionem facit Buſchius in Chron. Wind. lib. 1. cap. 43. ſub his verbis: *Monaſterium Sanctimonialium in Thenos monte Diœceſis Leodienſis* (nunc Mechlinenſis) *à Patribus de Brabantia Generali Capitulo fuit unitum, & per ipſos Patres in bona Regulari obſervantia usque in præſens conſervatum.* Et ſic ille. Verum plura de pientiſſimo quondam Phrontiſterio hoc & fatali illius interitu fideliter aſſerentem, ſeu referentem juvat hic audire Joannem Hogbergium in ſuis notationibus ad Hiſtoriam Corſendoncanam Joannis Latomi fol. 140. ubi ſic habet: Hujus (Thenenſis) Collegii initio occaſionem dediſſe legitur quidam Henricus de Horn Prior Canoniſſarum Regularium in Lens S. Remigii juxta Hagum, qui una cum Suppriorissa & Conventu ſuo ſub annum 1388. Thenas ſe tranſtulerunt, ibique Monaſterium ſub titulo

titulo Vallis S. Barbaræ erexerunt. Postea vero Henrico præscripto ab Officio Prioratus Authoritate Episcopali absoluto, Supprioriſſa fit Prioriſſa, & Prælata Monasterii. Cum autem hæc eadem Prioriſſa Teutonicum Idioma, ut ajebat, perdiscere non posset, anno 1403. Officio sese abdicat, locum de Licentia Episcopi deserit, atque cum sex aliis ad antiquum Monasterium in Lens redivit. Rebus sic incultis ait Impens lib. 2. art. 8. & 308. vix speciem Religionis habentibus, Venerabilis & devotus Pater Walterus à Gerlis Prior in Corsendoncq supermanentibus Virginibus compatiens Zelo Charitatis & Religionis provehendæ accensus, Prioriſſam canonice electam ipsi præfecit, Statuta præscripsit, Monasticam Disciplinam edocuit, & Rectorem Godefridum de Trajecto Corsendonæ Professum, qui in Lectura, cantu, aliisque Religionis cæremoniis eas instrueret, dedit. Anno 1404. eodem Waltero instigante solemni voto expresse Professionis perpetuam Clausuram promiserunt. Hæc hactenus inauditæ (exclamat Impens supra) nulla Monasteria Monialium cujuscunque Ordinis sunt, quæ etsi ad Statuta suæ Religionis per Professionem se obligabant, inclusionem tamen isto modo non vovebant, contentæ enim erant singulæ Congregationes Conventuales Monialium diversorum Ordinum suis Institutis, quibus tantum prohibebantur, ne Monasteriis excederent. Major autem pars earum neque plane neque bene hoc observabat, non obstante, quod etiam generaliter per Sedem Apostolicam in Sexto Decretalium (est ea Constitutio Bonifacii VIII. de qua Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. 5. de Regularibus) Monialibus interdictum sit, ne unquam extra Monasterium vagentur. Sed Venerabilis P. Walterus Prior in Corsendonc hujus Sanctiſſimæ Institutionis & voti caput, & excogitator inæstimabilem Dei honorem & animarum salutem exinde produxit. Ita fere ad verbum Petrus Impens. Anno demum 1410. idem Walterus hoc Collegium Capitulo Generali Viridis Vallis incorporari curavit, cum quo & anno 1412. Capitulo Windesimensi fuit unitum, & sicut idem se olim per litteras suas patentes communi Conventuali Sigillo munitas de Dato 20. Febr. anno 1404. (quæ modo adhuc supersunt in Archivis nostris) cum Consensu Ordinarii sui Antistitis Leodiensis omnino subjecerat Priori & Conventui de Corsendoncq paratum se exhibere ab illis & nullis aliis perpetuo visitari, regi, instrui, Confessores sive Rectores excipere &c. ita & diu postea sub cura & directione illorum mansit. Sed ab anno 1557. sub commissione Rubeæ Vallis (ex qua occasione ignoro) Moniales vixerunt, hodieque vivunt. Refert autem Petrus Impens lib. 6. art. 12. §. 11. isthic inter cæteras floruisse duas Virgines Sanctitatis opinione illustres; quarum altera cum de nocte post matutinas publicas preces suis solitis meditationibus piis inhæreret, & ranarum in vicinis fossis & paludibus delitescentium clamoribus plurimum impetiretur, Dominum rogavit coaxantes Bestiolas illas compesceret, ne suis & Sororum devotis meditationum exercitiis amplius impedimento forent. Preces puritatis Virgineæ exaudivit Dominus adeo, ut in hodiernum diem (inquit Impens) hoc miraculo perfruantur Sorores, & ne quidem in fossatis retro Dormitorium & Infirmarium, ut fertur, hujusmodi tumultus audiatur ranarum. Altera tempore Bellorum Leodiensium supra modum verita, ne ab hostibus oppidum & Claustrum invadentibus, rerum, corporum aut pudicitiæ jacturam pateretur, rogavit super hoc attentius Dominum, qui ejus preces exaudiens, sua illam revelatione præmonuit, neque hostem Civitatem intraturum, neque Cives aut Monasterium alicujus rei jacturam & exterminium passuros. O si nupero Bello anno 1635. vel similis fuisset, quæ Fœdum istud tam ipsius oppidi, quam hujus Monasterii totale incendium à Francis & Batavis illatum suis precibus avertisset!

THIELA,

Sive *Tiela* munitissimum Geldriæ oppidum, Hanseatici Fœderis in finibus Batavorum ad Vahalim Fluvium à Noviomago Provinciæ Metropoli quatuor leucis in occasum Vorcum versus totidem sejunctum, Bomelæ Civitati Comprovinciali proximum, idque jam pridem à Confœderatis Belgii partibus violenter expugnatum, superiori ætate Monasterium aliquod forte præ pluribus unum habuit, quod à Gab. Bucelino part. 2. fol. 292. vel paucissimis taliter habetur annotatum: *Thielense illustre olim Virginum inferioris Germaniæ Cœnobium fundatum ab Hugone Comite Holandiæ, quod postea Virginibus translatis sive extinctis occuparunt Canonici Regulares Ordinis S. Augustini de Congregatione Windesimensi.*

THIERENSTEINENSE,

Seu *Thürnsteinense* suo nomine dictum, Ampliſſimæ Diœcesis Patavienſis præclariſſimum, hodie in partibus inferioris Austriæ Canonicorum Augustinianorum Cœnobium;

bium: Cujus ſitus apparet ſane per omnia gratiſſimus, & quidem in noto paris nominis oppido *Thierenſtein*, eoque perexigua ſolum leuca à binis dictæ Provinciæ Auſtriacæ Civitatibus *Krembs* & *Stein* ſejuncto. Prima vero ac Potiſſima Thierenſteinenſis Fundationis hujus Authrix ſub annum gratiæ 1378. fuiſſe perhibetur Perilluſtris Domina Eliſabetha de Kunring, cujus Nobiliſſimum Stemma Genealogicum vel breviter deſcriptum exhibet Wolf Lazius de migrat. gent. lib. 8. fol. 492. tum etiam Gabriel Bucelinus in Genealogica Germaniæ notitia tom. 1. part. 2. Secundi Fundatores ſeu primæ Fundationis tum temporis nondum finaliter adimpletæ ſeu plenariæ conſummatæ liberales admodum & executores ſpontanei nominantur Nobiles & Ingenui Heroës de Maſſau, quorum nuda ſolum hæc ſuperſunt nomina. Heidenreich, Otto, Lutoldus, Joannes, Georgius, Lutoldus Vlricus &c. &c. qui omnes in ſacrum cultus Divini Miniſterium & ad ſubditorum ſalutem animarum ſecurius fovendam, pro duodecim Religioſis Canonicis, atque uno eorum Præpoſito congrue ſuſtentandis, novas in ſimul addiderunt donationes largiſſimas, atque has inter etiam Parochiam in Grafenwerth, cum Colonis ſeu ſubditis illius de hinc ſoli & uni novæ Canoniæ Thierenſteinenſi Tributariis, item omnibus decimis tam de vino, quam frumento juxta morem & conſuetudinem patriæ ſolvendis, nec non aliis in ſuper juribus ac pertinentiis, quorum ſpecialis. Habetur mentio in authenticis ejusdem novæ Thierenſteinenſis fundationis litteris de dato fer. 2. poſt Dominicam *Reminiſcere* conſcriptis. Tertius denique, quamvis (uti videtur) tempore prior & hinc potius fundator ſecundus præ cæteris appellandus, Benefactor adeo munificus aſſeritur ac fuiſſe laudatur Sereniſſimus Princeps Albertus IV. hujus nominis Archidux Auſtriæ cognomento *Patiens*, item ab Hiſtoriographis communiter *Mirabilia Mundi* nuncupari ſolitus; idem anno 1404. die 25. Auguſti poſt expleta fata ſua Viennæ Auſtriæ apud S. Stephanum in templo Cathedrali tumulatus: qui non ſolùm priores fundationes authenticè confirmavit, ſed in easdem illuſtriores reddidit, amplius ſuperaddendo ligna in uſum foci Thierenſteinenſis per annum neceſſaria, atque iſta perpetuis futuris temporibus a Principe Terræ ſine quavis contradictione præbenda. Præterea idem Archidux Albertus certam inſuper ſalis quantitatem de poſthac in ſingulos annos clementiſſime dandam curavit cum privilegiis Exemptionis a quavis ſolutione acciſiarum, ut vocant, alias incolis terræ, ſeu ſtatibus Regionis de more ſolvendarum, & ſic quidem propriis litteris in perpetuam rei confirmationem datis feria 6. ante Dominicam *Cantate* anno 1403.

Fridericus IV. Auguſtiſſimus Romanorum Imperator Archidux Auſtriæ &c. fundationes, dotationes, & immunitates ante recenſitas omnes & ſingulas ad exemplum Prædeceſſorum ſuorum motu proprio ſtabilivit, ſeu confirmavit, tum quævis alia jura ac privilegia cunctis reliquis Auſtriacæ terræ Collegiis ſacris communia & uſitata, Thierenſteinenſem quoque Canonia iſtam deinceps habere, ac in perpetuum illis ſecure perfrui poſſe ac debere, Cæſarea Authoritate ſtatuit, ſpeciali quodam diplomate in id expedito, ac clementiſſime dato *Viennæ Auſtriæ* Sabbato poſt feſtum S. Crucis 1493. quo continentur etiam Exemptiones a quavis Mauta ſeu telonio ratione vini, frumenti &c. &c. alias ad commune Ærarium Principis terræ de more ſolvendo.

THRONUS

Beatæ *Mariæ* (Monaſterium Virorum de Congregatione Windeſimenſi) *prope Herrentalium oppidum & Grabbendonck Brabantiæ pagum Diœceſis olim Cameracenſis, nunc Antuerpienſis*, Miræus de regularibus cap. 13. fol. 62. nec plura.

THURENSE

Taliter indigitatum venerabile quondam apud Belgas Canonici Ordinis Parthenæum: iſtud tamen jam pridem iniquitate temporum ac ferocitate bellorum penitus antiquatum: ſecundum primogenias origines ſuas uſque hactenus nondum nobis conſtitit; bene tamen conſtat Ioannem Schottum (qui in diebus ſuis Auguſtiſſimo ac potentiſſimo Carolo V. Romanorum Imperatori aliquando apud Belgas commoranti in paucis Chariſſimus ob præclariſſimam & quaſi innatam rerum peritiam ab eadem Cæſarea Majeſtate ſua Equeſtris Ordinis Aurei Velleris Secretarius clementiſſime conſtitutus nunquam non celebris admodum inclaruit, ac demum anno 1531 ætatis 65 terreſtrem mortalitatem exutus diem ſuum obiit) Canonicorum Regularium ac Monaſterii Buſco-Iſaacani in Ducatu Brabantiæ Priorem numero decimum quartum ſimul ac ſtrenuum Reformatorem egiſſe. Cætera nec quicquam de eodem hoc Thurenſi

REVERENDISS[IMO] DOMINO DOMINO ADAMO
CANONICORU[M] PRÆLATO &c. D.D.D.

J. Franck fe.



REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AMPLISSIMO PRÆSULI AC DOMINO DOMINO ADAMO CANONICORUM REGULARIUM IN TRIEFFENSTEIN PRÆPOSITO ET PRÆLATO &c. DDD.

I Frank fc.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

renſi Parthenone novimus ex Bibliotheca Valerii Andreæ Deſſelii jam ſepius allegata ſupra.

TIGURINUM

Seu etiam *Turicenſe* dictum S. Martino Turonenſi Epiſcopo & Confeſſori dicatum antiquiſſimum virorum Monaſterium Tiguri potiſſima totius Helvetiæ civitate intra limites ampliſſimæ Diœceſis Conſtantienſis locata jucundiſſime contuendum, ſed & idem ante tempora pullulantis hæreſis Calvino-Zwinglianæ florentiſſimum, de quo hodiedum ſuperant in Imperiali Collegio Creuzlingano integerrime ſervatæ genuinæ fundationis litteræ in hæc verba legendæ: *Notum ſit omnibus tam præſentibus quam futuris, qualiter ego Rudolphus cum conjuge mea Liba & filia mea Berchta filiisque ejus Rudolpho & Ruedeceno legitime donavi S. S. Martyribus Felici & Regulæ terram nemoroſam, quæ ſita eſt in monte Turegico cum omnibus appendiciis ſuis, agris, paſcuis, aquis, aquarum decurſibus propter ſalutem animarum noſtrarum ea videlicet ratione, eoque pacto, ut fratres inibi Deo ſervientes, & in ſancta converſatione vivere volentes, Magiſtrum, quem velint, per Electionem conſtituant & ſi turba fratrum in tantum creverit, quod Priorem vel Decanum vel majorem poteſtatem ſuſcipere poſſit, illa poteſtas neque ab aliqua Perſona Spirituali vel Laicali inveſtiatur, ſed per Domini miſericordiam electionem puram & incorruptam aſſequatur Præpoſitus Turegenſis neque confratres ejus exerceant ibi dominationem, nec habeant facultatem in conſtitutione fratrum vel rerum ad eundem locum pertinentium, ſed illic Deo deſervientes, cuncta, quæ eis data ſunt, & adhuc dabuntur, libere poſſideant, niſi quod in feſto SS. MM. ſelicis & Regulæ candelam, ponderantem Turecenſem libram, in omni anno de eodem, cui traditur, Eccleſiæ loco perſolvant. Teſtes hujus rei ſunt Fratres de clauſtro Trutmanus Præpoſitus, Ruodolfus, Ludovicus, Fridericus Preſbyteri: Adalbero, Trutmannus, Hugo, Ruodolfus, Ioannes Diaconi: Vdalrich, Walthere, Werenhere, Ruodolf Subdiaconi: Laici de loco: Ruodolf, Berle, Waltbere, Luifold, Werenhere, Otto, Rudolf, Hugo, præcipue autem ſtabilitur, ne quis Comes alium advocatum ſe eidem loco irrogare præſumat, ſed ipſe cum omni diligentia locum illum in pace cuſtodiat actum Turegi anno MCXXVII. ab Incarnatione Domini XII. Calendas Martii Indict. V. regnante Lothario Vdalrico Venerabili Conſt. Epiſcopo Arnolfo Comite & advocato. ad hujus autem rei confirmationem ego Wernherus Comes de Baden ſubſcripſi, & annulo meo ſigillavi.*

Poſteriori ætate Tigurinum hoc S. Martini Monaſterium recepit arctiorem ſui ordinis diſciplinam & ſtatuta Venerabili Congregationi Windeſimenſi uſitata, cui etiam cum conſuetis Cæremoniis & ſanctionibus fuit unitum, & incorporatum, unde & de talibus aliquando fuiſſe refertur tum apud Miræum de Cann. Regularibus cap. 13. fol. 67. tum apud Gabrielem Pennottum in hiſtoria Tripartita lib. 2. cap. 64. Verum tota Civitate Tigurina (uti jam ſupra memoravimus) ſub annum Chriſti 1525. novum dogma Calvinianum profeſſa etiam Windeſimenſes aſceteæ iſti cum reliquis Clericis ac Religioſis ad unum omnibus iniqua vi Magiſtratus ſæcularis emigrare coactis, pariter triſti exilio fuerunt damnati.

TOLIENSIS

Canonia ſeu (ut Lotharingi noſtri quorum Congregationi eſt incorporata vacant) Miſſio in Toly fundata eſt anno 1663 in mediis Vogeſi montibus, & nunc adjuncta manet illi paræcia, ubi ſemper degunt Regulares noſtri Canonici Miſſionibus deputati, & quidem ad erudiendum populum in dictis montibus commorantem, ad ſacramenta illi convenienter adminiſtranda, uſque ad aliquot milliaria in circuitu, ratione cujus diſtantiæ a cæteris Paræciis, difficilisque per montium aſperitates acceſſus præſertim hyemali tempore populi his in locis degentes magna Sacramentorum penuria laborabant, in cuius defectus ſublevamen Eccleſia ibidem in honorem S. Ioſephi Patriarchæ Virginei Sponſi Deiparæ, hortante loci Ordinario, collætantibus populis, fuit ædificata, cui poſtmodum etiam aliqui boni reditus acceſſere.

TORNACENSE

S. Martini cujus primam fundationem & progreſſum Franciſcus de la Barr apud Continuationes Bollandi tom. 3. Junii fol. 913. in hæc verba recenſet. Jactis fundamentis & prima inſtitutione Monaſterii S. Martini Tornacenſis per B. Eligium Tornacenſem & Noviomenſem Epiſcopum, anno videlicet Domini ſexcenteſimo quin-

quageſimo, poſtquam perſtitiſſet, & celebre habitum fuiſſet annis ducentis triginta duobus, juſto Dei judicio everſum fuit, & Monachi hinc inde diſperſi in perſecutione Normannorum, quæ ſæviſſima fuit: ſi quidem non ſolum Monaſterium everſum. Sed & ipſa Civitas Tornacenſis prorſus diruta, & ſolo æquata fuit; illa deſerta, egerint Monachi ſpatio triginta duorum annorum Noviomi apud ſuum Epiſcopum. Tandem Deo miſerante, qui non continet in ira miſerationes ſuas; anno milleſimo nonageſimo ſecundo, Apoſtolicæ ſedi præſidente Urbano, Tornacenſium & Noviomenſium Epiſcopo Radbodo, Francorum ſceptra tenente Philippo, Romanorum Imperatore Henrico, denuo reſtaurari cæptum eſt hoc Monaſterium; occaſione Odonis, qui quondam fuerat Clericus Aurelianenſis civitatis, Patre Gerardo, Matre Cæcilia oriundus, & propter ſuam inſignem eruditionem evocatus a Dominis Canonicis Tornacenſibus ad moderandam ſcholam Eccleſiæ ſuæ; qui adeo præclare functus illo eſt munere, ut in tota Provincia illi non eſſet ſecundus, cum vero tam laudabili exercitio vacaſſet annis quinque, occaſione tertii libri Auguſtini de libero arbitrio, Deo id operante, ſerio cogitare cæpit de alio vitæ inſtituto, ac de mundo relinquendo, ac ei valedicendo: cujus propoſiti quinque habuit ex diſcipulis ſuis æmulos, qui parati fuerant eum, quocunque vellet, ſequi, cum vero in dies magis ac magis exardeſcerent, ut ad optatum finem propoſitum ſuum perducerent, ſolum de loco eligendo reſtabat deliberatio. Interim non potuit cives Tornacenſes Odonis latere propoſitum, adeo, ut omnibus conſtaret, eum relicta ſchola, arctioris vitæ velle ſequi diſciplinam. Hi adeunt Epiſcopum Radbodum, apud quem ſerio agunt, ut perſuadere vellet Domino Odoni ejusque ſociis, quatenus in propoſito firmiter velint perſeverare & ſedem capere in Monticulo, extra urbis portam meridiem verſus, ubi erat prima Eccleſiola conſtructa in honorem Divi Martini Confeſſoris, in quo loco ſepulturæ tradebantur corpora civium, maxime eorum, qui peſte tacti moriebantur: Radbodus autem inſtituerat ſupplicationes, in feſto S. Crucis annuatim celebrandas, ad ſacellum S. Martini. Hic ergo votis ſanctiſſimis Civium pia ratione ſatisfacere cupiens, multis rationibus apud Dominos de capitulo egit, quatenus tam pio operi etiam conſentire vellent: quod ægre tandem & difficulter impetrare potuit, illis reclamantibus & ſua jura opponentibus. Verum Epiſcopus acrius cum illis agere cæpit, ut eorum conſenſum impetrare poſſet: præſertim cum locus ille ad jurisdictionem Epiſcopalem ſpectaret, & nullum jus in illo Canonici haberent. Tandem annuerunt certis conditionibus, ut decimas & oblationes retinerent, atque ita factum eſt, ut locus ſupra dictus Domino Odoni cum quinque ſociis datus ſit inhabitandus, in Dominica Maij, in craſtino Apoſtolorum Philippi & Jacobi, cum maxima igitur Cleri & omnium exultatione in proceſſione ſolenni deducti ſunt ad Eccleſiam in honorem S. Martini dedicatam: eamque illis liberam & Epiſcopali privilegio confirmatam Epiſcopus Radbodus coram omnibus tradidit: eosque ibidem ſub Regula S. Auguſtini Canonica in habitu Clericali Deo ſervituros dimiſit. Odo igitur, Reverendus Abbas, S. Martini Cænobium cum omni tranquillitate gubernabat, fratresque ſuos ſingulari amicitia regularique obſervantia regebat. Attamen in principio non exiguam patiebantur inopiam: quam ut ſublevarent non nulli homines pii Laici, totam urbem oberrabant, nomine Clericorum S. Martini mendicantes, donec tandem plebs Tornacenſis, pietatis & devotionis ſtudio inſtigata, ac multis ſtatum Monachatus ibidem amplectentibus eis ultro legavit reditus ac poſſeſſiones ad victum & veſtitum neceſſarios: ſucceſſuque temporis factum eſt, ut ipſi Tornacenſis Urbis cives longe ampliora, quam neceſſarium eſſet, largirentur. Nec tamen idcirco quid erat ſuperfluum: nam ipſe Odo, ut erat erga pauperes maxime liberalis, non ſolum ſuperflua diſtribuebat, ſed & neceſſaria effundebat. Quam ob rem forte fortuna urbem ipſam & vicinum territorium fame vehementer urgente, ipſe cunctis pæne cibariis in uſum pauperis diſtributis Religioſos gravia pati permiſit. Quod & alias ſæpius contigit, quam ob rem parum ad rem domeſticam attentum eum eſſe exiſtimantes Monachi, Præpoſitum elegerunt Radulphum in Adminiſtratorem ſeu œconomum Monaſterii, qui brevi tempore ipſam Eccleſiam multis dotibus, opimisque agris auxit atque ditavit, inſuper etiam non paucas domos, villas, cæteraque Ruſticana ædificia conſtruxit, quæ etiam nunc in magnum commodum ſubſiſtunt Eccleſiæ S. Martini. Porro Magiſtro Odoni remanſit ſola ſolicitudo & auctoritas ſuos in bonis moribus juxta veterum Patrum ſtatuta continere: quod etiam ſtudioſe perfecit ſub divi Auguſtini inſtitutis. Interim inter alios quidem juvenis Clericus, nomine Adolphus, Filius Sohieri, Cantoris Eccleſiæ B. Mariæ Tornacenſis, abjectis omnibus divitiis atque ſæcularis vitæ contemptis voluptatibus adiit conſortium Fratrum Divi Martini. Qua de re certior factus Pater, accitis ſecum amicis, properavit ad Eccleſiam S. Martini; inventum filium crinibus arri-

arripuit, multisque ictibus humi prostratum verberavit, verberatumque secum attraxit domum. Altero die Filius inscio Patre rediit ad Ecclesiam S. Martini, parentibus putantibus eum adiisse Basilicam B. Virginis Mariæ, sed postquam habuisset compertum Pater, eum ad Martinienses rediisse, cum furore eo se contulit, atque filium ut prius verberatum, domum reduxit, & cippo constrictum in custodia detinuit ad tempus, sed inde relaxatus filius statim concupitum Monasterium repetiit: unde cum sæpe eum retraxisset Pater, toties ipse filius repetebat Martinienſe Fratrum Cænobium, interim dum hanc inhumani Patris verberationem pateretur hic pius Adolphus, & in proposito capessendæ Religionis nihilominus constans permaneret, & quid agendum in hoc negotio Reverendo Domino Odoni nihil occurreret; supervenit Reverendus Aymericus Antistes Aquiscinctinus, director consiliorum Reverendi Odonis, in rebus præsertim Monasticis, & consolator gratissimus in omnibus anxietatibus, quibus ejus anxiebantur Fratres. Apud hunc Abbatem conquestus etiam fuerat ipse Odo, suos Clericos, quotidie nescio qua ex consuetudine, discurrere ad Cathedralem Ecclesiam D. Virginis, ut preces horarias ibi funderent ac decantarent, nec posse eos inde avertere, prætexentes pietatis studium, ac inveteratam consuetudinem. Tum Aymericus Abbas, Novi, inquit, rationem eos cohibendi, & domi retinendi, si meæ assentiaris sententiæ. Annuente Odone consultus respondit: ingenue dicam, quod sentio: quia meum expetis consilium. Mi bone Magister, noveris eandem difficultatem & te, & tuos sæpe deinceps subituros, nisi mature occurratis. Cum Urbi Tornacensi sitis vicini (neque enim tunc temporis hic Mons S. Martini in Urbe includebatur) & Fratrum horum sit eadem vestis & similis agendi ratio cum aliis Clericis commilitonibus, qui in urbe degunt; hi qui in sæculo versantur, facile suos Religiosos Fratres ad se delitiis mundi delibutos allicient, & ad vitam reducent liberiorem, quam ob rem si vestro statui ac constantiæ Religiosæ consultum esse velitis, necesse est, ut Reverentia tua, Domine Odo, & Fratres tui Regulares, habitum S. Benedicti induatis, atque ejusdem Regulam induamini. Sic enim â natura comparatum est, ut horum temporum Clerici vestibus albis induti, ita â veste nigra abhorreant Monachorum, ut cum his versari omnino dedignentur, itaque Reverende atque peramande mi Domine Odo, licet optime passim audias & de virtutibus tuis omnino mira prædicent, decet omnino, ut vivendi institutum strictius ac perfectius prosequaris, relicto hac molliori vitæ genere Clericorum, in quo tu & Fratres tui nimis delicate versamini, licet jam Mundo & pompis ejus valedixeritis. Nunc igitur si illecebris hujus mundi, & sæcularium Clericorum cupitis expediri ritibus; strictius atque sanctius D. Benedicti jugum subite. His auditis suasionibus Reverendus Dominus Odo optime animatus, Fratres suos accersiri jubet, in consilium vocat, eorum rationes & consensum expetit. Illi verbis sui Reverendi Præsulis Domini Odonis accensi, quod hujusmodi esset consilium Reverendi Abbatis Aquiscinctini Domini Aymerici: supplici-ter eum rogarunt, ne grave ei esset ea nocte apud eum quiescere, & quod crastina die quam libenti animo & regulam & vestem S. Benedicti accepturi omnes essent, sicque fierent nigri Monachi. Mane itaque cum Matutinas horas atque Primam, juxta ordinem & usum S. Augustini in choro cecinissent, Capitulo celebrato, cui præerat Aymericus Abbas Aquiscinctinus, ejus sermone & oratione persuasi omnes S. Martini Antistitis Regulares, numero duodecim, sese ad summum altare templi contulerunt: ubi ipsius Aymerici manu vestibus Clericalibus exuti, servato per tres dies silentio, ab eodem Reverendo Aymerico Abbate vestes benedictas juxta institutum Benedictinorum, susceperunt. Deinde tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas & Completorium, horarias preces totius diei juxta usum D. Benedicti compleverunt, atque deinceps quotidie sunt prosecuti secundum statuta Divi Benedicti. Quantum autem profuerit, ex consilio Reverendi Antistitis Domini Aymerici ista permutatio vestimentorum Ordinis Regularium S. Augustini in ordinem & habitum Monachalem Benedictinorum, successus ipse comprobavit. Neque enim deinceps ille Sohierus Cantor aliquid molestiæ intulit Filio suo Adolpho, ut ad sæcularem reverteretur, sed potius indies hortabatur eum, ut in novo statu electo constans permaneret, quotidieque proficeret in ea solitudine sancta. Quin & ipse, facti sui pœnitens atque â pristina vita resipiscens, pœnitentia ductus, ac divino instinctu ad meliora aspirans, cum suo Germano Fratre Hermanno, Præposito ejusdem Ecclesiæ B. Virginis Mariæ, vestem Benedictinam cum vivendi instituto suscipiens, vitam Monasticam est professus. Insuper quinque Capellanias, quas in gratiam alterius Filii sui, nomine Adam, ejusdem etiam Episcopalis Ecclesiæ Canonici comparaverat, curavit Ecclesiæ S. Martini incorporandas atque uniendas. Tum vero trium dierum completo silentio, & ceremoniis ad professionem Benedictinam consuetis, ipsi Do-

Domino Odoni & Fratribus ejus dedit consilium Reverendus Dominus Abbas Aquiscinctensis Aymericus, ut novum Abbatem sibi præficiendum eligerent, itaque inprimis Odo, cum in aliquem suorum suffragium suum ferre conaretur, ecce divino instinctu omnes alii unanimi consensu ac voce eundem elegerunt Odonem in Antistitem: quem ita electum Reverendissimo Episcopo Noviomensi & Tornacensi confirmandum obtulerunt. Domino Radbodo, qui eum munere benedictionis honestavit, sequenti Dominica post factam electionem in Ecclesia B. Mariæ Virginis Tornacensis quarto nonas Martii, qui erat tertius annus ab ejusdem Domini Odonis conversione. Verum cum Dominus Odo cum fratribus suis serio exercitaretur in lectione sacrorum voluminum, maxime Collationum seu vitarum Patrum, cæperunt cogitare de loco relinquendo, in quo jam tribus annis egerant: ut quem minus suo proposito judicarent provenire, maxime quod cantu vicinorum, & tumultu transeuntium impedirentur, itaque deliberarunt locum aliquem abditum & ab omni conversione remotum expetere, ubi liberius vacare possent rebus cœlestibus meditandis. Tali consilio habito, Horis matutinis absolutis, summo mane compositis libris & suppellectili egrediuntur. Quod cum cives Tornacenses resciviſſent, tristitia atque mærore confecti, omnem adhibuerunt operam ad eos revocandos, quod non prius facere potuerunt, quam Noviomum illi ad Episcopum perveniſſent: qui comperta itineris suscepti causa, postquam eos triduo apud se defatigatos refocillasset, domum remisit in locum pristinum & ut ibi manerent, sedulo admonuit, & ne quid tale amplius tentarent, benigne persuasit. Præterea eis consuluit, ut ad Reverendum Dominum Aymericum Abbatem Aquiscinctinum se conferrent, aut illum ad se vocarent: quatenus eo instituente & docente secundum instituta Regulæ S. Benedicti, mores & vitam componerent, quod ut commodius fieri posset, idem Aymericus statim de suis Religiosis in Cænobio Domini Odonis Priores instituit, ac vicissim aliquos ex Monasterio Domini Odonis secum Aquiscinctum abduxit. Hac ratione factum est, ut maxima incrementa acceperit vita Monastica in hoc Monasterio: siquidem ita ei divina gratia adfuit, ut cum ante ejus adventum per trecentos fere annos nullus in hoc loco Monachus fuisset: non solum terras & mansiones & officinas, & quæcunque usibus servorum Dei sunt necessaria, verum etiam plus quam septuaginta Monachos Omnipotenti Deo regulariter servituros, hoc loco aggregarit infra annos fere tredecim, quibus dicto Monasterio præfuit usque ad annum Millesimum centesimum quintum, quo ad Episcopatum Cameracensem promotus fuit.

TORNACENSE

Seu Tornaci Monasterium Abbatiale, aliud quod ad Basilicam *S. Marci*, alias *S. Nicolai* nuncupatum anno 1125. Ogerus Canonicus Regularis apud Atrebates in Monte S. Eligii Professius fundavit, postea vero Religiosis Inquilinis in agrum Urbi viciniorem migrantibus, idem Cænobium hoc in pratis (uti vacant) Ponitis fuit resuscitatum, seu de novo constructum secus Scaldim fluvium, stetitque ibi usque ad annum 1566. quo sacrilegam â Batavis Calvinianis ædificiorum suorum devastationem pertulit; quo factum, ut Religiosi Canonici iterum in Urbem Tornacensem sint reversi, in qua (ut ait Miræus de Regularibus cap. 59. fol. 159.) hodieque degunt. Fuit etiam olim istud Venerabile Commembrum perinclytæ Congregationis Aroasiensis, & numero quintum inter ea quorum Abbates in dextero latere considentes apparebunt attestante eodem Miræo cap. 10.

TREBONENSE

Monasterium Archi-Diœcesis Pragensis in Boiemia S. Ægydio Abbati & Confessori dicatum, superiori ætate, post frequentatas Sacrilegas deprædationes, ac propemodum innumeras Hæreticorum calumnias miserrime lacessitum, speciali tamen Superni Numinis gratia usque modo clementissime servatum, vel olim primitus esse simul ac floresœre cæpit sub annum gratiæ 1367. quo decurrente, genuinæ Fundationis hujus Trebonensis simul ac confirmationis Bulla auctoritate ordinaria fuit expedita juxta tenorem sequentium: Joannes Dei gratia &c. ad perpetuam rei memoriam &c. Licet ex Pastoralis dignitatis Officio, cui disponente Altissimo præsidemus immeriti ad universorum, quæ Spiritualium operationum constituunt profectum, vigilanti cura & indefessa mentis sollicitudine teneamur intendere, ad ea tamen, quæ Divini cultus augmentum & Religionis propagationem latiori se protractu distendere perspicimus, tanto tenemur aciem mentis nostræ convertere vigilantius, quanto abinde post hujus vitæ decursum ab eo speramus mercedem recipere, cui talenta nobis credita tenemur red-

reddere duplicata. Sane nobiles Viri Domini Petrus Præpositus Capellæ Regiæ omnium Sanctorum in Castro Pragensi, Jodocus Vericus, & Joannes Fratres Germani de Rosenberg, Barones Regni Boiemiæ nostræ Diœcesis curarunt proponi nobis coram, quod Jus Patronatus Ecclesiæ Parochialis in oppido Wittingow vel in Trebon nostræ Diœcesis antedictæ ad eos communiter tanquam ad veros & legitimos Patronos spectare noscatur, ipsaque Ecclesia copiosa multitudine sit referta, & abundet in proventibus & obventionibus temporalibus, & ratione sui situs sit apta, ut pro Divini cultus augmento ex ea Monasterium exigatur, atque nihilominus præfati Nobiles, velut sinceræ devotionis constantes alumni de bonis & Facultatibus suis à Deo sibi collatis pro Monasterio ibi erigendo in tanta velint ministrare abundantia, quod Religiosi Viri octo ibidem in Regulari observantia vitam ducentes sine penuria possint vivere, & in victualibus ac cæteris eorum indigentiis commode sustentari, nobisque humiliter supplicarunt, quatenus ad honorem Omnipotentis DEI & Gloriosæ Virginis MARIÆ Genitricis ipsius, nec non S. Ægydii Abbatis & Confessoris, in cujus honore & vocabulo dicta Ecclesia fundata & consecrata existit, ipsam Ecclesiam in Monasterium Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini secundum normam & consuetudinem Monasterii Rudnicensis nostræ Diœcesis hactenus observatum in eo facere & instituere Authoritate nostra Ordinaria dignaremur, & quidem quod Possessiones, Jura, & bona dictæ Parochialis Ecclesiæ eidem Præposito & Conventui applicentur, & incorporentur omnia, & quod dicti Monasterii Præpositus, qui pro tempore fuerit, curam & regimen habere debeat, & Plebi tanquam verus Pastor & legitimus Ministrare Ecclesiastica Sacramenta. Nos vero ad dictorum Nobilium salubre propositum & devotionem sinceram, quod & quam ad cultum Divinum Ecclesias Dei & Ministros ipsius incessanter consueverunt gerere, quibus super his facta & opera testimonium perhibent veritatis nostræ comprædicationis - - - - comitante supplicationibus eorum paterno affectu benignius inclinati ad honorem Omnipotentis Dei & Gloriosissimæ Virginis Mariæ Matris ejus & S. Ægydii Abbatis Confessoris de expresso consensu & voluntate honorabilium Virorum Dominorum Wratiwogij Decani, Nicolai Scholastici & totius Capituli Ecclesiæ nostræ Pragensis præfatam Ecclesiam Parochialem in Wittingow, sive in Trebon in Monasterium Conventuale Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini sublimamus, erigimus, & creamus universa & singula bona, Possessiones, reditus, Jura, Libertates, & proventus ipsius Ecclesiæ, in quibusnam rebus consistant in ipsum Monasterium Præpositum & Conventum transferimus, & ipsis conferimus meliori forma & modo, quibus possumus, & volentes decernimus, quod plebs quondam Parochialis Ecclesiæ, nunc vero Canonicorum Regularium in cura & regimine animarum per Præpositum dicti Monasterii, qui pro tempore fuerit, dirigi, regi, & gubernari debeat totis in antea temporibus affuturis. Volumus insuper, quod Conventus prædicti Monasterii vel major vel sanior pars ipsius, juxta Ordinis sui Instituta ex nunc & in antea sibi Præpositum eligat toties, quoties fuerit necessarium & oportunum, qui per Archi-Episcopum Pragensem, qui pro tempore fuerit, confirmetur, sibique cura animarum tam ipsius Monasterii, quam Plebis ejusdem Parochiæ committatur. Juribus tamen nostris quoad utramque legem & universis & singulis Juribus nostri Ordinarii nec non Archi-Diaconi Berchinensis, qui pro tempore fuerit quoad Institutionem, correctionem, protectionem, & cætera omnia sibi ante erectionem Monasterii in dicta Parochiali Ecclesia de jure vel consuetudine semper salvis. Volumus etiam, quod Præpositus & Fratres dicti Monasterii in Wittingow sive Trebon in omni modo vivendi & observantia Regulari, quæ nunc viget, se debeant Fratribus prædicti Monasterii Rudnicensis omnimode conformare. In cujus rei testimonium præsentes litteras fieri, & Sigilli nostri & Capituli nostri appensione jussimus communiri. Actum & datum Pragæ anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo septimo die duodecima Mensis Maij præsentibus honorabilibus Viris Dominis Jenwone Præposito S. Crucis vocatis officialibus Curiæ nostræ Pragensis Basione Archi-Diacono Cramisii, Joanne de Luthon Decano S. Apollinaris Pragæ, & Buone Archi-Diacono Besinensi ad præmissa vocatis & rogatis. &c.

Recensita igitur hujuscemodi Trebonensi Fundatione plenarie in opus deducta ne piissima dictorum Fundatorum intentio quomodolibet tandem infringi queat aut violari, sed firma semper & inviolabiliter persistat diris etiam imprecationibus solemnisata fuit illa prout legitur in Chronico Boiemiæ Wenceslai Hageck, quæ sub annum 1596. per Joannem Zandl germanice reddita part. 2. fol. 32. sic habet: *In dißem (1367.) Jahr haben die Mächtige Herrn Peter Jobst, Vlrich und Johannes, Weyland Peters von Roßenberg Söhne mit Kayser Carls und des Erz-Biſchoffs Johannis ſowohl des Pragers Capituls Bewilligung auf ihren Güettern zu Wittingow aus der Pfarr-*

Kirchen daſelbſten ein hörrlichs Cloſter erbauen, und darinnen die Brüeder des Ordens Canonicorum Regularium *einſiehren laſſen, dieſelbe haben ſie mit wahrn Einkommen guetwillig verbunden, dafern ſye obgenannte Herrn oder ihrer einer oder die künfftige zue ewigen Zeiten diſer Stifftung etwas zuewider handlete. Das ihnen und ihren Nachkommen vnſer Herr Gott weder ſeegnen noch Geſundheit geben wolle, vber das ſollen ſie in den Geiſtlichen Bann vnſerm Gott und Herrn und allen ſeinen Heiligen in Vngnaden fallen, dafern ſie aber den Gottsdienſt an diſem Orth ſambt dem Einkommen vermehren wurden, das ihnen vnſer Gott undt Herr ſeinen Göttlichen Seegen, zeitlich und ewigen Friden verleichen wolle. &c.* & ſic ille loco citato. Poſt quem audiendus eſt etiam Georgius Crugerius Soc. JEſu in Sacris memoriis Litomislij anno 1668. editis die 4. Martij fol. 29. in hæc verba legendus: Quæ ante Udalricus ſive ſolus ſive una cum Fratribus ſuis Jodoco Petro & Joanne confecit in hac materia glorioſe? Trebonæ inprimis Monaſterium pro Canonicis Regularibus anno Domini 1367. magnifice erexit, ac imprecationibus etiam in Litteris Fundationis ſolemnizavit, ut qui ex Poſteris illud anteverteret, depauperaretque, hic ipſe inter alia infelicia inventa careret inſuper poſteritate. Et caruerunt demum tales, quare Ferdinandus III. glorioſæ memoriæ Cæſar & Rex hanc ditionem adiens Paterno Beneficio ante Imperiales adhuc aquilas, ne ſcilicet involveretur ſimili effectu Canonicis ſua reſtituit, eosdemque in deſolato Cœnobio noſtra memoria quaſi redanimavit. &c.

Hujusmodi igitur novæ fundationi conſentiens Dominus Joannes Pragenſis Archi Epiſcopus ſacram Canonicorum Regularium coloniam è ſupradicto Rudnicenſi Monaſterio deſumptam ad ſæpe dictum iſtud Trebonenſe Monaſterium transferri conſtituit, prout latius patet ex publico Inſtrumento per manum Notarii ad id confecto, prout ſequitur: In Nomine Domini Amen. Anno Nativitatis ejusdem Milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo Indictione quinta die 22. Menſis Maij hora quaſi veſpertina in Monaſterio Trebon, alias in Wittingow Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Urbani divina providentia Papæ V. anno quinto in mei Notarii publici infra ſcripti & teſtium præſentia ſubſcriptorum Honorabilis & Religioſus Vir Nicolaus Præpoſitus Monaſterii S. Mariæ Canonicorum Regularium in Rudniz Ord. S. Auguſtini Diœceſis Pragenſis perſonaliter conſtitutus quandam commiſſionem in papyro â Reverendiſſimo in Chriſto Patre & Domino D. Joanne Archi-Epiſcopo Pragenſi Apoſtolicæ ſedis Legato ſibi factam mihi tradidit, & per me de verbo ad verbum legi mandavit, cujus tenor per omnia talis eſt. Joannes Dei gratia Sanctæ Pragenſis Eccleſiæ Archi Epiſcopus Sedis Apoſtolicæ Legatus Honorabili Religioſo Viro Domino Nicolao Præpoſito Monaſterii Rudnicenſis noſtræ Diœceſis ſalutem in Domino. Quia nos ad inſtantiam Nobilium Virorum Dominorum Petri Præpoſiti Capellæ Regiæ Omnium Sanctorum in Caſtro Pragenſi Jodoci Joannis & Vlrici Fratrum Dominorum de Roſenberg Eccleſiam Parochialem in Wittingow noſtræ Diœceſis ereximus, & creavimus in Monaſterium Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini, ordinavimus, quodque dictus Præpoſitus regimen dictorum Fratrum, ac curam animarum Plebis dictæ Eccleſiæ Parochialis habere debeat, prout in litteris noſtris ſuper hoc confectis plenius continetur. Ideoque veſtram dilectionem hortamur, quatenus piam devotionem dictorum Nobilium promoventes Fratres de dicto Monaſterio veſtro, de quorum vita & converſatione præfati Nobiles ſpecialem gerunt confidentiam, ipſis velitis miniſtrare, & tales, qui fuerint inſtructi de bonis moribus & obſervantia regulari, vobis tenore præſentium committimus, & plenam concedimus authoritatem, quod Fratres dicti Ordinis S. Auguſtini Canonicorum Regularium ad præfatum Monaſterium in Wittingow inſtituatis, ac de bonis ipſius conventum diſponatis & ordinetis vice noſtra, ipſosque in Poſſeſſionem omnium proventuum & obventionum ac Jurium bonorum, & Poſſeſſionum dictæ Eccleſiæ in Wittingow, nec non eorum, quæ prædicto Monaſterio per dictos Nobiles aut donata & in antea donanda & aſſignanda inducatis ac deponatis, quod dicti Fratres Præpoſitum ſibi eligant juxta dicti Ordinis Inſtituta, & ſervatis ſervandis electionem eandem ac ipſum Electum in Præpoſitum dicti Monaſterii in Wittingow confirmetis hac vice Authoritate noſtra ſuffulti, ſibique regimen dicti Monaſterii & regiminis, & curæ prædictorum inducatis, & alia faciatis, quæ circa præmiſſa neceſſaria fuerint ſeu etiam oportunum contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo. Datum Pragæ anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo die decima Menſis Maij. &c.

Qua quidem littera commiſſionis perlecta usque ad finem dictus Dominus Præpoſitus dixit ſe velle Mandato Domini Archi-Epiſcopi Superioris & Prælati ſui humiliter obedire, & ſtatim ibidem juxta commiſſionis tenorem & mandatum Religioſos Viros videlicet Beneſium, Martinum, & Nicolaum Fratres Profeſſos & Canonicos Regula-

gulares Monaſterii Rudnicenſis Pragenſis Diœceſis ac Ordinis ſupradicti coram ipſo conſtitutos à vinculo obedientiæ, quo ſibi tanquam Prælato vel Superiori ſuo tenebantur, abſolvit, & ab obedientia ſua mancipavit, & immediate poſt hæc eosdem Fratres in dictum Monaſterium in Wittingow per clavium aſſignationem & traditionem induxit, curam & regimen tam in ſpiritualibus quam temporalibus ipſius Eccleſiæ eisdem Fratribus tanquam Conventui committendo præſentibus Nobilibus & Honorabilibus Viris Dominis Petro Jodoco & Joanne Fratribus de Roſenberg, Pezilao Archi-Diacono Hornenſi, Wenceslao de Planka Fratre Othmaro de Charwaliz Eccleſiarum Plebanis Wittisgone Capellano Dominorum de Roſenberg prædictorum & Nicolao ibidem in Trebon teſtibus in præmiſſis, poſt quæ dicti Domini & Fratres in domo dotis Eccleſiæ in Wittingow prædictæ conſtituti, ubi Honorabilis Vir Dominus Nicolaus Præpoſitus Monaſterii Rudnicenſis prædictis ipſis expoſuit, quod tribus modis electio fieri conſuevit, quos hortando & pie informando, quomodo & qualiter debeant intra ſe unum eligere in præpoſitum, quem vita & moribus crediderint approbatum: Qui quidem Fratres, cum eis utilius & ſalubrius per modum Scrutinii electio hujusmodi expediret, fecerunt, & elegerunt Scrutatores Votorum ſuorum videlicet Dominum Nicolaum Præpoſitum Rudnicenſem, Pezilaum Archi-Diaconum Hornenſem Canonicum Pragenſem, & Wenceslaum in Planka petentes, quatenus ipſi vota ſingulorum ſcrutentur, quo facto præfati Domini Scrutatores evocati è dictis Fratribus quemcunque interrogaverunt & requiſiverunt ſingulariter, & ſingulatim, & ſecreto, & primo videlicet Fratrem Beneſium quem ipſe nominaret & eligeret, quinam eſſet idoneus aſſumendus in Præpoſitum, & eidem Præpoſitatui præeſſet utiliter, qui nominavit Fratrem Martinum, demum requiſitus Frater Martinus ſuper eodem, qui videretur ſibi utilis pro Præpoſito, & quem nominaret, & crederet utilem fieri Præpoſitum, qui nominavit Fratrem Beneſium prædictum, quibus ſic nominatis, præfati Fratres videlicet Martinus & Nicolaus ſupplicarunt dicto Domino Nicolao Præpoſito, ut ipſe Præpoſitus eligentium prædictorum nomina ſecundum vota ipſorum electionem pronuntiaret, & eligeret Perſonam ſecundum vota ipſorum antedicta, qui quidem D. Nicolaus Præpoſitus ad petitionem & ſupplicationem dictorum Fratrum dictam electionem factam per modum Scrutinii pronuntiavit per omnia in his verbis: In Nomine Domini Amen. Ego Nicolaus Præpoſitus Rudnicenſis vice Religioſorum Virorum Beneſii Martini, & Nicolai Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini in Trebon, alias in Wittingow, qui pro tunc præfati Monaſterii Conventum faciebant, rogatus per eosdem, quatenus electionem & Perſonam electam pronuntiarem. Igitur vice ac nomine dictorum Fratrum eligo & pronuntio in Præpoſitum dicti Monaſterii in Wittingow Religioſum Virum Fratrem Beneſium Regulam Divi Auguſtini expreſſe Profeſſum in Ordine Sacerdotii conſtitutum moribus ſcientia, ac vita comprobatum. Ibidem ſtante dicto Fratre Beneſio in Eccleſia ante Altare ſummum præfati Fratres Martinus & Nicolaus petiverunt ipſum Fratrem Beneſium electum, ut ipſe onus Prælaturæ in ſe ſponte propter Deum aſſumeret, & in electionem prædictam conſentiret; qui quidem Frater Beneſius in ſe onus ſponte & benevole aſſumpſit, & dictæ electioni de ſe factæ humiliter conſenſit, ac demum immediate D. Pezilaus Archi-Diaconus Hornenſis de mandato prædicti D. Nicolai Præpoſiti ſtans ante Altare proclamationem fecit dicens ad populum: Filioli Chariſſimi ſcire dignemini, quod Fratres hujus Monaſterii ſibi in Præpoſitum elegerunt Fratrem Beneſium, & ſiquis dictæ electioni haberet aliquid contradicere, vel Perſonæ electæ quicquam voluerit opponere, quod à proclamatione hujusmodi tertia die, ſi juridica fuerit, alias immediate ſequenti hora veſpertina in Curia Monaſterii hujus compareat coram dicto Domino Præpoſito Rudnicenſi ibidem præſente contra dictum præſentem, ſiquid haberet, alioquin in dicto termino quantum de jure fuerit, D. Nicolaus Præpoſitus ſæpe dictus ad dicti Electi confirmationem præcedit juxta mandatum per Reverendiſſimum D. Joannem Archi-Epiſcopum ſibi mandatum &c. Acta ſunt hæc anno, Indictione, die, menſe, & hora prout loco & præſentibus, quibus ſupra. Et ego Albertus de Hoſſim Clericus Pragenſis Diœceſis Auctoritate Imperatoria Notarius præmiſſæ Commiſſionis exhibitioni, ab obedientia emancipationi, Inſtitutioni, Curæ animarum commiſſioni, votorum dationi, Electi pronuntiationi, ac omnibus aliis & ſingulis ſupradictis, dum ſic fierent, & agerentur per præfatum D. Præpoſitum Commiſſarium ſupradictum una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, & ea prout fieri vidi, & audivi, manu mea propria ſubſcripſi, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque & nomine meo conſuetis conſignavi in fidem & teſtimonium præmiſſorum.

Anno 1382. eandem Fundationem Trebonenſem de ſpeciali gratia & conſenſu dictorum Fundatorum ſecundum bona immobilia iteratis vicibus amplius augmentata teſtantur litteræ, quarum copia ex Originali ſuo iſthuc fideliter tranſcripta talis eſt:

Nos Petrus, Vlricus & Joannes de Roſenberg notificamus univerſis, ad quos præſens ſcriptum pervenerit, quod Nos præhabita diligenti deliberatione & conſilio, ac tractatu maturo præmiſſo, nec non ſpecialem devotionem habentes & ſervitia & honorem B. Mariæ Virginis, ultra donationes, quas jam nuper fecimus Præpoſito, Conventui, & Monaſterio noſtræ Fundationis in Trebon, alias in Wittingow Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini Pragenſis Diœceſis & in noſtro Dominio conſtituto, de novo dedimus & donavimus, prout etiam ex novo damus & donamus eisdem Fratribus ſive Canonicis atque Monaſterio ipſorum prædicto libere cum pleno Dominio, certa bona ſive certas Hæreditates videlicet in Bruna, & majorem partem Villæ Spolecz, & totam Villam in Myletti cum omnibus Cenſibus, Juribus, & omnibus Pertinentiis ſuis atque judiciis & cultis in ipſum per ipſum Præpoſitum, Conventum & Monaſterium ipſorum præfatum tenenda, habenda, & poſſidenda ſine aliquo impedimento, item percipienda & colligenda etiam in uſus ipſorum ac dicti Monaſterii; & poſtea inſtanter ac ſimpliciter devote petivimus & ſupplicavimus memoratis Fratribus, qui nunc ſunt, & qui pro tempore fuerint in futurum, quatenus benigne & benevole ob reverentiam & honorem B. M. Virginis Miſſam de B. Maria Virgine in dicto Monaſterio per unum Fratrem ſive Canonicum ipſorum Presbyterum ſingulis diebus de mane in perpetuum & integraliter cum ſex Clericis de Scholis ibidem de Trebon advenis pauperibus cantent, & celebrent, vel celebrari & decantari procurent, ita tamen, quod dicti ſex Clerici ſeu quilibet ipſorum debeant habere cum effectu ſingulis ſeptimanis unam groſſam cum ſalario à dicto Monaſterio & ab ipſis Fratribus ſive Canonicis & Præpoſito ſine aliqua negligentia & torpore. Et quod Magiſter Scholæ ibidem nec aliquis alius officiatus debet exigere vel recipere ab ipſis Clericis ſive Scholaribus quicquam nec ratione pretii, neque cujuscunque alterius doni vel donationis. Quare & Vobis etiam Rev. Domino Archi-Epiſcopo Pragenſi Apoſtolicæ Sedis Legato humiliter ſupplicamus, quatenus ob amorem B. Mariæ Virginis Glorioſæ dictam miſſam, ut prædicitur, inſtituere, & alia quæ ſunt neceſſaria, ad eandem & etiam præmiſſa vel aliqua præmiſſorum & Canonica confirmare velitis, & in perpetuum, quod confirmaveritis, præcipere, teneri, & obſervari per officium veſtrum gratioſum. In cujus rei robur perpetuo valiturum Sigilla noſtra propria de certa noſtra ſcientia præſentibus ſunt appenſa. Datum in Chaumpuan anno Domini Milleſimo trecenteſimo octogeſimo ſecundo menſe Januario.

Anno 1385. recenſitas ſupra Fundationes ſuprema auctoritate ſeu Regia confirmatione clementiſſime ſtabilitas fuiſſe legimus & habemus ſequenti Diplomate. Wenceslaus Dei gratia Romanorum Rex &c. Notum facimus tenore præſentium univerſis, quod cum Monaſterium in Trebon alias Wittingow nuncupatum Præpoſiti & Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini devotorum noſtrorum Dilectorum ſtudio & procuratione Nobilium de Roſenberg de novo conſtructum & erectum exiſtat & in honorem S. Ægydii Abbatis & Confeſſoris pia Fundatione fundatum, pro congrua quoque ſuſtentatione dictorum Præpoſiti & Canonicorum certa bona & reditus cum ipſorum pertinentiis dicto Monaſterio per dictos Nobiles & quosdam alios & etiam Præpoſitum ejusdem Monaſterii donata ſeu legata ſint & etiam comparata, Nobis dicti de Roſenberg humiliter ſupplicarunt, quatenus fundationi & conſtructioni dicti Monaſterii conſenſum noſtrum Regium adhibere, dictaque bona eidem Monaſterio donata, legata ac etiam comparata ipſi Monaſterio appropriare, incorporare, inviſcerare, unire, & una cum litteris dicto Monaſterio ſuper hujuscemodi per dictos Nobiles datis & traditis dignaremur benignitate ſolita gratioſius confirmare. Nos igitur ob reverentiam dicti S. Ægydii Abbatis & Confeſſoris ſpecialem, & piam ad Ipſum devotionem habentes, in cujus nomine dictum Monaſterium fundatum exiſtit, ut præmittitur, Divinæ Remunerationis intuitu fundationi hujusmodi favorabiliter conſentientes, non per errorem vel improvide, ſed animo deliberato & de certa noſtra ſcientia tanquam Boëmiæ Rex dicta bona & reditus cum ipſorum pertinentiis dicto Monaſterio donata, legata, ac etiam comparata pro uſu & ſuſtentatione dictorum Præpoſiti & Canonicorum in Wittingow, quæ poſſident de præſenti & poſſederunt hucusque à tempore fundationis Monaſterii prædicti, appropriavimus, incorporavimus, univimus, & applicavimus, appropriamus, incorporamus, unimus & tenore præſentium applicamus, Litteras & Privilegia ſuper fundatione, dotatione, donatione, legatione bonorum operum & comparatione per dictos de Roſenberg & alios quoque eidem Monaſterio traditas & conceſſas, tradita & conceſſa ac ſi earum & eorum tenor præſentibus de verbo ad verbum inſerti conſiſterent approbantes, ratificantes & gratioſius confirmantes ac decernentes & volentes bona prædicta dicto Monaſterio donata legata & comparata per dictos Præpoſitum, Canonicos & eorum Succeſſores ex jure, libertate ac Privilegio Eccleſiaſticis perpetuo poſſidenda, quibus alia bona Monaſte-

naſteriorum Regni noſtri Boëmiæ poſſidentur. Hanc inſuper eidem Præpoſito, Canonicis & Conventui Monaſterii prædicti de ſpeciali liberalitatis noſtræ munificentia gratiam facientes, ac eidem gratioſius indulgentes, ut ipſi centum ſexagenas groſſorum annui cenſus ſeu redituum per ſe vel alios quoscunque pro ipſis & eorum Monaſterio in & ſuper quibuscunque bonis Feudalium duntaxat exceptis, una cum eorundem pertinentiis univerſorum bonorum comparandas, donandas, teſtandas, legandas, ordinandas vel diſponendas in antea tenere, poſſidere, habere, & eisdem uti ac perfrui debeant, poſſint ac valeant impedimentis non obſtantibus quibuscunque: quos etiam reditus centum Sexagenarum cum bonis & eorum pertinentiis ſimul vel ſucceſſive comparandis, donandis, teſtandis, legandis, ordinandis & diſponendis ut præmittitur, dictis Præpoſito, Canonicis & Conventui Monaſterii in Wittingow, ex nunc prout ex tunc applicamus, incorporamus, annectimus, & unimus Authoritate Regia prædicta per eosdem & eorum Succeſſores in perpetuum, & Eccleſiaſtico Jure habenda, tenenda, & perpetuo poſſidenda, ſupplentes omnem defectum de Regiæ Poteſtatis plenitudine, ſi forte quis ratione verborum, omiſſionis Sententiarum, obſcuritatis juris non ſervati, ſolemnitatis vel conſuetudinis terrarum omiſſæ, vel alio quovis modo compertus fuerit quomodolibet in præmiſſis præſentium ſub Regiæ noſtræ Majeſtatis Sigillo teſtimonio litterarum. Datum Pragæ anno Domini Milleſimo trecenteſimo octogeſimo quinto die tertia Menſis Martij, Regnorum noſtrorum Boëmiæ anno viceſimo ſecundo, Romanorum vero nono.

Anno 1389. Titulum Abbatis & communem uſum Pontificalium ſuis temporibus exercendum Prælato Trebonenſi & Succeſſoribus illius Authoritate Apoſtolica ab Urbano Papa VI. clementiſſime conceſſum latius explicant ipſæ Commiſſionis litteræ in hoc negotio confectæ, eæque pro generali notitia queisvis habenda iſthic copialiter additæ, quæ ſic habent: Joannes Dei gratia Sanctæ Pragenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus Apoſtolicæ Sedis Legatus ad ſubſequentia Commiſſarius à Sanctiſſimo in Chriſto Patre & Domino noſtro Domino Urbano Divina Providentia Papa VI. ſuis Litteris Apoſtolicis patentibus ſpecialiter Deputatus Venerabilibus & Religioſis Viris Dominis Abbati & Conventui Monaſterii Canonicorum Regularium in Wittingow alias in Trebon noſtræ Pragenſis Diœceſis, univerſisque aliis omnibus & ſingulis, quibus præſentes Litteræ fuerint exhibitæ, ſalutem, & præſentibus indubiam dari fidem. &c.

Litteras dicti Domini noſtri Urbani Papæ VI. Apoſtolicas unam Miſſionis apertam etiam formam Juramenti clauſam more Romanæ Curiæ Bullatas ſanas & integras omnique vitio & ſuſpicione carentes Nobis tam pro parte Nobilium Baronum Dominorum Joannis & Ulrici Fratrum à Roſenberg quam Dominorum Abbatis & Conventus Monaſterii in Trebon antedictorum præſentatas Nos reverenter recepiſſe noveritis quarum Litterarum Commiſſionis Apoſtolicæ prædictæ tenor ſequitur per omnia in hæc verba: Vrbanus Epiſcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Archi-Epiſcopo Pragenſi Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. &c. Sinceræ devotionis affectus, quem dilecti Filij Nobiles Viri Vlricus & Joannes Fratres Barones Baroniæ de Roſenberg Pragenſis Diœceſis ad Nos & Romanam gerunt Eccleſiam, promeretur, ut votis eorum in his præſertim, per quæ Divini Cultus augmentum & Religionis propagatio promovetur, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte Dilectorum Ulrici & Joannis petitio continebat, quod olim ipſi & quondam Petrus de Roſenberg Frater eorum genuinus de propria ſalute recogitantes ac cupientes terrena in cœleſtia & tranſitoria in æterna felici commercio commutare de bonis ſibi à Deo collatis in eorum oppido Wittingow prædictæ Diœceſis Monaſterium Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini de Licentia Archi-Epiſcopi Pragenſis, qui tum erat, fundarunt, & ſufficienter dotarunt: in quo Monaſterio præter Præpoſitum ipſius Monaſterij viginti Canonici exiſtunt; quare pro parte Dilectorum Ulrici & Joannis & Petri Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in eorum Monaſterio, quod hactenus per Præpoſitum fuit gubernatum, Præpoſituræ dignitatem ſupprimere & Abbatiæ dignitatem de novo creare, & quod de cætero Monaſterium ipſum per Abbatem regatur, concedere de Apoſtolica benignitate dignaremur. Nos igitur qui Divinum Cultum augeri & Religionem propagari noſtris temporibus intenſis deſideriis affectamus, hujuscemodi ſupplicationibus inclinati, tuæ de qua in his & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, diſcretioni per Apoſtolica hæc ſcripta committimus & mandamus, quatenus ſi dos ipſius Monaſterij per dictos Ulricum, Joannem, & Petrum aſſignata, ad id ſufficiat, vel ſi forſitan non ſufficiat, dummodo tamen augeatur in eodem Monaſterio dignitatem Præpoſituræ Authoritate noſtra ſupprimas & in eodem de novo Abbatiæ dignitatem crees, & ſtatuas, ut dictum Monaſterium per Abbatem de cætero gubernetur, & quando Monaſterium ipſum vacare contigerit, dilecti Filij Con-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ventus dicti Monasterij salvis reservationibus Apostolicis secundum formam juris eligendi sibi Abbatem habeant Facultatem, & quod ipsum Monasterium Tibi & tuis Successoribus Archi-Episcopis Pragensibus qui fuerint pro tempore, sit ordinario jure subjectum, & nihilominus si per te præmissa fieri contingat, de ejus, qui tunc dicti Monasterij Præpositus fuerit, si ad id reperiatur idoneus, alioquin de alterius cujusdam Monasterij Canonica Persona, quam ad hoc idoneam repereris, ipsi Monasterio eadem authoritate præficias in Abbatem, curam, regimen, & administrationem ipsius Monasterij tibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo ac eis hujusmodi Personæ de qua ut præmittitur dicto Monasterio providebis, per te vel alium Catholicum Antistitem gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habentem, munus benedictionis impendas, & impendi facias & procures tibique à tuis Subditis obedientiam & reverentiam debitam exhiberi contradictores per Censuras Ecclesiasticas appellatione posthabita compescendo non obstantibus dictis Conventui vel quibusvis aliis communiter vel divisim à Sede Apostolica sit indultum, ut interdici, suspendi vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, ut Tu vel dictus Antistes, qui dictæ Personæ benedictionis munus impendes, vel impendet, ab eadem Persona nostræ Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ solitum recipias vel recipiat Juramentum juxta formam Juramenti hujusmodi, quod Persona ipsa præstabit, Nobis de verbo ad verbum per ejus Litteras suo Sigillo signatas per proprium nuntium quantocyus destinare procures, seu procuret. Et insuper quod Abbas prædicti Monasterij, qui pro tempore fuerit, mitra, annulo, sandaliis, baculo pastorali & aliis Insigniis Pontificalibus uti libere possit, felicis recordationis Alexandri Papæ Quarti Prædecessoris nostri, quæ incipit Abbates, & aliis quibusdam constitutionibus nequaquam obstantibus eadem Authoritate concedimus. Datum Romæ sexto Idus Decembris Pontificatus nostri anno nono. Item tenor Formulæ Juramenti prædicti sequitur & est talis: Ego N. Abbas Monasterij in Wittingow Ordinis S. Augustini Pragensis Diœcesis promitto, & juro, quod ab hac hora in antea, quamdiu vixero, fidelis & obediens ero Beatissimo Petro & Sanctissimæ Romanæ Ecclesiæ & Domino meo Urbano Divina Providentia Papæ VI. Suisque Successoribus Canonice intrantibus, non ero in consilio, consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, ut capiantur mala captione, consilium autem, quod mihi credituri sint, per se aut nuntios nulli manifesto ad eorum damnum sciente me Papatum Romanum & Regalia S. Petri adjutor ero ad retinenda, defendenda & recuperanda salvo meo ordine contra omnem hominem ac honorem & statum ipsorum, quantum in me fuerit, conservabo, ipsisque adhærebo & pro posse favebo, Legatos & Nuntios Sedis Apostolicæ benigne inter Fratres Monasterii mei recipiam, dirigam & defendam, securum ducatum præstabo ijsdem in eundo & redeundo eos honorifice tractabo, & in suis cogitationibus adjuvabo, nec, quantum in me fuerit, permittam, eis aliquam injuriam fieri vel inferri, & quibuscunque, qui contra præmissa vel eos in facto seu tractatu in quibus contra ipsum & Romanam Ecclesiam sinistra vel præjudicialia machinentur, & si quem talia procurare novero, vel tractare, impediam hoc pro posse & quantocyus potero, commode eis significabo, vel saltem illi, per quem ad notitiam eorum possit pervenire. Vocatus quacunque ex causa ad Synodum seu ad commune concilium accedam nisi præpeditus fuero causa præpeditiore, eisque observantiam ac reverentiam debitam exhibebo & præstabo, Apostolorum limina singulis bienniis visitabo, aut per me aut per Nuntium meum, nisi Apostolica absolvar Licentia, Possessiones vero ad Monasterium meum pertinentes non vendam, nec donabo, nec impignerabo, neque de novo infeudabo, vel alio modo abalienabo inconsulto Romano Pontifice, sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. &c.

Post quarum Litterarum præsentationem petiti & cum instantia requisiti per supra dictos Dominos Barones Joannem & Ulricum Fratres de Rosenberg Fundatores, Dotatores & Patronos Principales Monasterij in Trebon antedicti juxta formam & continentiam in Litteris Apostolicis prædictis comprehensam, sine, provide, mature, & cum vigore Juris tam à testibus juratis, quam etiam ex aliis legitimis Documentis pro statu commodo & honore ipsius Monasterij decenter & sine detrimento possint de eisdem commode sustentari. Ideo his attentis Paterna & vigilanti solicitudine ac consilio habito Sapientum Nobis tunc assistentium & fideliter ministrantium, causaque examinata Auctoritate Apostolica prædicta Nobis tradita, ut prædicitur, & concessa pronuntiavimus, & decrevimus, & pronuntiamus & decernimus prædictum Monasterium in Trebon fuisse & esse sufficienter dotatum & provisum: è quibus dotatione & provisione bonorum sufficientium Abbas cum Fratribus suis dicti Monasterij in Trebon honeste & decenter possunt & poterunt sustentari, & Creatori Altissimo famulari.

Deinde

Deinde pronuntiavimus & decrevimus, pronuntiamus & decernimus in eodem Monasterio Wittingow alias in Trebon Præposituræ dignitatem fore & esse supprimendam, quam & nunc supprimimus cognitione causa prima mandantes, ne in antea ipsum Monasterium per Præpositum gubernetur. Cæterum pronuntiavimus & decrevimus, pronuntiamus, & decernimus Auctoritate Apostolica, qua supra in Monasterio antedicto Trebon Abbatem fore & esse creandum, quem tunc & nunc solemnitatibus & cæremoniis debitis præmissis & assistentibus Nobis non nullis Prælatis, Ministris, & Clericis creavimus, & creamus Abbatiæ dignitatem, & statuimus ut ipsum Monasterium per Abbatem de cætero regatur & gubernetur, & dum ut quoties per cessum vel decessum vel alium quemcunque modum vacare contigerit, Venerabiles & Religiosi Fratres seu Conventus ejusdem Monasterij in Trebon salvis reservationibus Apostolicis secundum formam Juris eligendi ipsis Abbatem habilem & idoneum habeant facultatem, ipsum quoque Monasterium Nobis & Successoribus nostris canonice intrantibus jure ordinario, & quoad jura omnia & singula Episcopalia omnimode sit subjectum: de quo expresse & solemniter protestamur. Postremo Venerabilem & Religiosum Virum Fratrem Benesium, qui tunc antedicti Monasterij Wittingow Præpositus erat, idoneum & habilem ad obtinendam dictæ Abbatiæ dignitatem reperimus, ideo de Persona eadem bene merita & idonea Authoritate qua supra ipsi Monasterio providimus, & providemus.

Fratrem Benesium dicto Monasterio fecimus & præfecimus in Abbatem, curam regimen & administrationem in spiritualibus & temporalibus eidem plenarie commisimus, & committimus, ac sibi munus Benedictionis personaliter impendimus', obedientiamque & reverentiam eidem a suis subditis mandamus exhiberi, nec non solemnitate antedicta præmissa hujusmodi munere benedictionis eidem Fratri Benesio impensæ ab eodem supradicti Domini nostri Domini Urbani Papæ & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ nomine fideliter debitæ recepimus juramentum juxta formam in littera Bullata ejusdem Domini Papæ comprehensam, quodque ipse Abbas prædicti Monasterii & Successores, qui fuerint pro tempore, mitra, annulo, baculo pastorali & aliis Insigniis Pontificalibus libere uti valeant, atque possint.

Reservamus insuper per omnia Jura Archi-Diacono Bechinensi, qui est vel fuerit pro tempore, quæ sibi hactenus competierunt, & nunc de jure, consuetudine, aut statuto competunt, aut competere possunt, & specialiter Visitationis officium, procurationem, correctionem, Cathedrales, & ut possit ac valeat in dicto Monasterio & Personis ejus libere exigere & præcipere, & uti eisdem contradictione qualibet non obstante. In quorum omnium fidem & testimonium ac robur perpetuæ firmitatis præsentes nostras litteras per discretum Virum Bosonem de Rzobelse Notarium publicum Secretarium nostrum familiarem continuum & Commensalem subscribi & publicari mandavimus signo & nomine solito consueto una cum appensione sigillorum nostrorum jussimus communiri. Acta sunt hæc anno Domini Millesimo trecentesimo octogesimo nono Indictione duodecima die 2da Mensis Februarii hora inter Missarum Solemnia Pontificatus Domini Nostri Urbani Papæ Sexti anno undecimo in Monasterio Wittingow, alias in Trebon supradictis præsentibus Nobilibus Baronibus Dominis Joanne & Henrico Juvene de Rosenberg, Bossone Archi-Diacono Bechinensi in Ecclesia Pragensi, Wenceslao Rectore Parochialis Ecclesiæ in Lomnitz Fratre Mathia Canonico Regulari Monasterii Rudnicensis & aliis multis testibus ad præmissa vocatis fide dignis.

Et ego Boso supradictarum litterarum Apostolicarum præsentationem, petitionem, inquisitionem, comparationem, decretam Suppressionem Præposituræ, Creationem Abbatiæ Canonicali statuto protestationem receptionem, provisionem, præsentationem, commissionem, impressionem Mandati Juramenti receptionem & reservationem omnibusque aliis & singulis supradictis, dum sic per antedictum Reverendissimum in Christo Patrem & Dominum D. Joannem Archi-Episcopum Pragensem Apostolicæ Sedis Legatum Commissarium, & coram eo fierent, & agerentur una cum antedictis præsentibus suis testibus eaque omnia & singula sic fieri vidi, & audivi &c. &c.

Anno 1515. inter potissimos Boëmiæ Status Ecclesiasticos seu Proceres, ac Prælatos ad publica Regni Comitia seu Dicetam, uti vocant, a Ladislao Rege indictam etiam Venerabilem Dominum Stephanum Monasterii Trebonensis Abbatem fuisse specialiter vocatum & invitatum, constat ex copia sequenti: Joannes Zœck Archi-Episcopus Pragensis Authoritate Apostolica per Venerabile Capitulum Administrator, Præpositus Litomerzicensis artium liberalium & Decretorum Doctor Reverendo in

Chriſto Patri & Domino Domino Stephano Monaſterii Trebonenſis Can. Reg. Ordinis S. Auguſtini, cæterisque ejusdem Ordinis Prælatis Salutem in Domino Sempiternam &c. Noveritis, Nos cum cæteris ad hoc ſpecialiter a Venerabili Capitulo Eccleſiæ Metropolitanæ ſupradictæ ipſius ac totius Diœceſis nomine propter fidei Catholicæ & Eccleſiaſticæ Libertatis ſupremas pene neceſſitudines ad Celeberrimum Principum tam Eccleſiaſticorum quam Sæcularium cum Cæſarea Majeſtate Conventum in Vienna nuper ſub præſentis menſis diebus celebratum deſtinatos, & ſpecialiter ad Reverendiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum Dominum Thomam Tit. S. Martini in Montibus Presbyterum Cardinalem Strigonienſem ac Conſtantinopolitanum Patriarcham Legatum a Sede Apoſtelica fuiſſe, ubi negotia nobis a præfato Venerabili Capitulo nomine ipſius & totius Diœceſis commiſſa fideliter expoſuimus non ſolum coram dicto Domino Legato, ſed etiam coram Cæſarea Majeſtate, & Hungariæ, Boëmiæ, Poloniæque Regibus, ac Reverendiſſimo D. Dno Gurcenſi Cardinali, & ad partes Germaniæ ſub Imperio Cæſareæ Majeſtatis Sedis Apoſtolicæ Legato &c. quæque reſponſa obtinuimus, neceſſario judicamus Veſtræ Paternitati ac Cæteris veſtri Ordinis Prælatis tam Abbatibus quam Præpoſitis inſinuanda. Quare hortamur Veſtram Reverendam Paternitatem & per eam cæteros, ut præmittitur Prælatos dicti Ordinis, requirimusque quatenus ſemota omni exceptæ corporalis infirmitatis excuſatione ad diætam per Regiam Majeſtatem in Caſtro Pragenſi, prout promulgabitur univerſis & ſingulis omnium Ordinum terrigenis celebrandam perſonaliter venire non poſtponatis &c. Ex Pragenſi Caſtro die 10. Auguſti anno Milleſimo quingenteſimo decimo quinto præſentibus in fidem Officii noſtri ſigillo communitis &c.

Tandem non tam temporum iniquitate, quam execranda lue Huſſitica per univerſum Boëmiæ Regnum fortiſſime graſſante, Regularis hæc Canonia & Abbatia Trebonenſis a nemine defenſa cæpit ab ipſismet primorum piiſſimæ memoriæ Fundatorum Poſteris aliquot multifariam infeſtari, quousque demum ab ultimis eorundem ſurculis ſeu Succeſſoribus genuina ſerie poſtremis ipſum hoc ſæpefatum Trebonenſe Monaſterium penitus devaſtatum quaſi in nihilum abiit & evanuit videlicet queisvis bonis & poſſeſſionibus illius ad manus impiorum abreptis, ſed & Archivio Domeſtico in totum ſimul expilato, quod non nemo quidem unice domeſticis Clauſtralium Canonicorum diſſenſionibus attribuit, verum cum aliunde ſatis conſtat nefarios Roſenbergenſes illos potiſſimum excitaſſe ſimul ac ſtudioſe foviſſe nefandas hujusmodi Clauſtrales diſcordias ac rebelliones, longe magis credibile cenſetur deplorandam adeo ſacrilegæ devaſtationis hujus principalem cauſam fuiſſe ſacrilegam Roſenbergenſium Antedictorum ſitim atque immenſum quo continuo flagrabant deſiderium rapiendi quævis Monaſterii bona ac latifundia. Subverſo autem Monaſterio temerarius invaſor illius Wilhelmus de Roſis, ſeu Roſenbergius ad Verificandas & adimplendas Majorum ſuorum imprecationes infelici prorſus fato, & quidem absque hærede deceſſit, & Succeſſor illius unicus Petrus de Roſis iniquus bonorum Monaſterii raptor pariter omnis prolis expers & exſpes fuit extinctus, imo quod pejus etiam ab avita Parentum ſuorum Religione turpis Apoſtata factus miſerrime vitam finiit temporalem, nunquam ingreſſurus æternam. Unde in & cum ipſo antiquiſſima ſimul ac celeberrima Roſenbergenſium familia penitiſſime fuit extincta, ac terris prorſus abrogata. Verum quod res eſt ad noviſſimam modo deflectamus Trebonæ reſtaurationem, quam R. P. Boleslaus Aloyſius Balbinus Soc. Jeſu in vita Arneſti ſanctæ memoriæ Archi-Epiſcopi Pragenſis lib. 3. cap. 3. pag. 245. taliter infert exaratam: Trebonenſe Cœnobium opera R. P. Adami Krawarsky (ejusdem Societatis Alumni) fuit recuperatum. Res ita contigit, quam in vita ejusdem Venerabilis Patris narratam huc transfero. Trebonam miſſus erat circa annum 1626. ad animas Chriſto lucrandas felici, uti ſemper ſucceſſu; nam ibi quinque hominum millia ad fidem reduxit. Trebonæ dum eſſet, Senatu univerſo ſequente civitatem perluſtrabat, & perambulabat, forte ad locum quemdam deſertum deveniunt, in quo ruinæ, minæque murorum ingentes pendebant. Senes, qui aderant, rogati quid eſſet? Monaſterium hic ante Huſſitica tempora ſtetiſſe, reſpondent: Succedit Pater, ut aliquod Religionis noſtræ veſtigium videre, atque oſtendere Senatui poſſet; inveniunt januam quandam in parte ædium introducentem, ſed eam Clauſam, & ferro probe munitam; jubet Pater Serrarium fabrum advocari, & aditum facere; id cum factum eſſet vident omnes ſpatioſiſſimum & ſpecioſiſſimum, ut apud Catholicos eſſe ſolet, ſacrarium; Eccleſiaſtica ſupellex optime compoſita, Caſulæ, Manipuli, Stolæ, Albæque, ut vocant, omnia quaſi jamjam ſacrificaturis parata, cum omni apparatu Templorum. A ſæculis pluribus ita jacuiſſe ipſa antiquitas argumento fuit: etſi enim in ſpeciem integra videbantur, victa & corrupta erant omnia, materiæque ſericæ omnes, ut narrabat P. Adamus, velut prunarum exuviæ, & cine-

res

res difflabantur, flatuque peribant. Laudare dein ſolebat divitias illas, & brevem pulchritudinem Pater, multumque hodiernis templorum ornatibus præferebat. Nam auro & Phrygio opere confectæ ſacræ veſtes, in ſtellarum modum lucebant. Res hæc omnibus ſpectantibus admirationi fuit, affirmabantque periti, toto Monaſterio in flammas abeunte, hanc unam Cellam ſine dubio, ſacrilegas Ziſcæ manus evaſiſſe. Totam hujus ſpectaculi ſeriem Regi Ferdinando Viennam P. Adamus perſcripſit. Negotium ille rurſus R. P. Wolfgango Sylvano, Rectori Collegii Crumlovienſis dedit, in Monaſterii antiquitatem & jura, ſi quæ eſſent, inquireret, & primo quoque tempore ad ſe mitteret. Factum diligenter & continuo, eodem agente, Rex hunc Monaſterii locum, & bona circa Trebonam, quæ a Dominis occupabantur, Canonicis Regularibus S. Auguſtini juſſit reſtitui juxta reſcriptum Reverendiſſimo ac Ampliſſimo Domino Bernardo Præpoſito Clauſtro-Neoburgenſi directum ſub dato Viennæ in Auſtria die 15. Februarii anno 1631.

TREVIRENSE,

Collegium Metropolitanum antiquitus Regulare Inſtitutum ſuum juxta Sacros Canones Apoſtolicos ſeu Auguſtinianos continuo ſacroſanctum habuiſſe præ reliquis demonſtrat Raderus in Bavaria Sancta vol. 2. fol. m. 248. ubi de antiqua Regularitate in celebrioribus noſtræ Germaniæ Superioris Eccleſiis quondam uſitata verba faciens, Trevirenſem hanc primariam & alias quasdam in exemplum adducit, pro confirmatione dictorum allegans Trithemium Abbatem in Hiſtoria ſeu Chronica Hirſaugienſi ad annum Gratiæ 956. taliter ſcribentem. *Eodem anno moritur Rupertus Archi-Epiſcopus Trevirenſis, cui Henricus ſucceſſit, qui Regulares Officinas & Clauſtrum S. Petri* (Eccleſiæ Metropolitanæ contiguum) *conſtruxit, & Regulam Canonicam ibi ſervari præcepit. Hæc eſt major Eccleſia Trevirenſis, in qua hoc tempore ſicut in cæteris antiquis Eccleſiis Canonici ſecundum Regulam eis propoſitam in communi vivebant unam habentes menſam, unam Burſam, commune Dormitorium, ſicut hodie inter nos* (Monachos) *juxta normam nobis propoſitam converſamur &c.* Quæ verba ſignanter de Regula S. P. N. Auguſtini eſſe intelligenda amplius docet idem Raderus ante citatus, ubi & hæc ſubdit: *Olim plerique omnes ſummæ ædis Canonici S. Auguſtini leges & vivendi regulam ſecuti ſunt.* Sed præſtat amplius audire Trithemium ante citatum prout ſequitur: *Eodem anno* (977.) *moritur Theodericus Archi-Epiſcopus Trevirenſis, ſub quo Canonici majoris Eccleſiæ ibidem abjecta regulari vita, quam hucusque in eadem Eccleſia Majores eorum continuaverunt, deſierunt eſſe Regulares, & facti ſunt, & nomine, & re, & converſatione Sæculares, quorum exemplo mali Canonici quoque S. Paulini Trevirenſes, S. Caſtoris in Confluentia, Moguntinenſes, Wormatienſes, Spirenſes, & complurium Eccleſiarum diverſis quidem temporibus, ſed uno pietatis ſpiritu regularis vitæ communitatem abjecerunt &c.* Et ſic ille, cujus verba quam frivolo etiam conatu in partem ſuam torquere ſatagunt Neophyti quidam Hiſtoriographi Monachi conſideranti obviam patet. Præterea quoque in ſæpedicta hac Metropolitana Trevirenſi Eccleſia Inſtitutum Canonicum ſub Regula D. Præſulis Auguſtini jam circa tempora Abrunculi (qui Trevirorum Archi-Epiſcopus numero 46tus mortuus deceſſit anno Chriſti 515.) maxime floruiſſe, refert Mauburnus noſter in Venatorio citatus a Gabriele Pennotto in Hiſt. Tripart. lib. 2. cap. 39. num. 12. Vide etiam Magnum Chronicon Belgicum de antiquo Statu Eccleſiæ hujus Trevirenſis; ubi fol. 83. ita habetur: *Venerabilis Henricus hujus nominis primus poſt Rupertum creatus eſt Septuageſimus ſecundus Archi-Epiſcopus Trevirenſis anno Domini 960. Pontificatus Joannis Papæ XII. anno tertio, præfuit annis 16. Iſte Regulares Officinas & Clauſtrum circa majorem Eccleſiam conſtruxit, & rigorem Regularis Congregationis ibidem decrevit exerceri &c.* Item Nebridium noſtrum in Antiquario Monaſtico Epiſt. 138. fol. 638. de antiquo ſtatu Metropolitanæ hujus Trevirenſis ita diſſerentem: Henricus Archi-Epiſcopus (anno 964.) terreſtrem mortalitatem exutus) Reformator egregius ſuos Canonicos ad priſtinam diſciplinam ſtrenue incitavit. Verum nactus malum Succeſſorem, ſub quo Religio iterum intepuit, & Canonici remiſſiores facti ſeſe rebus & negotiis ſæcularibus miſcere cœperunt. Non tamen ideo ſtatim deſierunt eſſe Regulares, nam in Epiſtola apud Gretſerum reperio eos adhuc ſub Paſchali II. qui obiit anno 1118. vitam vixiſſe communem &c.

TREVIRENSE

Alterum Clericorum Regularium Collegium, *S. Paulini* nomen accepit, antiquitus Clauſtrale quidem Domicilium ſeu Monaſterium, hodie vero Sæcularium Canonico-

nicorum contubernium, de cujus immutatione seu Status Regularis in Sæcularem translatione jam ante dictum est. Fundatio illius sane est antiquissima Authore namque S. Felice Summo Trevirensium Antistite hujus nominis secundo, qui sub annum gratiæ 392. cœlis immigravit primitus cæpta, atque ab eodem in honorem S. Paulini Trevirorum quondam Episcopi jam antehac, & quidem sub annum 363. pro fide Catholica apud Phrygiam in exilio constantissime tolerato, beata morte sublati, cum proprio templo splendide satis ædificato, plenarie consummata. Marcus itidem Supremus Trevirensium Episcopus, qui Pontificatum suum ad annum Christi 442. protraxit, memoratam S. Paulini Ecclesiam aliquando a Barbaris hostiliter excisam in integrum restituit; cui etiam jam prius Felix Fundator antedictus venerandas ejusdem S. Paulini Episcopi & Martyris reliquias intulit.

TREVIRENSE

Tertium Regularium itidem Canonicorum Collegium *S. Simeonis* inaudit; cujus primarius Author & Fundator fuit S. Poppo ex antiquis Austriæ Marchionibus Archi-Episcopus Trevirensis: Qui devotionis causa in Palæstinam profectus Monachum quemdam Simeonem (cujus nomen celebre habetur Martyrologio Romano inscriptum Calendis Junij) non tantum viarum optime peritum sed & Regionum ac Urbium admodum gnarum sibi in comitem itineris assumpsit, eundemque secum in Germanias deduxit, atque ad instantiam illius magnificum adeo templum cum adjuncto Clericorum Cœnobitalium Collegio in honorem S. Michaëlis Archangeli in ipsa Trevirensium Metropoli propriis impensis apparavit: In quo eodem, quia S. Simeon antedictus à morte sua cœlis receptus post annos secundum corruptibile corpusculum suum fuit repositus, paulatim ab eodem denominari cœpit; imo etiam Poppo Fundator terrestrem mortalitatem exutus in novo hujusmodi S. Simeonis templo sepeliri voluit, & quidem anno Christiano supra Millesimum, vel (ut asserit Antonius Albicius in Stemnat. Christianorum Principum fol. 13.) quadragesimo sexto, vel (uti refert Laurentius Beyrlinck in Theatro Vitæ Humanæ tom. 3. fol. 217.) tricesimo septimo sui Pontificatus quadragesimo secundo &c.

TREVIRENSE

Quartum paris quidem Ordinis Regularis, discrepantis tamen Sexus domicilium, seu Venerabile Congregationis Windesimensis Parthenæum, etiamnum in ipsa Archi-Episcopali Civitate Trevirensi florentissimum, atque istud *S. Agnetis in Monte Angelorum* intitulatum, primum cæpit Authore Arnoldo inter Summos Hierarchas Trevirenses octogesimo septimo, eoque sub annum gratiæ 1188. vinculis carnis enodato, Joannes e Marchione Badensi dignissimus Antistes & Elector Trevirensis, qui in diebus suis toto imperio fuit spectatissimus, & ab anno 1436. usque 1505. diutissime præfuit, Virginale Cœnobium istud apprime reformavit, cum enim ipse antedicta Windesinensium Congregatione tum temporis omnino celeberrima oppido florere comperisset, æque Viros rara vitæ sanctitate conspicuos, ac fœminas seu Vestales merissimo virtutum decore fulgdissimas, domicellis prioribus in totum exesse jussis, novam Canonissarum Regularium coloniam isthuc accersiri fecit; & quidem e Parthenone Vallis Angelorum apud Bonnam in Archi-Diœcesi Colonienſi petitam, Venerabili ac Religiosissima Domina Agnete Molenheimia in novam loci Priorissam Authoritate Archi-Episcopali constitutam. Idem quoque Religiosissimus Reformator Joannes Archi-Episcopus sancivit, & communem Regularium Virginum, seu Sanctimonialium istarum curam in Spiritualibus deposthac habere voluit Canonicos Everhardo-Clusanos itidem memoratæ Congregationis Windesimensis alumnos, proprio quodam Diplomate in id emanato, sub dato Ehrenbrechsteinii Calendis Septembris anno 1460.

TRIDENTINUM,

Seu percelebre quondam in ipsa Episcopali, Civitate Tridentina apud Tirolenses Canonicorum Regularium Cœnobium, communi nomine suo *De Coronatione Beatæ Mariæ Virginis* appellatum, quoad primam genuinæ suæ Fundationis Historiam nobis usque modo manet incognitum; meminit tamen Regularis olim Canoniæ hujus Adamus Comes à Brandis in novo suo Chronico Tirolensi part. 2. fol. 19. ubi & refert Innocentium secundum Pontificem Maximum, Instituto Canonico utcunque demum isthic loci suppresso, sub annum 1225. locum tradidisse Equestri Ordini Teutonico B. Mariæ Virginis; quod tamen quoad relationem temporis plane præposterum est, & erro-

erroneum, siquidem Innocentius Pontifex iste jam longe prius videlicet ab anno 1130. usque 1143. Romanæ Ecclesiæ Pontificatum gessit; si tamen hujuscemodi seu recensita Canonici Ordinis immutatio (secundum allegata) in annum 1225. incidit, tunc pro Innocentio II. Honorius III. in id nominandus erit; is enim tum temporis in Petri Cathedra resedit. Cæterum Waltherus quidam Tridentini Monasterij hujus Præpositus Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini in diebus suis & in officio suo præclarus cum pluribus aliis Statibus Ecclesiasticis seu Episcopis ac Prælatis Regularibus æque ac Sæcularibus Diœcesanæ Synodo Tridentinæ sub annum 1129. celebratæ interfuisse coram, legitur loco citato.

TRIEFFENSTEINIUM

Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini percelebre temporibus nostris Diœcesis Herbipolensis Monasterium, à Gabriele Bucelino in Germ. Sacra fol. 173. perperam *Driffelsteinense* nuncupatum, in Francia Orientali ad Mœnum fluvium, tribus ab Herbipoli seu Würzburgo Provinciæ Metropoli Milliaribus sejunctum, supra præcelsam rupem perstat inædificatum, ubi omne illius ædificium à transeuntibus gratissima oculis venustate suspicitur, non ut Religiosorum Virorum habitaculum, sed potius ceu sæcularis cujusdam Principis Palatium, sane nemini non mirandum; quod antiquioribus sæculis, priusquam fundus iste in Monasterium assurrexit, communiter *ad Saxum*, seu Teutonice *zum Stein* appellari consuevit ab aquis, nimirum quæ a cavernis & ipsa fontis (vulgo *Bauderbronn*) propria scaturigine *Petræ Stillantis*, seu vernacula lingua *Trieffenstein* nomen accepit, cujus genuina origo & institutio uni soli cuiquam attribuenda non est, sed in partem hujuscemodi fundationis vel plures etiam venerunt Benefactores, seu Confundatores, quorum tamen mage præcipuus, potior & primarius fuit Prænobilis quidam Herus, dives admodum & locuples, & is quidem statu suo Clericus Collegiatæ Herbipolensis Ecclesiæ ad S. Joannem Apostolum & Evangelistam Canonicus & Decanus nomine Gerungus, circa initium sæculi undecimi in officio suo præclarus, unice nefandi illius (contra Paschalem II. legitimum Pontificem susciti) schismatis declinandi causa simul ac immenso quasi Religiosæ solitudinis desiderio intensissime flagrans, ad *Petram stillantem* isthuc confugit, ubi antiquioribus sæculis ædicale quoddam seu parvum sacellum constitit Apostolorum Principi sacrum, cui ipse Gerungus parvum item domicilium adstruxit, eique constanter immorans, se Superno Numini & legitimo illius in terris Vicario seu Romano Pontifici devovens passim ab omnibus *Obedientiæ Apostolicæ Sacerdos* appellari meruit, qui & juxtim admirando prorsus suæ Sanctitatis exemplo plures Socios in sui imitationem attraxit, æque Nobiles ac ignobiles; e quorum piis oblationibus, possessionibus & patrimoniis sensim *Trieffensteinense* Monasterium istud cœpit, & assurrexit; cui loci etiam Ordinarius, seu Aynhardus ex Comitibus Rottenburgo-Tuberanis Herbipolensis Episcopus (juxta calculum Bruschii de Episc. Germaniæ tom. 1. cap. 9.) numero & ordine XXII. electus anno 1088. tum anno 1104. tertio Calendas Martii huic sæculo defunctus, confirmationis munus, Authoritate ordinaria solidatum addidit, simul, ac diversa quædam latifundia in vicino pago Lengsfurt situata tradidit districtissime vetans: *ne cuiquam hominum liceat manentes vel mansuros in loco Trieffenstein mutare, vel amovere, vel in datis aut dandis adversari, vel turbare &c.* Item Rupertus Aynhardi antedicti in Cathedra Herbipolensi Successor proximus nova recensitam confirmatione fundationem ratam, gratamque habuit, eidemque fundos alios aliquot, gratuitæ donationis titulo, superaddidit; tum Erlongus, vel (juxta mentem Bruschii) ex Comitibus a Calow progenitus, vel (uti habent Annales Domestici) ex Nobili Familia Equitum a Trenndorff oriundus, post Rupertum antememoratum Successor in Episcopali Sede Herbipolensi proximus, qui ab anno 1106. usque 1122. Pontificatum gessit, itidem novis aliis donationibus primam fundationem nobiliter augmentavit, ac copiosiorem reddidit; & sic denique plures (quorum nomina protractu temporis interciderunt) alii Provinciæ Reguli, vel olim Trieffensteinio Benefici extiterunt.

Syllabus

Reverendissimorum DD. Præpositorum Canoniæ Trieffensteiniæ.

I. GERUNGUS in antiquioribus monumentis *Vir nobilis & quo ad Sæculum locuples* nominatus; idem prius Collegiatæ Ecclesiæ Herbipolensis ad S. Joannem Apostolo-

poſtolum & Evangeliſtam Sæcularis Canonicus & Decanus, primus ab Ordinario ſuo Aynhardo è Comitibus Rottenburgo-Tuberanis Epiſcopo Herbipolenſi anno ſupra Milleſimum centeſimum ſecundo Authoritate Ordinaria in primum novæ Trieffenſteinenſis Canoniæ hujus Præpoſitum conſtitutus, in Regimine Clauſtrali laudatiſſime provixit annis fere ſexdecim, exinde poſt terreſtrem vitam ſanctiſſime traductam cœlis aſſervatus anno Chriſtiano 1118. die 8. Maij.

II. GERTBODO Vir admodum Zeloſus anno 1118. electus, confirmatus 1119. 12. April. etiam à Calliſto Papa II. ſuppliciter expetiit, quam & feliciter obtinuit Apoſtolicam Monaſterii & Ordinis ſui Canonico-Auguſtiniani confirmationem perpetuis futuris temporibus duraturam, & hanc quidem ſub pœna diri anathematis & interminatione extremi judicij temerariis contradictoribus infligenda denuntiatam, cujus tenor ſequens eſt: *Calixtus Epiſcopus* Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Gertbodoni Præpoſito & cæteris Fratribus in Trieffenſteinenſi Eccleſia S. Petri Regularem vitam Profeſſis, tam præſentibus quam futuris in perpetuum. &c. Præceptum Domini habemus: Intrate per anguſtam portam, quia anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam. Quia igitur vos, O Filii mei in Chriſto Chariſſimi per Divinam gratiam aſpiratis mores veſtros ſub Regularis vitæ Diſciplina coërcere, & ut anguſtam portam ingredi valeatis, communiter ſecundum SS. Patrum inſtitutionem Omnipotenti Domino deſervire propoſuiſtis. Nos votis veſtris Paterno congratulamur affectu. Unde etiam veſtris petitionibus benignitate debita impertimur aſſenſum. Vitæ namque Canonicæ ordinem, qui in veſtra eſt Eccleſia inſtitutus, præſentis Privilegii Authoritate firmamus ſtatuentes, ut in loco eodem Canonica Regulæ Diſciplina perpetuo maneat & ſervetur, neque omnino alicui Perſonæ Facultas ſit eundem ulterius Ordinem in veſtra Eccleſia immutare. Vobis itaque veſtrisque Succeſſoribus in eadem Religione manſuris, ea omnia perpetuo poſſidenda firmamus, quæ in præſentiarum pro communis victus ſuſtentatione legitime poſſidere videmini, & quæcunque in futurum, largiente Deo, juſte atque Canonice adipiſci poteritis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat eandem Eccleſiam temere perturbare, aut Poſſeſſiones ejus aufferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare: Sed omnia integre conſerventur, eorum, pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Salvo Würceburgenſis Eccleſiæ jure, ac debita reverentia. Ad judicium autem perceptæ hujus à Romana Eccleſia libertatis aureum unum quot annis Lateranenſi Palatio perſolvetis: Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica Sæcularisque Perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit, ſecundo, tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honorisque ſui dignitate careat, reamque ſe Divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à Sacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini noſtri JEſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit Pax Domini noſtri JEſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud Diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. Anno 1123.

Ego Calixtus Cathlcæ Eccleſiæ
Epiſcopus.

Inſuper quod notandum ſpecialiter venit in hac Bulla, eſt, quod ipſa habeatur in pergameno deſcripta cum ſigillo plumbeo, rotundo, pendente ex funiculis ſericis, ex cujus una parte facies SS. Petri & Pauli impreſſa, ab altera parte verba hæc: *Calixtus Papa ſecundus.* Obiit autem Gertbodo Vir ille admodum Zeloſus anno 1129. die 2. Februarij.

III. HERTRICUS ob ſincerum animi candorem paſſim in omnes apertiſſime demonſtratum ab Ordinario ſuo (qui fuit Ennbrico Herbipolenſis Epiſcopus ab anno 1131. usque ad annum 1147. in Paſtorali munere ſuo præclarus) in Litteris Familiaribus *Monaſterii Pater*, & *Filius in Chriſto dilectiſſimus* appellari promeritus. Claruit circa annum 1146. toto regiminis ſui tempore à Religioſis Con-Canonicis ſuis ſpecialiter amatus & honoratus. Sub hæc tempora etiam Trieffenſteinenſe templum luctuoſo incendio corruit, ita, ut bonus Præpoſitus pie in Domino Defunctus nec tumulum in ſua Canonia obtinere poſſet, ſed ob defectum loci benedicti in Sacello Unter-Witbacenſi à ſe noviter extructo tumulari debuerit.

IV. FOLLEMARUS, Vir doctus quidem & ſapiens, ſapiens tamen juxta aliquos ultra ſobrietatem, præter cæteros enim errores, quibus infectus erat, in hunc etiam Elipandi, vel Neſtorii, de Perſona & Adoptione Chriſti incidit; *quem etiam, cum in Bavaria diſſeminare tentaret, occurrerunt duo ex Bavaria Monachi non indocti,*

alter

alter Gerochus, ſeu Gerobus Monaſterii Reicherſpergenſis Præpoſitus (de quo plura jam ſupra) *alter ejusdem Monaſterii Decanus* (& Germanus Frater Gerochi Adam nomine) *quorum iſte proprium & vaſtum volumen adverſus Follmarum hunc conſcripſit; ille in opere, quod de inveſtigatione Antichriſti indigitavit, Follmarum quoque refellere haud omiſit. Utrumque opus extat in Boicis Bibliothecis; utrumque lucem meretur.* Ita Petrus Stevartius in Bibliotheca maxima PP. tom. 23. fol. 239. Negaſſe præterea dicitur communem Eccleſiæ doctrinam de corpore & ſanguine J. C. in peculiari ad Eberhardum Salisburgenſem Epiſcopum, Epiſtola, quem tamen errorem in alia Epiſtola, quæ cum aliis à Jacobo Gretſchero, editis reperitur ad calcem *Scriptorum Coætaneorum adverſus Waldenſes.* Ingolſtadii 1613. in 4to.

Cæterum utut erroribus erat implicitus Follmarus, propriam tamen Eccleſiam ſuam foracibus flammis, ut ante dictum eſt, abſorptam, pro poſſe reſtituit, & pagum in Miechenrieth obtinuit. Ad plures abiit 13. Aprilis anno 1181.

V. GODEFRIDUS electus anno 1181. 21. Junij iniquiſſima ſuſtinuit tempora, dum ſcilicet Canonici Clauſtrales id ævi nimio timore perculſi, ſimul violenta vicinorum Regulorum infeſtatione coanguſtati, plures Poſſeſſiones ſuas vel inviti alienarunt. Vixit autem Godefridus iſte miſeriarum ſatur anno 1203. 2. Februarij.

VI. ALBERTUS electus & confirmatus 1203. 4. Martij. obiit anno 1228. 4. Febr. quo tempore Deo Ter Optimo Maximo æquo Judice permittente, turbulentiſſimum fuit hoc Sæculum non ſolum quoad Statum ſeu Dominium Imperiale, ſed vel maxime etiam quoad Regimen Eccleſiaſticum ſeu ſpirituale, dum ſcilicet Germaniæ noſtræ Epiſcopatus & potiora Collegia Clericalia fuerunt ab alienis ſacrilege detenta; quo miſerabili fato etiam Trieffenſteinium per 50. annos manſit ab inimico homine violenter occupatum, & poſt bona alienata, alienaque contracta debita vix non omnino deſtructum eſt.

VII. FRIDERICUS I. factus Præpoſitus anno 1282. laudatiſſime præfuit, & poſt longævas maximarum perſecutionum procellas utcunque ſedatas totum Cœnobium ſuum in utroque ſtatu pro poſſe ſolerter reſtituit, dum ſcilicet rebus omnibus novam faciem ſuperinduxit optimus ſane Paterfamilias, qui & diverſa quædam bona legaliter coëmiſſe legitur. Præſtitit annis 37. fatis conceſſit 1319. 7. Martij.

VIII. CONRADUS I. Benedictinus unde unde tandem ad vacantem Præpoſituram Trieffenſteinenſem accitus, eo quo intravit, illo ipſo iterum exivit, ſeu morte naturali defecit anno 1319.

IX. WOLFRAMUS Clauſtrale regimen adminiſtrandum ſuſcepit anno 1319. 20. Octobr. Vir admodum induſtrius utpote in rebus agendis tam ſpiritualibus quam temporalibus per omnia peritiſſimus, qui & quævis nova & antiqua Monaſterii ſui jura ac privilegia reiteratis vicibus confirmari fecit, quod Authoritate Ordinaria præſtitit Celſiſſimus ac Reverendiſſimus S. R. I. Princeps ac Dominus D. Otto Epiſcopus Herbipolenſis anno 1340. conſecutus eſt idem Wolframus Præpoſitus a Joanne Papa XXII. Bullam Apoſtolicam contra quosvis temerarios Bonorum Eccleſiaſticorum invaſores clementiſſime datam; ex quo tempore Trieffenſteinium usque hactenus tot variarum perſecutionum fluctibus plusquam miſerabiliter agitatum, velis navigavit proſperioribus. Nova etiam idem Wolframus Præpoſitus cum prævio Capitularium ſuorum aſſenſu condidit Statuta Clauſtralia, quæ eadem Wolframus Nobilis Heros a Grumbach Princeps & Epiſcopus Herbipolenſis Authoritate Ordinaria legitime confirmavit. Obiit Wolframus poſtquam Canoniæ per 33. annos laudabiliſſime præfuit, anno 1354. 30. Maji.

X. WARTWINUS usque ad annum 1359. plusquam laudabiliter ad clavum ſedit, plures controverſias utcunque demum obvenientes ad plenam invicem litigantium ſatisfactionem feliciſſime compoſuit, nonnulla item bona immobilia pro meliorando temporalis œconomiæ ſtatu ſollicite coëmit. Obiit 28. Junii.

XI. CONRADUS II. Loſchart cognominatus ſexagenario major electus 1359. 9. Julii, Clauſtrale ſceptrum tenuit, & durante regimine ſuo plura quædam latifundia emptitie comparavit, deſuper evocatus ad plures abiit anno 1384.

XII. CONRADUS III. Fuchsſtat ita cognomine ſuo dictus, diverſos aliquot fundos legitima emptione juris ſui fecit, item & litigia paſſim obviantia ad votum omnium feliciter expedivit. Deceſſit anno 1409. 9. Jul.

XIII. EBERHARDUS Nobilis ab Hettersdorff, vel unum curtile in propriam poſſeſſionem emit, & nedum expleto regiminis ſui biennio morte naturali deceſſit anno 1411. 28. Octobr.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XIV. CONRADUS IV. Zaunſperger cognominatus plures controverſias præſertim in cauſa Patronatus paſſim obortas ſingulari doctrina & induſtria ſua feliciſſime ſopivit, quævis item Monaſterii ſui jura ac privilegia nova Epiſcopali confirmatione ſolidari fecit, quod Joannes a Brun id temporis Summus Antiſtes Herbipolenſis peregregie præſtitit. Pertulit etiam idem Conradus Præpoſitus iteratum Eccleſiæ ſuæ Trieffenſteinenſis incendium, quod tamen tota ſolicitudine ſua feliciter emendavit, & in integrum reſtituit. Obiit anno 1417. 3. Jul.

XV. GEORGIUS I. totos 26. annos in impigra ſui muneris adminiſtratione ſolerter explevit; quo perdurante temporum decurſu idem ipſe Religioſiſſimus Præſul cum compluribus aliis Comprovincialibus Regularibus Prælatis a Concilio Baſileenſi, usque id temporis protacto, ſpecialem quandam Bullam retulit, contra quosvis ſacrilegos Bonorum Eccleſiaſticorum raptores & invaſores expeditam; cujus ejusdem Bullæ realis executio Decano Cathedralis Eccleſiæ Herbipolenſis fuit demandata, & ſic quam plura bona immobilia, etiam jam pridem perdita, denuo fuerunt recuperata. Obiit Georgius anno 1449.

XVI. HENRICUS electus anno 1449. 3. Februarii omnes Canoniæ Parochias a Sede Apoſtolica confirmari curavit, & primus Indulgentias pro ſummis feſtivitatibus obtinuit. Obiit anno 1451.

XVII. JOANNES I. Schreck cognominatus usque ad annum 1471. præſedit. Commendatur admodum in actis, Clauſtralia quædam inædificaſſe beneficia, plures item pacifice compoſuiſſe lites & diſcordias Trieffenſteinio diverſimode ſuſcitatas, nec non etiam diverſos coëmiſſe fundos, ut puta vineas, agros, & prata etiamnum modernæ œconomiæ utiliſſima.

XVIII. JOANNES II. de Vach in tabulis appellatus, ædificavit ſacella S. Auguſtini & S. Angeli Cuſtodis nunc diruta. Obiit anno 1476. in proprio templo ſuo Trieffenſteinenſi ante altare B. Virginis Mariæ condigno honore reconditus.

XIX. JOANNES III. cognomento Rheinheld appellari ſolitus, Aſchaffenburgenſis natus, perdurante regimine ſuo reconciliari fecit ſeu de novo conſecrari Trieffenſteinenſem Eccleſiam ſuam, & quidem ſpecialiter in honorem SS. Petri & Pauli Principum Apoſtolorum quod factum eſt Initiatore Reverendiſſimo ac Perilluſtri Domino N. Suffraganeo Herbipolenſi ſub annum Chriſti 1477. Idibus Novembris a quo tempore usque hodie Feſtum Dedicationis Trieffenſteinenſis quot annis de more ſolenniter celebratur dicto die 13. Novembris. Obiit autem anno 1478. 7. Septembr.

XX. VITUS Seuboth, patria Schönfeldenſis mortilogio Domeſtico inſcriptus legitur anno 1483. idem & in actis diverſa quædam bona immobilia coëmiſſe laudatus, præcipue autem cenſus & bona in Carbach, cujus tempore in vigilia SS. Apoſtolorum Petri & Pauli grandines magnitudine ovorum gallinarum & anſerum ceciderunt.

XXI. FRIDERICUS II. Burckard cognominatus de Remlingen, primus chriſmavit, & baptizavit campanam. Vixit adhuc anno 1489. & eodem memorato anno Præpoſituram reſignavit rediens ad Parochiam Trenfeldenſem, cui antea præfuerat.

XXII. PHILIPPUS de Breda natione Belga, fabricæ ſemper amantiſſimus, commendatur admodum plura de novo ſat magnis impenſis ſtruxiſſe ædificia Clauſtralia, qui & idem amare deploratur propter tumultus ruſticanos tum temporis in Germania noſtra paſſim emergentes quamplura ſuſtinuiſſe damna temporalia. Obiit anno 1527. die 17. Aprilis.

XXIII. PETRUS Daubenberger contra vicinos Comites Wertheinenſes aliosque plures quaſi juratos Monaſterii ſui hoſtes ſtrenuus defenſor; juxta tamen amare lugetur pluribus debitis paſſivis, aliis dolis & anguſtiis pro conditione temporum illorum callide fuiſſe circumventus & defraudatus, vixit adhuc anno 1535.

XXIV. MICHAEL Deutel avitam fidem orthodoxam ſeu Religionem Catholicam maxime in pagis & locis Monaſterio ſubditis, a Sectariis Neophitis plusquam fortiter impugnatam, continuo pro viribus ſtrenue defendiſſe oppido laudatus, morte naturali deceſſit anno 1545.

XXV. STEPHANUS, electus anno præfato 10. Sept. vere Vir dolorum dicendus; cujus nempe temporibus, ob novam hæreſin Lutheranam in partibus iſtis adeo prævalentem, maxima fuit Monaſterii hujus deſolatio; ſiquidem duo ſolum vel tres Clerici ad cuſtodiendam Domum Domini manſerunt relicti. Perierat in Petra Stillante

lante omnis forma & decor vitæ Canonicæ, & cum illa simul etiam ruebant temporalia, & quod pejus est hujuscemodi mala usque ad finem currentis sæculi haud sine maximo terrigenarum comploratu fuerunt protracta, heterodoxis interim vicinis & Officialibus Sæcularibus circum circa positis ad hostiles invasiones & deprædationes adeo desideranter intentis. Obiit Stephanus Præpositus miseriarum satur, & de pristino Monasterii sui statu vel utcunque demum recuperando tantum non omnino desperans anno 1564. die 25. Martij.

XXVI. GEORGIUS II. cognomento Schmidt. Sub quo ædes pro Hospitibus *der grosse Bau, anjezo der grosse Pferdt-Stall genannt* ædificatæ sunt. Obiit anno 1575. die 19. Junii.

XXVII. NICOLAUS Ferrarius Nobilis de Madala circumdedit Canoniam muro versus *Rettersheim* & ad plures abiit anno 1589.

XXVIII. JOACHIMUS Werner, de gremio Comprovincialis Cœnobii Heidenfeldensis accitus, Vir quidem, ut apparebat, Germanæ simplicitatis, strenuus tamen Oeconomus & Asceta sane perfectissimus, idem æquissima solius Justitiæ causa captivatus, & ab Heterodoxis Wertheimensibus toto trimestri spatio contumeliose detentus, cum vix liber evasisset ad propria dimmissus, resignavit Præposituram anno 1594. Parochum agens in Trenfeld usque ad annum 1599. quo ad domum suæ Professionis reversus est.

XXIX. LAURENTIUS Sterck primus inter Prædecessores suos Antistites Trieffensteinios ab Ordinario loci Celsissimo ac Reverendissimo Principe Julio Episcopo Herbipolensi Duce Franconiæ &c. donatus Privilegio in officio Divino gestandi pedum Pastorale decessit anno 1599. 25. Julij.

XXX. CASPARUS Bender, Vir simplex & rectus corde, insignis quoque Paterfamilias & Oeconomus, perdurante laudatissimo Regimine suo sat multa diluit æris alieni debita, multaque alia præstitit memoratu dignissima. Diem suum obiit sexto Idus Aprilis anno 1611.

XXXI. JOANNES IV. cognomento Molitor Dettelbacensis. Vix ex Ephebis egressus, & ad sacrum Presbyteratus ordinem promotus, totus quantus fuit in promovenda Proximorum salute, & Regionariis ad caulam Ecclesiæ Romanæ sedulo reducendis, è quibus quam plurimos, atque hos inter etiam Parentem suum ad viam veritatis reduxit, idem ipse interim ea propter ab Hæreticis dirissime vexatus, ob cujus Zelum loci Ordinarius eundem ipsum Joannem suo (quod ab eodem Fundatore Julianæum vocant) Hospitali Herbipolensi ceu digniſſimum Præfectum regendum admovit, cui muneri ipse communi omnium gratulatione novem annis laudatissime præfuit haud communi animarum fructu multipliciter inde reportato, ex quo tempore idem Joannes Presbyter male habere cæpit, morbo Medicis penitus ignoto gravissime nimirum periclitatus, imo & vita longiori passim apud omnes conclamatus est, donec cœlesti visione recreatus in somnis nimirum vidit S. P. Augustinum Episcopum & Ecclesiæ Doctorem habitu Pontificali indutum ad se ingressum, supra pectus infirmum (Phtysicus fuit habitus propter protuberantem & crebriorem sanguinis effusionem) sibi manum imponentem, & blandiusculo ore dicentem: *Ex hac hora sanus eris, vade in Trieffenstein & reforma Fratres meos.* Post quod Joannes è somnio expergefactus, & sibi plenissime redditus, seque per omnia valere optime conspicatus, mox è lecto se proripiens, lætus admodum surrexit, ac Sacellum Domesticum ingressus, Supremo Numini ac Sospitatori suo S. P. Augustino intensissimas grates referens, brevi post ad Residentiam Episcopalem perrexit, ubi Celsissimo Principi Joanni Godefrido sanctæ memoriæ Herbipolensi Episcopo, quæ circa se gesta erant, humillime deposuit, à qua Eadem Celsitudine sua (super rei novitate cunctis interim supra nimis obstupescentibus) post spontaneam Pastoralis officii sui resignationem, etiam ad Petram stillantem pergendi licentiam obtinuit, quapropter continuo Ven. Domino Casparo Regularis Canoniæ Heydenfeldensis Præposito specialiter in id accersito, præsente sæpefato eodem Joanne Godefrido Episcopo sub Sacrificio Missæ à memorato Ven. ac Amplissimo Domino Casparo Præposito, Religiosa veste Ordinis S. Augustini fuit indutus, elapsoque Tyrocinio seu Novitiatu sub annum 1612. die 22. Novembris in novum Præpositum Trieffensteinensem inauguratus, ac mox in suo munere Authoritate Ordinaria confirmatus, continuo cœpit Regulares Canonicos suos sibi in animam commissos strenue reformare, Regularibus Statutis è Monasterio Augustano S. Crucis in id obtentis. Et sic iste Joannes noster Vir plane incomparabilis, de quo Trieffensteinium usque modo sibi gratulatur talem ac tantum meruisse habere Reformatorem, in Politicis æque ac Spiritualibus peritissimum, vere seris temporibus nostris novum Fundatorem

Trieffenſteinium in officio ſuo per omnia ſumme promeritum, qui demum Prælatura ſua biennio ante mortem ſponte dimmiſſa ſeſe totum impendit Religioſis Tyronibus ſeu Novitiis ſecundum Sacros Canones Auguſtinianos ſalubriter informandis: qui & idem Joannes adhuc durante Clauſtrali Regimine ſuo ſævitia Belli Suecici nimium quantum coanguſtatus aliquando Coloniæ Agrippinæ toto fere quadriennio miſer admodum delituit, Religioſis Filiis ac Fratribus illius per Alſatiam, Weſtphaliam, & Tractum Colonienſem hinc inde diſperſis: qui poſtmodum, Guſtavo Suecorum Rege in acie trucidato, domum reverſi deprehenderunt Clauſtralem habitationem ſuam à frequentiſſimis Haſſorum, Suecorum, & Francorum irruptionibus, deprædationibus ac rapinis ceu meriſſimam ſpeluncam Latronum & abominationem deſolationis ex omni parte miſerrime laceratam. Cæterum mors Joannis iſtius incidit in annum 1639. 20. Auguſt. & reſtat Epitaphium illius in hæc verba legendum: *Admodum Reverendus & Religioſiſſimus in Chriſto Pater ac Dominus Joannes Molitor Dettelbacenſis ex Ze'oſiſſimo animarum Curatore, & Julian. Herbipol. Hoſpitalario Monaſteriorum Trieffenſteinenſis & Heidenfeldenſis Præpoſitus meritiſſimus, tandem Viſitator Digniſſimus, imo verius Reſtaurator, ſi non Fundator optimus, Vir omnium virtutum genere Ornatiſſimus ſanctis fractus laboribus pientiſſime obiit 20. Auguſti anno 1639.*

XXXII. OSWALDUS Weiſs, Herbipolenſis, Artium Liberalium & Philoſophiæ Magiſter, anno 1619. ætatis 22. ipſo feſto S. P. Auguſtini Epiſcopi Sacram Regulam Auguſtinianam Profeſſus, ſubinde Romæ in Collegio S. Apollinaris Epiſcopi & Martyris ſublimiores ſcientias edoctus, etiam Magiſtrum Ceremoniarum egit, tum ad Patrios Lares in Germaniam reverſus, in ſuo tamen itinere præpeditus, vel invitus in Alſatiam declinavit, nimirum timore belli Suecici iſthuc delatus, ubi aliquando tempore in Gebenweiler (quod eſt oppidum Superioris Alſatiæ Abbati Murbacenſi ſubditum) Sacellanum egit, ac tandem poſt annos ad Trieffenſteinenſes ſuos redux primum anno 1637. in Vice-Præpoſitum conſtitutus, demum etiam poſt Reſignationem Prædeceſſoris ſui Joannis ſupradicti eidem anno 1639. die 31. Aug. in pleno Prælaturæ Regimine ſucceſſit etiam Authoritate Ordinaria in id pleniſſime confirmatus, omni tempore quoad in Religione vixit, egregius ad populum declamator, ſed vel maxime diſciplinæ Regularis mirificus Zelator, gratia hoſpitalitatis item apprime præditus, Magnatibus Imperii paſſim acceptiſſimus, inter quamplures Viros Principes tam Clericalis quam Laicalis Ordinis, etiam Fabium Ghiſium Nuntium Apoſtolicum Colonienſem, qui poſtmodum anno 1655. die 7. Aprilis in Summum Pontificem electus Alexander VII. inaudiit, nec non etiam Joannem Philippum a Schönboren Archi-Epiſcopum & Electorem Moguntinenſem &c. &c. hoſpitio excepit; Sacriſtiam ſuam paramentis admodum pretioſis, præcipue toto quodam (uti vocant) Ornatu præ reliquis nobiliſſimo, pulcherrimo, liberaliter exornavit, quibus & aliis glorioſe geſtis mortali vitæ valedixit anno Chriſti 1650. ætatis 62. die 26. Septembris.

XXXIII. SAMUEL Mattenklott natione Weſtphalus Regularem Profeſſionem emiſit anno 1629. die 22. Februarii, tum poſt annum 1632. bello Suecico Religioſa manſione ſua dejectus primum apud Belgas in Canonia (quæ de Congregatione Windeſimenſi eſt) Tungrenſi aliquando tempore ſubſtitit, exinde vero apud Regulares itidem Canonicos Aquisgranenſes commanens Primitias Sacerdotales (prius Leodii in Presbyterum ordinatus) de more ſolemni celebravit, ex quo demum ſedata non nihil bellorum tempeſtate deſideranter admodum in patriam remeavit, primum in locis Monaſterio ſubditis munus Parochiale ſolerter adminiſtravit, donec anno Calendis Februarii in Decanum ac poſtmodum die 10. Octobris 1650. in Præpoſitum electus, item die 22. Decembris a Celſiſſimo Principe Joanne Philippo & Epiſcopo Herbipolenſi Authoritate ordinaria confirmatus demum anno 1661. die 8. Decembris primus omnium e Trieffenſteinenſibus Infulam promeruit, idem alias ob congenitam morum ſuavitatem, & amicabilem adeo converſationem nemini non apprime charus & acceptus, dehinc etiam ab Ordinario ſuo Joanne Philippo ſæpedicto Electore Moguntino quandoque Clementiſſime viſitari dignatus, itidem in diebus ſuis & quidem anno 1658. quarto Idus Auguſti ſuſcepit Hoſpitem qualem Trieffenſteinium a prima fundatione ſua majorem non vidit, videlicet Neo-Electum Auguſtiſſimum Rom. Imperatorem Leopoldum Primum poſt electionem ſuam Francofurto ad propria redeuntem. Cæterum ipſe Samuel Præpoſitus communi omnium luctu terreſtri vita ſimul & Præſulari Regimine defecit anno 1671. ætatis 65. die 29. Septembris.

XXXIV. CHRISTOPHORUS Helm Heidenfeldenſis Franco anno 1656. ætatis 21. die 22. Jan. Religioſum Canonicum Profeſſus, poſt vero ſucceſſu temporis in Decanum promotus annis undecim plusquam laudabiliter id munus geſſit, tum anno 1671. die 7. Octobris in Præpoſitum delectus, atque anno proxime ſequenti die 21. Au-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Auguſti ſacro miniſterio Reverendiſſimi ac Perilluſtris Domini D. Stephani Epiſcopi Domitiopolitani & Suffraganei Herbipolenſis juxta morem Inſigniis Pontificalibus inauguratus, jam inter Mitratos Trieffenſteinenſes numero ſecundus conſtanter inclaruit, ſingulari rerum gerendarum prudentia & Religioſa charitate paſſim in obvios quosvis abundanter demonſtrata; Vir fuit ſane ſolidi ſpiritus, & cultus divini ſingularis amator, diſciplinæ Clauſtralis continuo illibate ſervandæ ſemper amantiſſimus, idem ob ingenitam morum ſuavitatem æque ſummis ac infimis acceptiſſimus, Oeconomus etiam peritiſſimus; qui diverſa nimirum ædificia ſedulo reſtauravit, uberes quas admodum ſolerter excoluit, vineas plurimum ampliavit, gratia item hoſpitalitatis perinclytus, quandoque etiam Ordinarium ſuum Celſiſſimum Principem Joannem Philippum Archi-Epiſcopum & Electorem Moguntinenſem, ut & Herculem Viſconti Nuntium Apoſtolicum pro more Coloniæ Agrippinæ reſidentem lætus hoſpitio excepit, ſane Regularis Antiſtes æterna memoria digniſſimus; demum mortali huic vitæ valedixit anno 1686. ætatis 51. die 3. Martii.

XXXV. ADAMUS Dorbert Herbipolenſis electus anno 1686. 20. Martii, infulatus 25. Julii modernam Eccleſiam cum Domo Conventuali verſus Mœnum ædificavit. Obiit anno 1694. 13. Aprilis.

XXXVI. VALENTINUS Bencard, electus anno 1694. 26. Aprilis. Infulatus eodem anno 3. Octobris.

XXXVII. PETRUS Bertſch Iphovianus, electus anno 1707. 22. Martii, ætatis 35. Profeſſionis 12. Sacerdotii 10. Infulatus eodem anno 29. Junii die SS. Petro & Paulo Petræ Stillantis Titularibus dicato. Is ſub Venerabili ac Pereximio Friderico Chriſt Con-Canonico ac Decano, Profeſſore ſuo utriusque Sophiæ naturalis ac Divinæ non iners Alumnus, Theſes ex utraque laudabiliſſime defendit, ſuoque Præſide quartum curſum emetiente, ac de labore quieſcente & ipſe Philoſophiam ac Theologiam laudabiliſſime tradidit. Digniſſimus merito Petrus, ut ſupra hanc Petram Stillantem tanquam ſupra candelabrum poſitus omnibus, quas in privato vitæ ſtatu tanquam ſub modio abſconderat, præluceret virtutibus. Ex facie enim interni animi candor, innocentia ac teneritudo, ex moribus religioſa modeſtia ac humilitas, erga ſuos paternus affectus, erga hoſpites affabilitas, erga omnes charitas, erga pauperes elucet commiſeratio, paucis omnia omnibus fieri amat, & Regulam Magni Legislatoris Noſtri non melius explere cenſet, quam ſe præbendo omnibus omnium bonorum exemplar. Hic Eccleſiam Trieffenſteinenſem ſuam renovari, imaginibus Sanctorum Canonicorum exornari, ſuggeſtum artificioſum erigi, eumque Organum ac Altaria inaurari, Magnificam Præpoſituram, ac ſub ea ſumptuoſam Cellam Vinariam extrui curavit. Hinc omnium Suorum vota Filiorum.

In Petra Petri multos ſta PETRE per annos.
Et quo cæpiſti vivere, perge modo.
Ut PETRUS ad PETRUM per PETRAM aſcendere poſſis,
Qui ſine fine dabit præmia digna tibi.

XXXVIII. GERUNGUS.

XXXIX. JACOBUS. Horum duorum Præpoſitorum nomina mihi innotuere ex *Exegeſi Poëtico-Hiſtorica*, *de Ortu & Fundatione Canoniæ SS. Petri & Pauli ad Petram ſtillantem*, Carmine Epico conſcripta ac edita anno 1742. cum Reverendiſſimus hic Præpoſitus Sacra Infula Solenniſſimo ritu condecoraretur Calendis Maji anno cit. quam illi candidiſſimis votis & vocibus hic gratulamur. Liceat autem, Muſis Trieffenſteinenſibus, ut opinor minime invitis, elegantiſſimam hanc Exegeſin Poëtico-Hiſtoricam huc totam transferre, quæ rebus Canonia hujus Litteratiſſimæ & ſummopere florentis magnam lucem affert.

Exegeſis Poëtico-Hiſtorica de Ortu & Fundatione Canoniæ SS. Petri & Pauli ad Petram ſtillantem.

Carmen Epicum.

MIrificos orſus, variataque tempora *Petræ*
Stillantis, ſuperoque palam dictata Magiſtro
Conſilia, & facili fundata ſacraria nutu,
Præpoſitosque uno ductore evolvere Patres

Aggredior. Tu ſidereis decus addite regnis
Præſes narrandorum operum, cui candida mento
Barba cadit, geminæque micant in pectore claves,
PETRE ſave, moderare tubam, mihi ſuffice vires!
Virginis à Partu, (a) millenis pinguia culta
Meſſibus undarunt; gemina trieteride juncta,
Bis octona orbi quinquennis olympias acta eſt;
Cum pridem Æoliis gemuit ratis icta procellis,
Ancipitique diu confuſa Eccleſia motu
In tenebris errabat, atrox Diſcordia late
(Portentum grave terrigenis, cui ſola voluptas,
Scindere quidquid amor, quidquid natura ligavit)
Fumantes tædas & triſtia buſta parabat.
Claſſica Tænarii Martis de nomine quartus
HENRICUS belli lucrique cupidine fervens
Inſonuit, peſtesque omnes Acheronte vocavit.
GREGORIUS, quem rite ſacris præfecit avitis,
Juraque Romana populis dare juſſit ab arce
Turba Patrum, petitur, ſævisque laceſſitur armis.
GILBERTUM (ferale nefas) cui perfida bella,
Iræque, inſidiæque, & crimina noxia cordi,
Objecit, fovitque feram temerarius Hydram.
Continuo unanimes in prælia currere gentes,
Atque odiis verſare oras; qui jura tuentur
Cæſaris, abſiſtunt Chriſti mala corpore membra:
GREGORIO ſi quando favent, extrema parantur;
Namque per obſtantes pœnas, per vincla, per uncos
Exiliique minas terrentur Martia corda.
(b) Anceps motus erat; mundi pars maxima bellum
Pontifici indicit, Romæ pars jura veretur,
Diſſenſuque orbis variat, ceu murmurat alti
Impacata quies pelagi, dubiumque per æſtum
Laſſa recedentis fluitant veſtigia venti:
Nec minus Æoæ quaſſata tumultibus ora
Francidos, Artauni trepidante è ſede fugatus
(c) Præſul ADELBERO, MAINHARDUS, tumque EGINARDUS
HENRICI ſtudiis intruſi, ſquallidus horror
Franconiam pariterque bonos circumſtetit omnes.
Forte tot inſanis deprenſus fluctibus hæſit
GERUNGUS pietate gravis, meritoque verendus,
Ille idem inſipidos dudum pertæſus honores.
(d) *Eſt locus* antiquo cultu, canaque celebris
Religione. Sacro KILIANUS ſanguine tinxit,
Et Socii tinxere ſuo: Penetralia Divas
Condunt Exuvias auro melioraque gemmis
(e) Dona: Huc lecta Patrum juſſa eſt migrare corona,
Qui placito HENRICI nuper pia limina templi
Principibus PETRO & PAULO, STEPHANOque dicata,
Qui primus Chriſti ſignavit ſanguine fœdus,
Extra urbis coluere ſitum; Queis Regula vitæ
Majorum Canones, unde illis nomen adhæſit.

Fama

(a) Sub annos 1086. & 1087. luctuoſa diſſenſio inter BENEDICTUM VII. & HENRICUM IV. fervebat.

(b) Annus Chriſti 1088. ut inquit Baronius, calamitoſiſſimus Eccleſiæ annus fuit; Hinc Henrico Eccleſiam impugnante, inde Gilberto Antipapa extrema moliente.

(c) Adelbero, qui legitimo Pontifici adhæſit, bis Epiſcopali ſolio ab Henrico Imperatore dejectus fuit.

(d) Eccleſia Novi Monaſterii ad S. Joannem hodiedum celebris ob reliquias S. Kiliani & Sociorum SS. Colonati & Totnani.

(e) Monaſterium ad S. Stephanum, quod hodie incolunt RR. PP. Benedictini, ab Henrico Rottenburgico Epiſcopo Wirceburgenſi ad annum 1028. pro Canonicis in ſuburbio fundatum fuit, & in honorem SS. Petri & Pauli & Proto-Martyris S. Stephani, à quo hodie nomen obtinet, conſecratum. Anno 1057. Adelbero Epiſcopus Wirceburg. tertius ab Henrico Antiſtes Monaſterium prædictum RR. PP. Benedictinis conceſſit, Canonicis ad Eccleſiam Novi Monaſterii intra Civitatem translatis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Fama eſt, innumeris hinc inde tumultibus actum
(f) GERUNGUM hic primas partes tenuiſſe DECANI.
Ille autem fidensque Deo, majorque periclis
Pridem conſpicuam, famulantia vincula, vitam
Faſtidire, aliosque animo verſare labores.
Quo mortale genus, crebris ita vocibus infit,
Quo ruis? aut qua ſpe perituros prendis honores?
Felix qui ſacram celeri pede legit eremum,
Paulique Antoniique lares, dulcesque latebras!
Ulterior tentanda via eſt. Super aſtra feratur
Mens cœlo ſacranda, illis in poſtibus aulæ
Degit honor cingens victricia tempora lauris.
Hæc dum GERUNGUS Dio ſuccenſus amore
Mente frequens curisque agitat, lentasque morandi
Cauſas increpitat, ſocios adjungere cœptis
Aggreditur: ſimul ecce ultro nova ſigna capeſſit
Turba ducem ſectari ardens non degener auſu;
(g) GERTBODUM hos inter memori fama ore notavit.
Ergo ubi ſelecti comites, atque omnia fixa,
GERUNGUS diſpenſat iter, monitisque ſecundis
Tendit Agrippinam tumidis appellere velis:
Jamque urbi cedunt, Mœni jam littora linquunt;
Quando ſub extremum GERUNGUS talibus infit:
Vivite res hominum, vacua & peritura ſupellex,
Spectra colorata & mendacia ſplendida rerum!
Nil mihi vobiscum eſt ſpolia & ludibria mortis;
Inde pios oculos ad conſcia ſidera torquens:
Vos, quibus innocuas amor eſt ſervaſſe Carinas
Aſtra, ait, & tumidi mulcere pericula Mœni,
Sternite molle vadum, placidumque advertite votis
Concilium, & lenis non obſtrepat unda precanti.
Cærula propitio mox flumine tergora ſcindunt
Mœnum emenſuri; ſed enim ſententia retro
Verſa eſt: in medio curſum tenet Amphitrite.
Rupibus abruptis mons tollit ad æthera ſacrum
Religione caput, nomen cui nobile fecit
(h) Saxum. Fortaſſis propriæ ſi vocis origo
Accipitur, rigidis late quod rupibus horrens,
Nil niſi præruptas cautes, aut ſaxa figuret.
Quidquid id eſt, montem cæleſtibus arcibus æquat
Petra, PETRUS molemque ſuo de nomine ſignat;
Quando (i) ædem, atque illi ſeſe ſuper ipſe locavit.
Illius hic aræ, cultusque: huc ſupplice voto
Turba ruit, neſcitque pati damnata repulſam.
Inferius patria veniens ab origine Mœnus
Intortos per Mæandros, perque invia manat;
In Divi obſequium fluvium effervescere credas.
Huc ubi perventum eſt, lenta torpedine ſentit
Pigrari puppes, & greſſu deſide ferri.
Haud aliter plumbo, quam ſi tardante rigeſcunt
Crura, vel adverſis ægre obluctantur arenis:
Aut ubi laxatis Ægæa per æquora velis
Evolat uncta ratis, ſimul ac ſe parva biremi
Ingenti applicuit, laterique Echeneis adhæſit,
Tota carina ſtupet; Miratur pigra Magiſter
Æquora; nec quamvis centeno remige tundat

(f) Sub Adalberone Epiſcopo primus omnium Decanus in Eccleſia Novi Monaſterii fuiſſe creditur Gerungus. Ita Documenta Trieffenſteinenſia, quæ tamen certam fidem hac in re non faciunt.
(g) Primus Gerungi ſocius fuit Gertbodo, uti & alter ab ipſo Præpoſitus.
(h) Mons cui Canonia ad Petram Stillantem inſidet, olim vocatus fuit ad Saxum.
(i) In monte præfato honori D. Apoſtoli Petri exſtructum fuit ſacellum magna populi confluentis devotione celebre.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Nerea, vel totidem ſuſpendat carbaſa, captam
Exorata ſinunt ſufflamina currere puppim.
Obſtupuit primo aſpectu GERUNGUS, hiabant
Attoniti comites, intentique ora ferebant:
Quod ſocii, fatale malum? prior ora reſolvit
GERUNGUS, ſuperi o fatum removete ſiniſtrum!
Qui tantas meruere moras? ſimul ecce repente
Adverſa de parte nitet mirabile viſum.
Qua ſuper impoſito ſeſe ſacraria librant
Culmine, fatidicis aſtris delapſa micabat
Flamma, aut errantis nota non imitabilis aſtri:
Non ſecus ac dubio quondam lux fulgida ab ortu
Memnonios Reges Solymæ perduxit ad oras,
Numinis exorti prima incunabula ſignans;
Talis erat, medioque polo ſe clara ferebat.
Quis tibi tunc GERUNGE (ſine hoc me ferre ſub auras)
Quis fuit ille animus, verſa cum puppe monentem
Inſequeris ſtellam, clivique ad culmina ſcandis?
Namque ubi per campos molli te ſemita tractu
Extulerat, lætas herbis ſubſidere ſcenas
Sub pede ſenſiſti, ac ſcopulis inſerpere ramos;
Inde per irriguas, bene trita cacumina, glebas
Cum ſociis penetras, mediæque affunderis aræ,
Clavigero æthereo Patrum fervore dicatæ.
Pandite nunc ſuperi vota affectusque precantis!
Poplite lunato ſupplex ſic farier infit:
Tu, qui ſtelliferis hominum moderaris ab oris
Corda, Deus, miſerere inopis, miſerere gementis!
Eheu præcipitis dubitantem in cardine fati
Aſpice me, tantum hoc, & disjice nubila mentis!
Ecquid agam? quo lina traham? (ſine Numine namque
Aggreſſum eſt nil tanti operis) quid in omine certi?
Tuque adeo nobis conſuete in vota vocari
PETRE, cui tot fixa tholis donaria fulgent,
Si quid dulce meum eſt, miſerere clientis, & affer
Curarum requiem, & mœrentia pectora mulce!
Hanc tibi, cerne, animam valituro pignore ſcribo.
Nox ſubit interea, & montes umbrantur opaci:
Mox ſocii in properum declinant lumina ſomnum;
Ipſe autem varios rerum cum mente GERUNGUS
Eventus verſans, nunc hunc, nunc fluctuat illuc;
Dum tandem vigiles curasque metusque reſolvit
Lætior, & placido componit membra ſopori.
Illabens operit vix provida lumina ſomnus,
Devinctique jacent ſopito in corpore ſenſus;
Mens vigilans ſeſe major ſpectacula libat,
Neſcio, qua præter ſolitum ratione, modoque,
Aëra per tenuem, & campos evecta liquentes.
Cœleſtes animæ lutea compage ſolutæ
Parcite, ſiquando veſtris novus hoſpes in oris
Aggredior cantu rerum ſecreta referre!
STILLANTIS fortuna PETRÆ ſuper æthera tollit.
Qua fines ultra Phœbi ſe ſemita pandit,
Planities immenſa patet, Cryſtallina prata,
Æterni Zephyri ſpirant & veris honores.
Huc genio moderante viam legiſſe GERUNGUS,
Ancipitique metu diſtractus ſiſtere: quando
Improviſa oculis effulſit in æthere flamma.
Mox ſtetit ante oculos humana major imago
Herois, trabea in morem redeunte Gabinum
Præcincti, ornabat priſcum veneranda ſenectus
Indigetem, geminæque, manus geſtamina, claves.
PETRUS erat, tua, Diva fides, tua Maxima, Roma,

Glo-

Gloria, cui STILLANS altaria ſurgere PETRA
Juſſit, is attonitum placida ſic voce ciebat:
Quem calidas vibrando preces in vota vocabas
Ædibus in noſtris, alto quas vertice tollit
PETRA, cui (k) *irriguæ* tribuerunt nomina *lymphæ*,
Idem adſum, nam cura tui me plurima poſcit.
Ipſe ego ſolennes umbras fumosque doloſos,
Et quæcunque homines mendacia ſplendida ludunt,
Volvere mente dedi, & vanos ridere labores:
Dux Authorque viæ fueram, ſponſorque ſalutis.
Principio quamvis ſerpente (l) Colonia Rheno
Nobilis inſideat, vitæque hic figere ſedem
Mente agites, alius rerum tibi vertitur ordo:
STILLANTI in PETRA requies ſecura laborum
Eſto, viæque ſcopus; tali aſpirabit in arce
Condendæ fortuna domus: hinc inclytus ordo
Surget, & indigetum ſeries numeroſa nepotum.
Si juvat & fixas fatorum diſcere leges,
Atque procul longæ faſtos evolvere ſtirpis,
Nunc animos adhibe dicenti, oracula cœli
Dia mente canam, & ventura ex ordine texam.
Inferiore jugo montis, qua parte ſacelli
Antiquus conſurgit apex (tua, CAROLE, dona, (m)
CAROLE Teutonidum decus immortale coronæ,
BURCKARDO conceſſa olim, qui primus in ora
Francidos, Arcopolis meruit fulgere tiara)
Præclara hic pones ædis fundamina: plures
Mox ſacra tecta petent ſocii; nova caſtra ſecutos
Aſtringes legum vinclis. Tua dogmata quondam
AUGUSTINE Pater, quo nil divinus orbi
Terra Lybiſſa tulit, ſociis ſtatuentur habenæ.
Accipe nunc animis, atque hæc mea figito dicta:
Quotquot Apoſtolici veſtigia prima Senatus
Inſignes pietate legunt, retro-acta vocarunt
Sæcula Canonicos. Atenim volventibus annis
Virtute ingentes ſuccedunt, ternaque vota.
Vota quibus pede preſſa gemunt Cypris, ambitus, aurum,
Cœptis adjiciunt. Hipponis gloria tanti
Maxima pars cœtus, latarum ex ordine legum
Inſtituit formare avidos: dat regula nomen
His, quicunque ſacris adſcripti rite maniplis,
Majorum Canones, præceptaque fixa tuentur.
Si qui ſub niveis pugnabunt prælia ſignis;
Canonicos dices, queis ponit regula nomen.
Pinguia flaveſcent bis ſeptem meſſibus arva,
Atque humilis cœli famulantia corpora trades
Obſequio, & gratos Superis adolebis honores.
Tandem feſta dies roſeis invecta quadrigis
Surgit, quo (n) caſus centum & diſcrimina paſſus
Vela dabis placidum in marmor; namque ipſe Sacerdos,
Infula cui nitidos velabit candida crines,
AINHARDUS (o) nutu gratante, & divite cenſu
Petræ aderit, primosque volet te conſequi honores
Præpoſiti. Tu macte animis & Numine fultus,
Aggredere ô magnas invicto pectore curas.

(k) Petræ Stillanti ſive Trieffenſtein nomen inditum a rivulis & liquoribus, quibus perpetuo ſtillabat.
(l) Gerungus Wirceburgo cum ſociis digreſſus Coloniam Agrippinam cogitabat.
(m) Sacellum D. Petri in Trieffenſtein a Carolo Magno Divo Burckardo primo Wirceburgenſis Eccleſiæ Epiſcopo donatum fuit An. 794.
(n) Gerungus Adalberoni Epiſcopo contra intruſos ſemper favens variis conflictatus eſt miſeriis.
(o) Ainhardus XXIII. Wirceburgenſium Epiſcopus de interdicto ſublato lætus Canoniam fundavit, & Gerungum præpoſitum dixit 1102.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ecce tibi Heroum præluſtris naſcitur ordo;
Prima etenim ſoboles felici funere merſum
GERTBODO inſequitur, Præſul digniſſimus unus
Conſiliis zeloque potens, hic grandibus addet
Cœptis imperium, Romamque in vota benignam
Expertus, miſſo CALLIXTI munere felix
Infirmas Canonum leges ſolidabit in ævum.
At tu parce operis HERTRICE (p), quid inclyta zelo
Pectora præcipitare juvat? viden', ardua fumant
Tecta, ruunt aræ, late diſperſa per ædes
Vis flammæ ſubſultat ovans, penetralia Diva
Momento in cineres abeunt, triſtesque favillas;
Caſibus at major ſurge: en FOLMARIUS inſtat,
Exſtruet ille meam repetitis ſumptibus ædem
HENRICO ſacrante novam. Vaga fama per orbem
Illius effatum ſparget. (q) Tua pignora Chriſte,
Et corpus complexa tuum, complexa cruorem,
Divinæ complexa dapes & pocula menſæ
Confeſſus, fidei magnum dabit incrementum.
Nomina quid memorem GODEFRIDI (r) atque optima geſta
ALBERTI? quidque obſcuris ſignanda lapillis
Tempora? quid ſobolem longis erroribus actam?
Prædiaque & cenſus raptos, monumenta rapaci
Dimidiata manu; dum te miſerantibus aſtris
FRIDRICE (s) orbata venerandum in ſede videret?
Parcite CONRADI WOLFRAMI magna virorum
Nomina, tuque Pater WARTWINE, binominis atque
CONRADI, cumque EBERHARDO, tertius hæres
CONRADUS decoris, multæque GEORGIUS artis,
HENRICE, & trini, queis fecit gratia nomen,
JOANNES, VITI, FRIDERICI, cumque PHILIPPO
PETRE, laceſſiti montis nova Petra future,
Si parca in veſtros aſſurgit lingua labores!
Tum rude tempus erit, cum diro turma furore
Ruſtica tela rapit, junctisque rebellibus armis,
Et Diis Superum ſignis arisque Tonantis,
Et Divum templis, plusquam Titania bella
Conjurata ciet ſoboles ſcelerata gigantum;
Sed funeſta vigil ſanabit vulnera PETRUS.
(t) Inde alii; MICHAEL, STEPHANUS tecumque GEORGI,
NICOLEOS, JOACHIM, LAURENS, zeloque verendus
(u) CASPARUS tumidæ frænabunt hæreſis auſa.
(x) Nunc PETRÆ STILLANTIS amor coram, ecce JOANNES!
O Puppis dubiæ Portus! tu maximus Heros
Ingrederis veteres ardens ſuperare nitores.
Entheus ardor agit pectus: ſeu vellere ab imo
Errores fidei juvat: aut evertere lingua
Tot ſcelerum fraudes, animasque repoſcere Ditem.
Te patrem mea tecta volent, te provida in aſtris
Numina jactatæ dubiis in fluctibus ædi
Navarchum ſtatuent, Erebum edomuiſſe potentem
Tunc aris reparatus honos, tunc aurea paſſim
Sæcla refloreſcent *geminæ* gratiſſima *ſedi*.
Inde ubi feſſum ævi accipient convexa polorum

Atria,

(p) Sub Hertrico III. Præpoſito Canonia recens fundata conflagravit.
(q) Folmarii de Euchariſtia ſenſus exponit Biblioth. Patrum Tom. 13. pag. 344. & Alexander Natalis Tom. 6. cap. 4. Art. 12. pag. 489.
(r) Poſt Albertum 53. annis Canoniam Nobiles ſæculares adminiſtrarunt maximo Canoniæ detrimento.
(s) Fridericus plurima Canoniæ bona abalienata recuperavit.
(t) Sub his Præpoſitis Lutheri error Canoniam vehementer afflixit.
(u) Sub Caſparo Canonia cæpit refloreſcere Julio Wirceburgenſium Epiſcopo ſuppetias ferente.
(x) Joannes Molitor in Trieffenſtein & Heydenfeld, Præpoſitus Vir pius, prudens & conſtans utriusque Canoniæ reformator fuit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Atria, magna Patrum ſignandaque nomina faſtis
Ducent admiſſas, cœlo gratante, quadrigas:
(y) OSWALDUM interea terrent, ſors dira, procellæ,
Quæ rapido veniunt Borea, & trepidanda gementis
Teutoniæ rurſus fundunt in viſcera bella.
Qualis perrupto cum ſurgit littore pontus,
Exſpatiata ruunt per apertos flumina campos,
Eripiuntque ſolo ſylvas, armenta, virosque
Involvunt ſecum, Turres & mœnia cedunt;
Talis Hyperboreo Mars Balthicus æquore ſurgens
Obvia quæque ſibi funeſtis obruit armis.
Proximus huic (z) SAMUEL, LEOPOLDI munere, Primus
Emerito nivea fulgebit vertice vitta.
Poſt nova CHRISTOPHORUS feret ornamenta tiaræ.
Succedent oneri templi conſtructor ADAMUS,
Atque VALENTINUS: Tum maxima feſta colentur
Bis ter centeni completis orbibus anni.
Inde PETRUS ſacra jura feret longo obſitus ævo.
Haud alius famulos veſtris vigilantior agris
Paſcat oves ductor, vel ſumptibus extruat ædem.
Quem tibi nunc GERUNGE dabo, qui calle priorum
Egregius ſectator eat, teneatque curules
Haud humilis ſeſſor, memorandis æmulus auſis,
Nec præcedentum lauros, palmasque recentes
Deterat? ille meus, titulo licet ante repugnet,
Ille JACOBUS erit. Prô quæ ſors aurea Petræ
Hoc Patre ridebit! nam Dux admotus habenis
Monſtratum calcabit iter; reget ille capaci
Fræna manu, ſociosque animos ſublimibus actis
Eriget, incrementa tuis Ingentia rebus
Addet, & irriguos *oleo* & manantibus *undis*
Fontes deducet: felix, cui prima redibunt
Sæcula, & albicomæ decus immortale coronæ!
Sed Phœbus jamjam emeritis ingentibus horis
Multifidum jubar, & biſſeno ſidere textam
Loricam induitur, ſenſimque fugata recedit
Caligo in terras nitido reſoluta ſereno;
Quare, age, ſume animos, licet horrida triſte minentur
Tartara, & emoto ſpumet ſtyx livida fundo
In veſtrum jurata genus, bella omnia contra
Stat tutela poli. Virtus ſit Numen & enſis.
Nunc prior eſt repetenda ædes. Tu pectore ſerva
Dicta memor, jugesque mea defige penates
In PETRA, ſortemque tuam, ſortemque tuorum
Provehe (ſic quoniam tibi præſens annuit æther)
Dixit, & actutum rapidisque citatior Euris
Aëra per liquidum viduos remeavit ad artus
GERUNGUS, preſſitque imo ſub pectore plauſus.
Aſtitit agglomerata cohors, mirata ſopores.
Lumina diſcuſſa cœleſtis imagine ſomni
Ter, quater attollit Præſul, ſtupet aëre primo
Quæ loca, quod templum; tandem ſibi redditus altum
Exilit: hæc requies, inquit, per ſæcula noſtra eſt,
Hac vivam ſtatione loci: nec plura locutus
Spectatos relegit caſus: tacitoque recurſat,
Qui ſacrum condat limen, penetralia Divum.
Ergo ubi condocuit ſocios, quæ viſa quiete
Devincti ſenſus ſtupuere, loquentis ab ore
Pendet læta cohors; veluti patula ora tuentur
Commiſti ſenibus juvenes, matresque puellis,

(y) Sub Oswaldo bellum Suecicum totam Franconiam miſere deformavit.
(z) Samuel Leopoldum Neo-Imperatorem hoſpitem excipiens primus Infulam meruit 1668.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Si quis forte redux emensa pericula fatur.
Protinus assensere animis, jurataque verba
Concipiunt, stabilem in PETRA defigere sedem.
Condicunt PETRÆ domini: consulta voluntas
Principis accedit: mox pristina munera, gazas
GERUNGUS statuit Divini impendia cultus.
Continuo addicti sacris noctuque diuque
Angelicos resonant hymnos, ac mente serena,
Et puris manibus superisque Deoque ministrant.
Pergite felices! tot jam vertentibus annis
Ardoris monumenta manent, eduntque minores
Maxima, JACOBO in sanctos præeunte labores.
Tuque adeo, JACOBE, Patrum non ultima salve
Gloria, noster amor, meritam cui sidera frontem
Ante coro..arunt, quam candida vitta revinxit!
Ingredere ô votis, fratrumque assuesce vocari
Jam nunc auspiciis: pater, ô suavissime Præsul!
Et quisquam placido testari gaudia vultu
Distulerit? Viden', Aonias certare sorores,
Utra magis tua gesta canat, cantusque trophæum
Ingenio meliore ferat. Tu suscipe vota.

TRUDONOPOLITANUM,

Cui nomen indidit ipse ejus Fundator S. Trudo, quem ibidem Canonicos Regulariter viventes primitus instituisse, dissertis verbis notant officia Cann. Regg. Lateranens. à SS. Papa Pio V. approbata. Hujus autem asserti veritas à Benedictinis, S. Trudonem & Fundatum ab eo Sarchinienſe Cœnobium (hoc quippe nomen erat loco, in quo Cœnobium suum S. Trudo è Fundamentis erexerat) Ordini suo, eo solum fortassis Fundamento, quod tractu temporis illi Canonicis alias ibi degentibus fuerint substituti, passim accensentibus, magis firmatur ex iis, quæ supra V. *Andainum* de S. Beregiso diximus, ubi probatissima allata fuere testimonia nominatum hunc S. Abbatem, Canonicum Institutum jam ante annum 780. in hoc S. Trudonis Cœnobio fuisse professum; si ergo tempore S. Beregisi Trudonopolitanum hoc Asceterium Canonicam coluit Institutionem, sine PP. Benedictinorum læsione inferemus, illud adhuc anno 693. quo tempore S. Trudonem obiisse scribit Ghinius, inibi cultum fuisse, cum utique asserturi non sint, Ordinem suum tam mature Canonico Ordine fuisse commutatum.

TRUDONOPOLITANUM

Aliud, & illud quidem Canonissarum Regularium S. Augustini in Diœcesi Leodiensi constitutum Domicilium Parthenium: cujus originem haud dubie antiquissimam, & modernum rerum statum vel inviti nescimus: non item immanissimam persecutionem à Religiosissimis loci Domicellis, atque ipsum denique fatale prorsus sacræ mansionis excidium constantissime toleratum, utrumque istud ab effero Caroli Ducis Brabantiæ & Burgundiæ plusquam hostiliter illatum: cujusque miserandam Catastrophem fideliter exhibet Anonymus Author Magni Chronici rerum Belgicarum pag. 387. ubi sic scribit: *Anno Millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo, cum Leodienses unacum Lossensibus Hoij oppidum cepissent, Carolus Dux* (antedictus) *nimium exinde exacerbatus cepit accingere gladio suo femur suum, potentissime congregans exercitum fortem nimis ad debellandos Leodienses.* Et paulo post: *Itaque in medio Octobris Mensis procedens Dux à Lovanio cum infinita Equitum peditumque multitudine, ac armorum cujuslibet generis copiosissimo apparatu appulit ad S. Trudonem, & vastavit oppidum; quod antequam in deditionem acciperet, multi de Exercitu mala exercebant innumera, agendo prædas, incendendo domos, homicidia perpetrando. Non parcebant spoliando Sæcularibus, non Regularibus ac Religiosis. Est juxta muros oppidi* (S. Trudonis) *Monasterium fœminarum inclusarum Canonicarum Regularium S. Augustini in commune viventium, ubi quantas abominationes fecerint, non est volubilis Styli ministerio facile explicare: & per ea, quæ illic facta sunt, prudens Lector quid aliis locis piis factum sit, facile intelligere veniebat Venerabilis Prioriſſa ad portam Monasterij usque hostibus obviam, quia Rector cum Sociis præ nimio terrore auffugerat, & humi prostrata misericordiam postulabat, exhibens salvum conductum Ducis, quo sub ejus Protectionem recepta*

erat

erat Domus, quam terribilibus oculis intuentes, & sermonibus inconditis aspernantes, non movebantur Reverentia loci, nec salvo conductu terrebantur, nec flectebantur suspiriosis precibus devotæ multitudinis terram in facie pallidæ mortis imaginem præferentes. Quin imo more Leonum rugientium, cum in venatione Belluina crudelitate hominem persequuntur, omnia perlustrant, omnia pervagantur, singulas revisunt officinas, displicita comminuentes, placita rapientes. Aggrediuntur primo Oratorium, non orandi gratia, sed spoliandi & imaginibus, tabulis, libris, ornamentis, omnique decore suo evacuant, & abjecto omni timore Dei distractas Reliquiarum capsulas mittebant in lutum & pedibus ut paleas conculcabant. Debinc ad Dormitorium ascendebant, & ita omni Sororum supellectile spoliabant, ut ne imaginem quidem papyream reliquerint: quæ considerans Sovor quædam bonæ simplicitatis tulit secum suæ devotionis imaginem. Cogitabat enim apud se dicens: Etsi omnibus spolier rebus in usum concessis, reservabo saltem mihi JEsum meum: Habebat enim Iconem eburneam Infantuli Salvatoris, quam arctius constringens ulnis sui cum Latrones eam tollere vellent, fletu singultuoso, & anxio ejulatu respondebat: Nolite mihi tollere JEsum meum unicum solatium cordis mei, omnia mihi abstulistis præter eum: Parcite mihi, quia mihi conglutinatus est JEsus meus, ut nullo modo inter vos divortium fieri queat. Multos hisce verbis & flebili apparatu ad compassionem sui commovebat, ut à male cæptis abstinerent. Tandem Vir Belial compassionis expers, nescius misereri, de ulnis Sororis lacrymabiliter vociferantis imaginem violenter abripuit, & ait: Si tibi placet JEsus tuus, & mihi non displicet; hactenus tu Eo usa es, patere, ut jam utar ego. Cuncta denique in Cellario reperta vitæ necessaria, inque officinis reliquis utensilia, ad curam rei familiaritatis pertinentia tollunt, confringunt, dispergunt, nihil eorum, quæ ad victum & vestitum pertinebant, desolatis Sororibus relinquentes. Cæterum tantus rapiendi erat furor, ut etiam plumbum de tectis eruerent, & ferrum de muris aufferrent: tanta denique scurrilitas, ut rejecta naturali verecundia abuterentur Dormitorio pro Latrina: tam procax insolentia, ut ancillas Christi ad exuendum vestimenta Religiosa compellerent. Habebat autem præmonitas Filias Mater, ut de vestibus suis tantum tollerent, quantum ferre potuissent contra injurias hyemis imminentis. Dicebant ergo pro imperio ad illas Scurræ: exuite vos sine mora; at illæ inexorabiles hostes aspicientes coram facie eorum exuebant vestimenta sua ad camisiam usque. Illi autem relinquentes in manibus Sororum, quidquid vile fuerat, & reprobum, meliora tollebant. Sed quis non obstupescat magno Dei munere factum esse, ut cum bona mobilia perdere cogerentur, thesaurum castitatis incomparabilem integerrime conservarent, nec illarum ulla quantumlibet speciosa reperta est pati violentiam, aut corruptionis vitio violari. Etenim ad imperium Prioriſſæ manebant indivisæ Sorores: nec sese una ab altera separabat: instar igitur muri illæsæ & impenetrabiles permanebant. Sane audiens hæc Dominus Adolphus de Clivis Dominus temporalis de Ravensteyn compassus tantæ desolationi ancillarum Christi fecit eas adduci ad se, non enim procul aberat, & viri cohortis suæ tantum flagitium perpetraverant. Verum earum aliquæ nimis mœrore confectæ, præ teneritate, luti profunditatem transilire non valentes, Virorum manibus ferebantur: quas in diverticulo suo susceptas humane tractavit, benigne fovit, curam earum egit, magnamque partem ablatorum duntaxat in lectisterniis restitui eis fecit. &c.

TRUTTENHUSIUM

Celebre quondam Sanctissimæ Conversationis Monasterium, ab anno 1464. Venerabili Congregationi Windesimensi subditum & incorporatum, ad pedem Altissimi Montis S. Othiliæ in inferiori Alsatia, peramæno loco, in Districtu Diœcesis Argentoratensis, & ab Ittenweilerensi Canonia (jam supra recensita) non nisi modico unius horæ spatio sejunctum apparet. Anno 1101. recens hoc condidit Ven. Domina Heradis de Landsperg Abbatissa Parthenonis Hochenbergensis, cui in hoc laudatissimo pietatis opere lubens adstitit Germanus Frater Nobilis Vir de Weinheym & Landsperg, tota devotione proprium offerens suum prædium ad novum hoc Religiosorum Virorum Contubernium, Divæ Virgini Genitrici Mariæ ac S. Nicolao Myrensium Episcopo & Confessori specialiter ædificandum, ac consecrandum, quod tamen ipsum Monasterium jam à pluribus annis (vastante hæresi) non tantum manet pessime profanatum, quam adhuc ab iniquis possessoribus heterodoxis sacrilege detentum.

Hæc & similia de antiquo Statu Truttenhusiano referunt Bernardus Hörzog in Chronico Alsatiæ lib. 3. cap. 9. fol. 22. & lib. 4. fol. 81. Bruschius de Monast. Germ. cent. 1. fol. 153. Crusius in Annalibus Sueviæ part. 2. lib. 11. cap. 11. & Miræus de Cann. Regg. cap. 18. fol. 175. quibus adde etiam Jacobum Wimphelingum de Ep. Argent. fol. m. 35. in Henrico Episcopo Argent. 57mo de antiquo Statu Truttenhusi-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ano taliter diſſerentem: *Henricus* (hujus nominis) *primus cognomento Billungus* (Epiſcopus Argentoratenſis) *Conrado* (ejusdem Eccleſiæ Epiſcopo) *ſubrogatur anno 1181. ſub eo fundatum & dotatum eſt Monaſterium Canonicorum Regularium in Truttenhauſen à Veneranda Domina Abbatiſſa in Hochenburgo Collegio Divæ Othiliæ dedicato* (quam pro viſus incolumitate peregrini frequenter viſitant) *Heradis nomine cooperante Fratre ſuo Gunthero ex Familia Landespergica ad Dominæ Noſtræ & D. Nicolai honorem, ut Canonici illi Regulares Dominabus in Monte & temporalibus & ſpiritualibus opitularentur. Acceſſit ad hæc Auctoritas & Conſenſus Friderici primi Imperatoris. Idem Monaſterium olim diſſipatum & ad extremam fere ruinam propter laſciviam inhabitantium redactum fuit, ſed paulo poſt anno Domini Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quarto vocatis ex Bodeken Paderbornenſis Epiſcopatus Viris devotis ac Religioſis Patribus magno labore reædificatum eſt, ſub primo Priore Tillmanno Viro optimo atque devoto. Et ſicut in ſpiritualibus, Divinoque cultu priſtinum florem reparavit, ſic etiam in temporalibus Deo propitio recuperari cæpit; nam in eo usque hodie pij & humaniſſimi Fratres devote & ſedulo Deum colunt, venerantur, & honorant ſalutaria bonæ & pudicæ vitæ exempla populo præbentes & Clero Sæculari. &c. Eandem Domum Bertholdus* (Epiſcopus Argentoratenſis 69.) *anno Chriſti 1340. Privilegiis liberaliſſime munivit. Robertus* (aliis Lambertus, & ipſe Summus Antiſtes Eccleſiæ Argentoratenſis numero 72dus) *poſtea* (ſub annum gratiæ 1470.) *Capitulo Windeſimenſi ſubjiciens ab univerſis cujusque generis oneribus Epiſcopalibus liberam decrevit & immunem.* Hæc Wimphelingus citatus de antiquo Statu Canoniæ hujus Truttenhuſianæ, in cujus tamen toto latiſundio hodie præter vetuſta Regularis cujusdam Clauſtri rudera (uti ex Alſatia ad me perſcriptum fuit) haud amplius quicquam videtur, niſi Campanile, ſeu turris quædam ſecundum antiquitatem ſuam nemini non admiranda, infra quam ſaltem ſingulis ſeptimanis Presbyter quidam Sæcularis ad id ſpecialiter conductus pro Benefactoribus Defunctis Divina celebrat, ipſum vero locum cum queisque reſiduis proventibus etiamnum obtinent Liberi Barones de Landſperg, qui bipartito Religionis Cultu avitam Religionem partim retinent, partim vero Novatoribus Lutheranis parent, atque iſtis utpote malæ fidei poſſeſſoribus Monaſterium hoc, ſeu Patrimonium Chriſti denuo ſubtrahendum & eripiendum ac legitimis Dominis vigore primæ Fundationis canonice inſtitutis poſtliminio reſtituendum haud ſine magnis ſumptibus jugiter meditantur, & cum ſpe recuperationis feliciter obtinendæ usque modo lactantur loco vicini RR. DD. Canonici Regulares Marbacenſes, quorum vota videre quantocyus realiter adimpleta immenſis deſideriis exſpectamus. Apud Bruſchium invenitur ſequens Præpoſitorum & Priorum Catalogus.

Series
Præpoſitorum Truttenhuſenſium.

I. VOLCMARUS Marbacenſis Eccleſiæ, in Alſatia, Canonicus Anno 1181. præfuit annis 30. obiit anno 1211.

II. FRIDERICUS, præfuit annis 28. deceſſit anno 1239.

III. FALCO Abbas prius Marbacenſis. Rexit annis tribus. obiit 1242.

IV. WOLPHRAMUS præfuit annis 11. mortuus anno 1253.

V. HANEMANNUS.

VI. EBERHARDUS.

VII. WALTHERUS. Ad plures abiit anno 1281.

VIII. HENRICUS utiliter Prælaturæ pedum geſſit per annos 23. Sub illius regimine fundatum eſt anno Domini 1288. Sacellum S. Margaritæ & Magdalenæ per Guntherum de Landesberg Militem ac Vice-Dominum perque Nobilem Dominam Adelheidin de Thanne ipſius Conjugem. obiit 1304.

IX. SIFRIDUS ſedit ad clavum annis 13. obiit anno 1317.

X. JOANNES præfuit annis 18. defunctus eſt anno 1335.

XI. JOANNES II. præfuit 25. annis. obiit anno 1360.

XII. OSWALDUS Nobilis de Bervenſtein, cujus ſoror Domina Eliſabetha, quieſcit in Sacello S. Margaritæ. Præfuit 6. tantum annis. Obiit anno Domini 1366. ſub ipſius regimine domus hæc incendio periit, Combuſta per Anglos, qui Alſatiam deprædabantur anno 1365. & paulo poſt cæſi ſunt prope Baſileam.

XIII.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XIII. HENRICUS Præpoſitus ſedit ad clavum annis ſex. Deceſſit anno 1372. ſepelitur apud S. Arbogaſtum Argentinæ.

XIV. RUDOLPHUS præfuit annis ſeptem. Obiit anno 1379.

XV. RULINUS præfuit 24. annis. Obiit anno 1403.

XVI. BURCARDUS præfuit 15. annis. Obiit anno 1418.

XVII. ANDREAS Fabri de Baſilea. Præfuit 9. annis. Obiit anno 1436.

XVIII. JOANNES Betſchelinus de Barrio, præſedit annis novem. Obiit anno 1436.

XIX. NICOLAUS Wiſſenburgius ſuccedit Joanni: vidit Cænobium ſuum diripi, incendi ac miſere devaſtari anno Domini 1444. ab Armeniacis, qui Duce Delphino non ſine magna Germaniæ clade, hoſtiliter graſſabantur per totam Alſatiam. Ipſe tamen Cænobium mox (fugatis & Helvetiorum manu partim cæſis hoſtibus) reædificavit, & reformavit a Capitulo Generali Windeſimenſi ſubjecit: ipſe etiam mutato titulo ex Præpoſito Prior factus eſt: quamdiu vero præfuerit aut quando obierit ignoratur.

XX. JOANNES de Dulmannia ſubrogatus Nicolao diligens Illuſtrator Cænobii everſi prius per Armenianos prædones, vulgo *die Armen Gecken.*

XXI. ALBERTUS electus anno 1492. præfuit per unius ſaltem anni ſpatium. Obiit anno 1493.

XXII. CONRADUS Volcius ex Argentorato natus præfuit 8. annis. Obiit 1501.

XXIII. JOANNES de Eſchavu præfuit annis ſex.

XXIV. GERHARDUS Prior hujus loci conſtitutus anno 1507. præfuit annis quatuor.

XXV. WERNERUS præficitur anno 1511. Sedit ad gubernaculum annis duobus.

XXVI. BALTHASARUS Prior electus anno 1513. Præfuit annis 7. Sub eodem humatus eſt anno Domini 1516. in ejus Cænobii media Eccleſia Wolphius Nobilis Heros ab Uttenhaim, cum tali Epitaphio:

Wolphius Uttenheim miſeranda morte peremptus
Increperæ noctis tempore ab enſe feror.
Occubuit non ſperata nece, nec meditata
A quibus haud timuit: Sed requieſcat! Amen!

XXVII. JOANNES de Sonſpach eligitur anno 1520. præfuit annis novem. Sub eodem Cænobium vaſtatum eſt a Seditioſis Alſatarum Agricolis.

XXVIII. ANTONIUS de Colonia. Præficitur Cænobio anno Domini 1529.

TULLENSE,

In Ducatu Lotharingiæ Collegium Cathedrale, quod eſt Suffraganeatus Metropolitanæ Trevirenſis, adinſtar aliarum Eccleſiarum per univerſam Galliam & Germaniam, priſcis ſæculis omnimodam tenuiſſe regularitatem, præter conſtantem traditionem, deducitur ex hiſtoria vitæ S. Leonis Noni Romani Pontificis; quem ante ſuſceptum Epiſcopatum Tullenſem, Cathedralis Eccleſiæ iſtius Canonicum extitiſſe habetur in Baſilea Sacra Brundruti anno 1658. in 8. latine edita in Theoderico 27mo Epiſcopo Baſileenſi; Regularem autem illum ac illam fuiſſe ſcribunt Sylveſter Maurolinus in Oceano Religionum omnium, Joannes Baptiſta Melegarius fol. m. 130. & Conſtantinus Ghinius in Natalibus SS. Canonicorum die 19. April.

TULLENSE

Aliud ibidem ſeu in præfata civitate Tullenſi Canonicorum Regularium Collegium hodie ſacræ Congregationi Salvatoris Noſtri in Lotharingia ſubditum, idque *Abbatia S. Leonis* communiter intitulatum: cujus brevem ac compendioſam hic damus deſcriptionem, qualiter eam in hæc verba transmiſſam accepimus. De Abbatia S. Leonis Tulli Leucorum ſequentia ſunt notanda; Lutholphus Decanus Eccleſiæ Cathedralis Urbis Tullenſis ampla paternorum bonorum hæreditate valde locupletatus, ea

ea in honorem S. Leonis Papæ IX. qui Tullenſis Epiſcopus fuerat, elargitus eſt, inſigne Monaſterium juxta urbis mœnia erigendo, in quo multos Canonicos Regulares Ordinis S. Auguſtini ſtabilivit: ſed graſſantibus bellorum incurſibus Canonia hæc totaliter everſa, poſtmodum in ipſam urbem fuit recepta, atque ibidem in Baræcia Beati Aniani ſplendidiſſime reſtituta. Inſignis valde fuit olim S. Leonis Baſilica non tantum ædificiorum ſuperbia, ſanctarumque Reliquiarum atque Capſarum, quibus nobilitatur multitudine, verum etiam multorum præſtantium Prioratuum, quibus tanquam membris ſibi unitis præeſt, nec non aliarum Eccleſiarum, & Dominiorum temporalium magnificentia. Inter hos Prioratus numerantur Latzicuria, Vandevilla, Boulaincuria, Rupella prope Tullum, S. Hilarii in Banenſi territorio, Naſſium & alii non pauci. Introducta fuit reformatio dictæ Congregationis anno 1627. Hujus Urbis geminæ Eccleſiæ Cathedralis nempe & Collegiata, ſeu Canonici illarum indiſſolubilem inter ſe confraternitatem unionemque (apertiſſimum antiquæ Regularitatis teſtimonium) tenent, & obſervant, ita ut ſub una eademque Cruce in Proceſſionibus publicis incedant unum corpus conſtituentes. De eadem fundatione hujus Canoniæ Tullenſis etiam mentionem facit Anonymus Gallus, fol. 365. ita ſcribens: Anno circiter 1094. Lutolfus Sanctiſſimi Leonis Papæ Filius, Sanctæque Tullenſis Eccleſiæ Decanus Monaſterium Clericorum, quod Canonicum Romani cognominant, prope eandem civitatem conſtruxit, in quo Clericos ſecundum Regulam S. Auguſtini vivere Profeſſos congregavit; quibus & Præpoſitum ejusdem Profeſſionis præfecit, quem Epiſcopus loci in Abbatem eidem Congregationi ſolenniter conſecravit. Eſt enim conſuetudo in illis partibus, ut Præpoſiti Congregationum hujusmodi, Abbates nominentur, & in Abbates conſecrentur, hoc tamen excepto, quod baculos non portant. Dominus quoque Urbanus eidem loco Privilegium fecit, in quo firmiſſime decrevit, ut Clerici illius loci Regulam S. Auguſtini in perpetuum cuſtodiant, & deinceps libertatem eligendi Abbatis ſemper obtineant. Datum eſt hoc Privilegium in Longobardia Venerabili Lutolfo à Domino Papa anno 1095. huc usque Gallus Anonymus. Sequitur jam

Syllabus

Reverendiſſimorum DD. Abbatum Canoniæ Tullenſis. &c.

I. SEHERUS, qui obiit anno Domini 1128.
II. SEIBALDUS anno 1154.
III. FIGEFRIDUS anno 1164.
IV. WALTHERUS anno 1174.
V. STEPHANUS anno 1185.
VI. JOANNES obiit anno 1198.
VII. CLEMENS anno 1204.
VIII. ERAINUS anno 1214.
IX. THEODORICUS 1228.
X. WILHELMUS 1239.
XI. JOANNES 1260.
XII. RODULPHUS 1274.
XIII. LUDOVICUS de Mailly 1298.
XIV. JOANNES de Manele 1327.
XV. FURCARDUS de Securia 1358.
XVI. FERRICUS de Morangia 1375.
XVII. PETRUS de Duno 1418.
XVIII. GERARDUS ex Saxonia 1437.
XIX. DOMINICUS Cacal 1449.
XX. JOANNES de Portu 1458.
XXI. JOANNES Draulet obiit anno 1472.
XXII. PHILIPPUS Groupille. 1503.

XXIII. DESIDERIUS Touvenot 1510.

XXIV. JOANNES Fabry 1532.

XXV. PETRUS Godar 1543.

XXVI. JOANNES Forger primus Commendatarius obiit 1549.

XXVII. NICOLAUS Vancy Episcopus Italicus.

XXVIII. NICOLAUS Vancy Nepos præcedentis.

XXIX. DESIDERIUS Colligny.

XXX. THEODORUS Thyriet anno 1599.

XXXI. PERINUS de peritia Papæ Subdatarius.

XXXII. SERAPHINUS, postea Cardinalis 1609.

XXXIII. VINCENTIUS de Bazalle.

XXXIV. FRANCISCUS Pozzobomelly 1625.

XXXV. DIONYSIUS de Marquemonte Archi-Episcopus & Cardinalis Lugdunensis 1626.

XXXVI. GUILLELMUS de Barclay 1672.

XXXVII. GABRIEL Bailly Canonicus & Cantor Ecclesiæ Cathedralis Metensis & Doctor Sorbonicus. 1708.

XXXVIII. LUDOVICUS FRANCISCUS de Baume, Canonicus & Comes Lugdunensis à Rege Christianissimo virtute Indulti in Abbatem Commendatorium denominatus.

TUNGRENSE

Collegium Cathedrale, primo Trajectum Superius ad Mosam, ac tandem Leodium cum Episcopali Sede sua translatum, in Fundo Belgico quidem constitutum, ratione Diœcesis (cui inest) Leodiensis, cum aliis hujus Districtus Monasteriis hic recensendum, pariter inter antiquas Ecclesias in Germania Superiori æque ac inferiori omnimodam Regularitatem observantes esse connumerandum, aperte monstrat Pennottus Noster lib. 2. cap. 38. num. 11. in hæc verba: *Tungrensem Ecclesiam à sua Fundatione Regularem fuisse illud evidenter demonstrat, quod Sedes Archi-Episcopalis Ultrajectensis & Leodiensis, quas omnes Regulares fuisse perspicuum est, antea Tungris erat, ut notat* Myræus de Collegiis Sæcularium cap. 4.

TUNGRENSE

Aliud in eodem oppido celeberrimum quoddam nostri temporis Monasterium Venerabilis Congregationis Windesimensis commembrum cum prima Origine sua in Chronico Windesimensi Joannis Buschij lib. 1. cap. 43. taliter descriptum: *Monasterium novum Passionis Christi & Beatæ Mariæ Virginis in Tungris Leodiensis Diœcesis eodem* (1424.) *anno est inchoatum, pro quo Visitatoribus ejus per Capitulum fuit commissum, ut utique in loco apto construeretur, & potius extra quam intra Civitatem vel Oppidum. De cujus dispositione anno sequenti Visitatoribus adhuc fuit commissum. Tertio demum anno cum omnia ad nutum Capituli essent disposita, eidem est incorporatum.* Degunt hodie in hoc Monasterio quam plures Viri docti, qui Scholas publicas tenent, uti haud sine vulgari sui nominis laude, sic & pari fructu boni publici inde hactenus reportato. Joannes Hogbergius in notat: ad Historiam Corsendoncanam Joannis Latoni pag. 136. de Fundatione Cœnobij hujus ita scribit: Consules & Primores Oppidi Tungrensis adhortatione & instinctu Waltheri Girulani primi Prioris Corsendoncani Hospitale quoddam in Monasterium Canonicorum Regularium sub titulo Agoniæ Christi & B. V. Mariæ anno 1424. mutarunt, Primos Religiosos ea, quæ sunt Regularis institutionis inchoaturos Corsendonca à prædicto Walthero petentes. Primus Prior fuit Joannes Reys Artium Liberalium Magister & S. T. Baccalaureus Colonienſis, qui ex præcipuis Urbis Tungrensis Civibus progenitus, atque Corsendoncæ anno 1406. Religionem Professus, novæ huic Coloniæ pluribus annis summa cum laude & utilitate præfuit, tandemque obiit anno 1454. quem Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica secundæ editionis scriptis clarum refert & scripsisse vitas Sanctorum tribus tomis comprehensas. Item Summam Sacræ Theologiæ, quæ M SS. servantur apud Regulares Tungrenses. Huic cum Waltherus Girulanus summa dili-

gentia in opere Fundationis, & rebus ſecundum Inſtituta Ordinis diſponendis ſedulo collaboraret Fidelis Servus & prudens, in illo pietatis & charitatis negotio diem clauſit extremum; de quo infra fol. 159. ſic amplius infert: Fallitur hic Author (Joannis Latomus) manifeſte volens ipſum Waltherum anno 1422. obiiſſe: Cum certo conſtet tum ex lapide Sepulchrali, tum ex libitinario Corſendoncenſis Eccleſiæ, & aliunde ipſum anno 1424. in Vigilia D. Jacobi Apoſtoli ex hac vita deceſſiſſe. Obiit vero Tungris hydropi, cum ad preces Conſulum & Magiſtratus Urbis Tungrenſis rebus diſponendis pro novo Monaſterio ibidem tunc fundato ſedulus inſiſteret. Conveniens namque erat, inquit Petrus Impens, ut Fidelis ſervus & prudens, qui toto tempore vitæ ſuæ indefeſſa ſolicitudine Botros honoris Divini & palmites piorum operum fidelium animarum in Vinea Domini elaboraverat, ut etiam in mediis vindemiis ſuæ patientiſſimæ eviſcerationis, in torculari tot tantorumque manipulorum, quos flens ſeminaverat, gaudens meteret laboris ſui ſudores, eosque terminaret. Sciebat ſe hydropis morbo infectum diu conſiſtere non poſſe, ſed pia mens avida Divini cultus contra ſpem in ſpem credidit, & quod natura negabat, fidens in Deo per illum ſuppleri exoptabat. Pro tanti vero Patris reverentia (teſte eodem Impens) Conſules & Primores Oppidi Tungrenſis exuvias ejusdem debito cum honore & ſolemnitate itinere tanto 14. vel 15. Milliarium Comitati Corſendoncam detulerunt: Atque illas multo Conventus mœrore ſolemnibus celebratis exequiis ante Summum Altare loco tanto Viro digno pariter condiderunt. Hic vitæ terminus (ita proſequitur Impens) tanti Patris fuit, qui ut alter Apoſtolus Paulus viginti ſex annis, inſtantia maxima Dei honorem & illius laudis amplitudinem nocte dieque dilatare non ceſſavit. Idcirco quia bonum certamen certavit, fidem ſervavit, curſum conſummavit, repoſita eſt ei corona juſtitiæ, quam reddet illi Juſtus Judex in illo die, dum immortalitatis veſte decorabitur, & erit illi Deus omnia in omnibus. Ut merito tali ac tanto Viro conveniat, quod etiam ante me eidem accomodavit Magnus ille & Zeloſus Mariani Cultus Amator & Promotor Auguſtinus Wichmans Brab. Mar. lib. 3. cap. 53. illud Iſaiæ cap. 58. verſ. 12. ædificabuntur in te deſerta Sæculorum, Fundamenta generationis & generationis ſuſcitabis, & vocaberis ædificator Sepium avertens ſemitas in quietem.

Anno autem Milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſecundo die 23. Martij in Tungrenſi Cœnobio iſto mœrore ſeu potius morbo, quem contraxit ex triſti nuntio, dum ſcilicet inaudiit Suecos & reliquos conjunctos Orthodoxæ Religionis hoſtes in Germanias, ſed vel maxime in terras Catholicorum ſæviſſime debachantes inter devotas Religioſorum adſtantium preces & ipſe precabundus Sanctiſſime deceſſit, ſeu Creatori ſuo vitæ Spiritum reddidit ipſius Tungrenſis Cœnobij hujus Prior Ven. Pater ac Dominus Guilielmus Herkenog Vir omnigenæ pietatis & Diſciplinæ Regularis ſemper obſervantiſſimus tota vita ſua ſermone & converſatione nemini non apprime charus, ac propter congenitam morum ſuavitatem ſummis infimisque pretioſe habitus, otioſus nunquam, ſed ſemper aut ſcribens aliquid aut legens, aut orans, cui præ queisvis aliis Tungrenſis Civitas debet Scholas Litterarias ipſo ſolo ſatagente recens inſtitutas, atque iſtas hodiedum per Canonicos Regulares uti haud ſine vulgari ſui nominis laude (prout ſupra inſinuavimus) ſic & pari fructu boni publici inde hactenus reportato regi ſolitas, &c.

TZERINENSE,

Seu *Tzertinum* ſuo nomine dictum antiquatum Ordinis noſtri, Diœceſis vero Razeburgenſis in inferiori Saxonia Cœnobium Fœmininum, de tempore & Authore primæ Fundationis haud amplius inquirendum, ſed unice nobis ex Alberto Krantzio notum, ubi in Metropoli illius lib. 8. cap. 18. Religioſi Parthenonis hujus mentio habetur ſic legenda: Ejus (Friderici Raceburgenſis Epiſcopi qui anno 1260. electus ſeptennio depoſthac præfuit temporibus Gunzelinus Comes Suerinenſis, Jus Patronatus Eccleſiæ Parochialis in Wittenborg Conventui Monialium in Tzertin donavit: Quam donationem Epiſcopus confirmavit: Sed forte poſt obitum Comitum Suerinenſium per Dominos Magnopolenſes, ad quos Principatus eorum pervenerat, ſupra dicta donatio eſt caſſata & irritata. &c.

TZEVENNA,

Taliter ſuo nomine dictum Epiſcopatus Lubecenſis in partibus inferioris Saxoniæ Parthenium Canoniſſarum Regularium Ordinis S. Auguſtini Cœnobium ſub Diœceſano limite Bremenſi comprehenſum, cujus aliquando mentionem injicit Albertus Krantzius in ſua Wandalia lib. 6. cap. 35. in hæc verba legendus; Ejus (Theodorici Epiſco-

Episcopi Lubecensis, qui anno 1185. electus usque ad annum 1212. præfuit) temporibus Theodoricus Episcopus Lubicensis Tzevennam in Diœcesi Bremensi Cœnobium Sacrarum Virginum gubernabat, etiam in Pontificatu sicut ante, refugij locum constituens, ut erant res Urbis Lubicæ infinitis jactatæ perturbationibus. Cum ergo in eum locum veniisset visitandi gregis sui gratia, Bremenses Cives, cum adversus Stadij Præfectum (priusquam Adolphus acciperet) exissent, prædam abegerunt. Nec magnopere (uti fieri solet in talibus) quid hostium, quid amicorum esset, discreverunt: jumenta est Boves Monasterij una abegerunt in prædam. Spoliati pauperes Episcopum circumsistunt, deplorantes omnia se sua perdidisse, Bremensibus cuncta abigentibus.

Vix sacra posuerat indumenta expleto officio, & pedes cum peditibus sequitur prædatores, per mille passus deprehendit, suorum jumenta reposcit. Prædatores sacram ejus caniciem (quam sudore madantem viderant) venerati, cum nihil hostile in eum sentirent, cum rubore reddiderunt, quæ abstulerant. Cerneres Sacras Pontificis manus, taurorum atque Boum cornibus insertas, pro suis pauperibus decertare. Itaque inermis & pedes sua recuperavit, quæ alius etiam eques & armatus non retulisset. Cumque Archi-Episcopus Hartwicus, per eadem tempora Henricum secutus Leonem, non recte diceretur ad eundem Theodoricum Lubicensem Episcopum, Cognatum suum, quod à Bremensibus (in quibus omnem suam Theodoricus cognationem haberet) ejectus tum esset Archi-Episcopus: prædia memorati Monasterij Satellites vel Henrici vel Hartwici misere vastaverunt. Archi-Episcopus autem in Luneburgo apud Henricum constitutus frequenter Episcopum ad audientiam suam citavit per Epistolam, sed ille legitimis objectis exceptionibus, extra Provinciam, inter hostes suos nec audebat, nec debebat comparere. Et cum aliquando ad terminum peremptorium esset citatus, ante exitum termini dicitur excommunicatus. Nam cum proximo tempore Mindæ esset constitutus Conventus Archi-Episcopi & Bremensium Civium, ut de omni controversia dissereretur, inter alia Archi-Episcopus Episcopum pronuntiavit excommunicatum. Bremenses autem eam sententiam exanguem & viribus carentem contempserunt, cum Episcopus eam non meruerit, nec esset legitimus impletus ordo. Pertransiens inde proximis diebus Cinthius Cardinalis, in Daniam Legatus, eam sententiam evacuavit. Henricus autem junior, Henrici Leonis Filius, habens in comitiva Archi-Episcopum Stadium venerat introire. Sed neuter admissus indignationem auxere, & in Tzevennam divertentes, omnia quæ Sanctimonialium fuere, quæque securitatis gratia eo contulere agrestes, sine discrimine consumpsere, ut ancillæ Christi, quæ ibi clausæ, Sponso suo Christo cœlesti die noctuque laudum resonant carmina, nimium diuturna laboraverint inedia. Indoluit Bonus Pontifex gregi suo, sed quid faceret potentioribus secundum Sæculum? ubi poterat, necessitati occurrebat. Ad interveniendum autem erat strenuus, ad discordantium compositionem humillimus, ita ut nonnunquam in Pontificalibus, eorum provolveretur pedibus, quos à reconciliatione superbus erexit & avertit animus. Beatius dixit dare quam accipere. Unde in consecrationibus Ecclesiarum magis omnes de propriis sumptibus accurate procurabat, quam illis gravis immineret. In frequentia suorum gaudebat Clericorum. Hospes enim domi erat largissimus, foris verecundissimus, pauperum Procurator diligentissimus. Adversitates omnes tanta vicit patientia, ut nunquam eum aliquis viderit irascentem, audierit clamantem, aut malum pro malo reddentem: Sed cogitatum suum jactans in Dominum, dicebat cum Apostolo. Si Deus pro nobis, quis contra nos? hucusque citatus Krantzius.

Littera V.

VALENCENIANUM,

Seu *Valencenis* potissima (post Montes) Civitate Hannoniæ magnificentissimum nostris etiamnum temporibus Canonicorum Collegium; idquod Samson Archi-Episcopus Rhenensis (uti refert Miræus de Regularibus cap. 54. fol. 141.) Clericis Sæcularibus loco motis anno 1113. substituit Canonicos S. P. Augustini Regulam Professos ex Monasterio SS. Crispi & Crispiniani prope Suessionem in Gallia desumptos, eisque præfecit, & in primum loci Abbatem constituit Gilbertum Calmonicum, cujus & Posterorum Abbatum res gestas (uti legimus in Bibliotheca Belgica Desselij) item Originem & Fundationem ejusdem Abbatiæ priori decurrente sæculo scripsit, qui sub

annum circiter 1630. claruit Regularis Canonicus, & Prior illius Antonius Doultromannus in Hiſtoriis & memorandis antiquitatibus Litterariis apprime verſatus, cui per nos accedat etiam Teutonicus Hiſtoriographus noſter Martinus Zeillerus in Continuatione Itinerarij ſui Germaniæ cap. 21. fol. 281. conſtanter aſſerens, unam iſtam S. Joannis Baptiſtæ Abbatiam inter plures totius Valencenianæ Civitatis Eccleſias eſſe longe præſtantiſſimam. Vide etiam noſtrum Cornelium Bartholomæi in Pondere Sanctuarij part. 4. fol. 410. & 435. ubi diſerte legimus, quod Abbas iſte Canonicorum Regularium in Actibus publicis & alibi ſemper & ubique præcedat Abbatem S. Salvij Ordinis Benedictini apud Valencenas ibidem. Cæterum Pennottus noſter lib. 2. cap. 38. Monaſterium hoc Valencenum refert, & numero undecimum ponit inter ea quæ vel olim addicta fuerunt Venerabili Congregationi Aroaſienſi. Quod etiam facit Joannes Bollandus ad diem 13. Jan. in vita B. Hildemari, ubi inter alia hujus Aroaſienſis Domicilia decimum quartum ponit *S. Joannis in Valencenis.* Cæterum de præclariſſimæ hujus Congregationis exordio & Progreſſu videri poſſunt ea, quæ ſuperius V. *Aroaſienſe* fuſius deducta ſunt.

D' VALLE,

Taliter appellatus Regularis quidam Prioratus Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini apud Burgundiones in Diœceſi Biſuntinenſi conſtitutus, qui tamen (uti refert Gab. Pennottus in Hiſt. Tripart. ejusdem Ordinis antedicti lib. 2. cap. 33. num. 10.) ſolummodo habet Priorem Fiduciarium, & duos Canonicos Regulares, cætera nobis incognitus.

VALLIS BENEDICTA

Taliter intitulatum Leodienſis Diœceſis Regulare Monaſterium, primo pro Canonicis Auguſtinianis fundatum, inde tamen ad Aſcetas Ciſtercienſes devolutum, prout de hoc ab Anonymo in Magno Chronico rerum Belgicarum fol. 217. taliter habetur annotatum: *Circa annum Domini 1234 fundatur Eccleſia, quæ dicitur Vallis Benedicta, in quæ erant Canonici Regulares.* &c. Et paulo ante fol. 215. *Item Dominus Cardinalis Conradus Roma regreſſus & per Imperium Allemanniæ conſtitutus Legatus Leodium venit, ibique Vallem Benedictam Ordinis Ciſtercienſis de novo Fundatam circa Penteco ſten conſecravit prius ab Ottone Decano S. Pauli Leodienſi fundatam, in qua erant Canonici Regulares.* &c.

VALLIS BRUNDI,

Quoddam Canonicorum Regularium Cœnobium in Archi-Diœceſi Trevirenſi vel de præſenti conſiſtere, vel priſcis ſaltem temporibus conſtitiſſe ſcribit quidem Pennottus lib. 2. cap. 39. Verum nomen Cœnobij iſtius in Tota Trevirenſium regione ætate noſtra adeo obſcurum eſt & incognitum, ut poſt hominum memoriam nullum amplius ſuperet qualecunque tandem illius indicium, atque hinc, ſi quod forte ubi ubi tandem locorum aliquod hujus nominis Monaſterium detur ſeu exiſtat *Vallis Brundi* nuncupatum, extra Provinciam Trevirenſem (qualiter gratioſe me per litteras Reverendiſſimus Prior Everhardo-Cluſanus edocuit) exiſtentiam ſuam habeat, neceſſe eſt. Verum ut ut ſit vel olim Monaſterium aliquod *Vallis Brundi* nuncupatum inter commembra Congregationis (de qua ſupra) Marbacenſis fuiſſe connumeratum manifeſte conſtat ex Catalogo apud Pennottum ante citatum relato.

VALLIS SCHOLARUM.

Hoc Cœnobium B. Mariæ dicatum, ac etiam Inſula B. Mariæ nuncupatum à ſitu, fundatur apud Leodium ab Ottone Deſprez Decano & Canonico Eccleſiæ Collegiatæ S. Pauli Leod. pro Canonicis Regularibus qui quondam ex Hoſpitali Domo S. Matthæi ad *Catenam* dicta, modo Seminarium eſt Epiſcopale ab an. 1589.) educti, tunc temporis degebant apud Vallem Benedictam non procul ab urbe, ubi nunc eſt Parthenon Ciſtercienſis Ordinis. Obiit Fundator, quem Fiſenus Abbatem ..oque S. Laurentii fuiſſe tradit in ejus Elogio, an. 1227. tribusque poſt annis menſe Jan. Joannes de Appia Epiſc. Leod. & an. 1231. exeunte Septembri Gregorius IX. hanc Fundationem confirmarunt. At vero Præfatus Joannes de Appia univit hanc domum Ordini Vallis Scholarium, ſubditamque fecit Priori de Geroldi-Sarto Literis datis hoc ipſo an. 1231. menſe Octobri, quas cum ceteris jam dictis noſtra inter inſtrumenta reperies.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

peries. Deinde an. 1614. die 26. Septembris Paulus V. Summus Pontifex hoc Aſceterium hactenus Prioratum duntaxat evexit ad Abbatialem dignitatem, ut palam fit ex ipſius Bulla ibidem adjecta. Acceſſit tandem ad Congregationem Gallicanam an. 1667. ſub qua potiſſimum floret. Templum ejus ſpecioſum eſt ac celeberrimum, populi maxime cultu erga S. Mariæ Virginis imaginem ad quam fiunt plura miracula. In his factum eſt unum ſingulare circa Dominum Paulum Joannem Baronem de Groisbeck majorem Eccleſiæ Cathedralis & S. Dionyſii Præpoſitum qui meritis B. Mariæ Virginis quam corde & affectu hac in Eccleſia invocaverat, à morte violenta quam ipſi quidam nefandus ſicarius inferre inflictis plusquam 20. ictibus longioris cultri tentavit liberatus eſt 13. Julij 1648. In cujus rei memoriam & gratiarum actionem inſcribi fecit hanc Hiſtoriam in Ima parte Tabellæ ipſum ad pedes B. Mariæ Virginis exhibentis 22. Martij 1666. Excerpta hæc ſunt ex *Gallia Chriſtiana* aucta à Viris Clariſſimis ex Congregatione S. Mauri Ord. S. Benedicti Tomo III. pag. 1112. & ſequentibus.

Series

Priorum & Abbatum.

I. R. Prior 1233. fortaſſe Robertus, qui reperitur an. 1249. cujus proinde temporibus Religioſa Domus de Houffalize ortum habuit ex hac Leodienſi an. 1243.

II. STEPHANUS Prior jam 1258. vivebat adhuc 1280.

III. LAMBERTUS occurrit 1285. in Teſtamento Canonici Dionanti.

IV. BASTINUS 1295.

V. RENERIUS I. 1302.

VI. HENRICUS I. de Hermale. 1314.

VII. EGIDIUS de Hoio 13....

VIII. HENRICUS II. Roloux 1322.

IX. ANCEALIS 1331. & 1348.

X. BALDUINUS de Jemippe *fortaſſe* de Genappia 1351. moritur 1362. die 19. menſis Aug.

XI. JOANNES I. Dalleur 1364. Obiit 1368.

XII. JOANNES II. de Lantremange 1368. & 1376.

XIII. JOANNES III. d' Alker 1377. & 1397.

XIV. NICOLAUS I. Hodeige 1401. & 1414.

XV. GILBERTUS Paris 1416. & 1427.

XVI. HENRICUS III. Delweige 1429. & 1439.

XVII. GUILLELMUS I. de Liewes 1440. & 1451.

XVIII. GUILLELMUS II. Cuper 1452.

XIX. FRANCISCUS d' Awans obiit 8. Novemb. 1484.

XX. THEODORICUS Crome 1487. & 1505.

XXI. PETRUS d' Arras fato functus eſt 15. Decemb. 1531.

XXII. WOOT le Follon Spiritum emiſit an. 1553. die ultima Octob.

XXIII. HENRICUS IV. Morlet electus in Priorem eodem anno 1553. naturæ conceſſit Peſte ſublatus cum maxima Fratrum ſuorum parte an. 1556. cujus in tumulo hoc olim Epitaphium legebatur:

En Prior Henricus jacet hîc cognomine Morlet,
Mentis & ingenii dexteritate valens.
Has poſtquam tabo Peſtis corruperat ædes,
Non ſine conſociis, prob dolor! homo ruit.

Notatu vero dignum eſt Fratres huic cladi ſuperſtites voto ſe obſtrinxiſſe quod hactenus ſolvitur, dicendi quotidie poſt Officium Primæ Antiphonam & Collectam ad honorem S. Rochi, nec non in ejus die Feſto annuatim recurrente cantandi ſolemnem Miſſam, poſt quam ritu ſupplicantium compoſito agmine defertur ejusdem ſancti effigies cum SS. Sacramento quod geſtat curio S. Foillani.

XXIV. NICOLAUS II. Delvignette obiit anno 1575. cujus aliquando ſepulchro inſcriptum erat hoc Epitaphium:

Vineolanus in hoc tumulo poſt fata quieſcit
Nicolaus noſtræ prima columna domus,
Cujus ut ad veram recto mens tramite vitem
Perveniat, Superos, Lector amice roga.

XXV. JACOB Hexterman rebus humanis exemtus eſt die 4. Martij 1588.

XXVI. GERARDUS Dorio reperitur an. 1588. Mortem oppetiit 13. Junij 1596.

XXVII. LUDOVICUS Dorlot Vir frugi, ſubſcriptus memoratur hoc anno 1596. è vivis exceſſit die 27. Septemb. 1605. poſtquam regiminis laude omnes Anteceſſores ſuperaſſet.

XXVIII. PAULUS I. Moumale ſucceſſit an. 1605. mortuus anno ſequenti.

Abbates.

I. WINANDUS Latomi ultimus Prior an. 1606. ac primus Abbas 1614. quo ſcilicet anno die 26. Septembr. Monaſterium erigi curavit in Abbatiam per Bullam Pauli V. Summi Pontificis. Vivere deſiit 4. Aug. 1619.

II. PAULUS Wertea, hujus Cœnobii Alumnus curionatum S. Foillani obtinebat, quando fuit electus in Abbatem annno 1619. Dies abſolvit 14. Aprilis anni 1654.

III. RENERIUS de Trixhe, electus an. 1654. ſtrictiorem vivendi normam inducere cogitavit; quamobrem Pariſios vel per ſe, vel certo per alium acceſſit; verum morte intercedente rem ad exitum perducere nequivit. Defunctus eſt in ſuo Monaſterio die 11. Martii an. 1664. ætatis 63. profeſſionis 45.

IV. HENRICUS Guillelmus de Xhervels ſucceſſit, ſub quo unita fuit hæc Abbatia florentiſſimæ Canonicorum Regularium Gallicanæ Congregationi, a S. Genovefa nuncupatæ, Bulla Clementis IX. data 22. Auguſti 1667. & aſſenſu Maximiliani Henrici de Baviere Sereniſſimi Principis Electoris Colonienſis, quorum vi R. Pater a S. Maria ejusdem Congregationis Procurator Generalis ac præcipuus dictæ Unionis Promotor, cum quinque Sociis & uno Fratre converſo, hujus Abbatiæ poſſeſſionem adeptus eſt nomine Reverendiſſimi Patris Blanchart Abbatis S. Genovefæ apud Pariſios nec non Superioris Generalis Ordinis Vallis Scholarium, & præfatæ Congregationis Gallicanæ, eodem anno 1667. 10. Octobr. qua die Leodii ac præſertim in hac Eccleſia Feſtum B. Mariæ, ſub hoc titulo, *Recollectio omnium Feſtivitatum B. Mariæ Virginis* agebatur. Porro hi ſeptem reformati Canonici pridie Leodium urbem ingreſſi, apud RR. PP. Carthuſianos diverſati fuerant, a quibus & maxime a Domno Priore ex Nobili Gente *Liverno* optima quæque charitatis Officia experti ſunt, nec ſolum hac in occaſione, ſed quamdiu vixit, & cum in extremis eſſet poſitus, eos commendavit Fratri ſuo Canonico Eccleſiæ Cathedralis Archi-Diacono & Cancellario Epiſcopi & Principis; isque nunquam non de ipſis bene meritus eſt. Reticere quoque haud par eſt accepta tunc temporis beneficia a Domino de Slus Canonico Majoris Eccleſiæ Leod. cujus præſertim gratia ejus frater Eminentiſſimus Cardinalis de Slus Romæ nihil non egit apud Summum Pontificem, ut reformationis negotium conſummaret. Inter hæc tamen initia novi hoſpites rebus omnibus maxime neceſſariis egebant, at brevi ſparſo circumquaque virtutum odore, nacti ſunt opem. Dominæ de la Naye ſua ſponte quadam ipſis pecuniæ ſummam absque fœnore crediderunt, quæ non niſi poſt annos quadraginta reſtituta fuit. Inſuper Nobiles & Spectatiſſimi quique civitatis, eorum optimo genere vivendi allecti liberos ſuos pacta mercede eis tradiderunt inſtituendos; ſicque domus hæc facta eſt quaſi Seminarium, ex quo tam in eccleſiaſtico quam in politico Ordine præclara juventus prodiit. Teſtes ſunt inter alios Dominus Epiſcopus Sermopolis Major Vicarius & Canonicus Eccleſiæ Cathedralis, Dominus Comes de Poictiers hodie Major Præpoſitus & Canonicus Eccleſ. Leod. & Dominus de la Naye nunc urbis Conſul. Hæc ipſa vero potiſſimum debentur Reverendo Patri Watrée ſtatim a reformatione electo Priori ſimul & Viſitatori Campaniæ, qui jam clarus ab inſtituta reformatione in S. Laudi Rothomagenſis, & S. Barbaræ in Augo Cœnobiis, hanc quoque Domum feliciter innovavit. Denique Henricus de Xhervels tranſiit ad alteram vitam 13. Junii 1674. ætatis ſuæ 42. Profeſſionis 22.

V. AN-

V. ANTONIUS Petit-pied reformatus Canonicus primus ab Inſtituta in hac domo reformatione declaratus Abbas. Tot ac tantas inter quæ in eo eluxerunt virtutes, enituit maxime Studium ſalutis animarum, quo accenſus ferventer è pulpito populum docebat nec infantibus ipſis Rudimenta Doctrinæ Chriſtianæ tradere dedignabatur. Tandem an. 1678. revocatus eſt in Franciam, ut majori Valli Scholarium præeſſet.

VI. THOMAS de Paris de Branſcourt, Antonio ſucceſſit an. 1678. die 23. Novembris, non minus pietatis quam ſedis ipſius heres. Fuit quoque Viſitator Campaniæ. At non multo poſt cum ab hoſtibus Galliæ Leodium occuparetur, ſecedere coactus eſt junioribus interim Canonicis, quos in Chriſto genuerat in ejus ſemper ac ſuperiorum Ordinis obedientia permanentibus, quanquam illis antiquiores Aſcetæ defectionem ab ea ſuaderent. Obiit in Abbatia S. Genovefæ Pariſiorum die 3. Aug. an. 1693.

VII. JOANNES Macaire poſtridie nominatus Abbas non continuo per ſe ipſum Poſſeſſionem accepit ob æſtum Belli, ſed tandem favore Domini Baronis de Mean tunc majoris Decani Eccleſiæ Leodienſis, & Domini de Quartier Scabini præſtantiſſimi qui pro illo Sponſor factus eſt, liberum in urbem obtinuit acceſſum. Obiit omni virtutum genere clarus, die 29. Julij an. 1702. cum ſimul eſſet Provinciæ Campaniæ Viſitator & Commiſſarius Generalis Domorum Ordinis Vallis Scholarium in inferiori Germania.

VIII. ALANUS de Large deſignatur Abbas à Reverendiſſimo Patre de Montenay Abbate S. Genovefæ &c. cujus Abbatiæ Poſſeſſionem nactus eſt per Procuratorem, cum per ſemetipſum apprehendere, Bello intercedente non liceret. Denique mortuus eſt Vir præſtantiſſimus inſalutatis Alumnis 28. Junij an. 1705. in Abbatia S. Dionyſii Remenſis, dum in eadem tanquam Viſitator Campaniæ ſuum munus obiret. *Vir erat*, teſte Joanne Chryſoſtomo Hagero de Scriptoribus Ord. Can. Apoſtolici: *immenſæ lectionis, & ſcrupuloſæ pietatis.* Scriptum edidit: *Diſquiſitiones de Canonicorum Ordine*, ſuppreſſo tamen proprio nomine.

IX. GABRIEL de Riberolles uno poſt quam renuntiatus eſt Abbas anno revoluto, necdum gregis ſibi commiſſi viſione recreatus, quanquam id ſummopere cuperet, deſignatur Reverendiſſimi Patris Generalis Senior aſſiſtens, ac deinde Superior Generalis, per annos ſex; Gallice ſcripſit: *Lettre du R. P. de Riberolles.* Obiit ſenio gravi ſed virtutibus plenus die 3. Novembris 1733. ætatis anno 87.

X. RENATUS Hiacynthus de Reminiac Succeſſor datus, Poſſeſſionem accepit die 25. Octobris an. 1706. Iſte in primis Domus Dei decorem dilexit, Verbumque Divinum indefeſſo labore diſſeminavit.

XI. CAROLUS Guerin Vir tum pietate tum doctrina conſpicuus nominatus eſt Abbas 28. Octobris ejusdem anni. Vivendi finem fecit 13. Junij 1723. ætatis 59. ſimul Commiſſarius Cœnobiorum Ordinis Vallis Scholarium in inferiori Germania.

XII. CAROLUS FRANCISCUS Rouſſel nominatione Reverendiſſimi Patris Generalis factus eſt Abbas menſe Auguſto anni 1723. Dignus eſt qui præſit poſt talem ac tantum Virum Deceſſorem.

VALLIS VIRIDIS,

Ter Inclytum hodie Congregationis Windeſimenſis Cœnobium, ex Eremitorio Joannis à Boſco (ut ſcribit Bucelinus Germaniæ Sacræ part. 3. fol. 121.) ad Canonicorum Ordinem anno circiter 1343. translatum: Genuinam tamen Fundationis Hiſtoriam, & poſt diligentem inquiſitionem, indagare nequivimus. Meminit hujus Collegij Arſanius Tamburinius de Jure Abbatum tom. 2do fol. 318. n. 18. ubi ex Sylveſtro Marulo refert, illud fuiſſe caput inclytæ Congregationis *Vallis Viridis*, ante annum 1200. inſtitutæ, quæ tamen opiniones, facta annorum computatione cohærere vix poſſunt, niſi dicere quis velit, prædictam *Vallis Viridis* Congregationem jam anno 1200. inchoatam, ultronee hujus nominis Canoniam Sæculo primum ſequenti, juxta Bucelinum Canonicis Regularibus commiſſam, pro Capite ſibimet elegiſſe, de quo quidem in tanta adverſantium opinionum incertitudine pluribus diſputare non vacat. Certiora ſunt, quæ de loco hoc ſcribit Joannes Buſchius in Chron. Windeſimenſi lib. 1. fol. 174. illud nempe una cum aliquot aliis Canonicorum Domiciliis ad Congregationem Windeſimenſem anno 1413. unanimi Generalis Capituli conſenſu fuiſſe ſuſceptum, in quorum unione, *devotus Pater Joannes de Sconovia* (verbis utor citati Buſchij) *Subprior Viridis Vallis ſolennem tunc fecit in Latino Collationem, in omnium*

audientia, *ſub Themate:* Et fiet unum Ovile & unus Paſtor. Joan. 10. Plures Canonia iſthæc in hodierna tempora numeravit Viros Doctrina & Sanctitate illuſtres, ex quibus hic unum Joannem Rusbrochium ſuſiore rerum præclare geſtarum relatione deprædicabimus poſt Catalogum Præpoſitorum, quem more noſtro, tali Ordine ſubjicimus.

Catalogus

Reverendiſſimorum DD. Præpoſitorum Vallis Viridis. &c.

I. FRANCO de frigido monte S. Gudilæ Presbyter minoris Eccleſiæ Canonicus, qui contuitus Joannis Hinckaertij ejusdem Eccleſiæ majoris Canonici tantam vivendi rationem illi primum ſe ſociavit, quibus & Joannes Rusbrochius ſeſe junxit, donec pluribus ſeſe ſociantibus à Domino Petro de Salicibus Priore Monaſterij S. Victoris Pariſiis vitæ Regularis normam, ac paulo poſt Canonicorum S. Auguſtini habitum è manu Petri Andreæ Cameracenſis Epiſcopi acciperent, qui ſequenti die Franconem Præpoſitum, Rusbrochium Priorem declaravit. Rexit Cœnobium multo tempore & anno 1386. quinto Idus Julij ex hac vita migravit.

II. REYNERUS de Velle ex Canonico Bredanæ Eccleſiæ hujus loci Religioſus ac dein Præpoſitus, novam & ſplendidiorem cum ſex Altaribus ſtruxit Eccleſiam, quam Joannes Laudicenſis Epiſcopus juſſu Cameracenſis dedicavit, obiit Reynerus anno 1401. die 5. Jan. non ſine opinione Sanctitatis.

III. JOANNES Spighel de Ockenzeel S. Stephani oriundus, & ipſe bene meritus.

IV. HENRICUS Zelle (aliis Selle vel Sellius communiter appellatus) Magiſter artium Pariſienſis homo induſtrius doctrina & virtute eximius Præpoſituram in Prælaturam Prioralem commutavit. Sed oportune placet hic ſubnectere copioſas admodum laudes digniſſimi iſtius Præſulis, quas depromit Joannes Hogbergius in ſuis Notationibus ad Hiſtoriam Corſendoncanam exaratis fol. 84. ubi de eodem ſic ſcribit: Hic Sacerdos & Magiſter artium atque Vir magnæ eloquentiæ, cum in Pariſienſi Academia ſtudii ergo commorans intellexiſſet M. Waltherum Girulanum, amicum quondam & Conſodalem ſuum a Domina Maria commiſſionem initiandi Monaſterii acceptaſſe, relicto ſtudio & ſæculo eidem ſe ſocium adjungit. Qui tandem ex tertio Rectore Vallis S. Barbaræ Thenenſis a Conventu Viridis Vallis electus eſt in quartum Præpoſitum ibidem. Ubi una cum Laurentio Geruntii Priore Rubeæ Vallis ex injuncto Petri de Aliaco Cameracenſis Epiſcopi, & poſtea S. R. E. Cardinalis conſtitutus eſt Bruxellis Inquiſitor hæreticæ pravitatis pro extirpandis reliquiis nefandæ illius hæreſis, quam Bruxellis tempore Joannis Rusbrochii ſeminaſſe quandam fœminam, cui nomen Blomardina ſcribit noſter (Joannes) Meerhout ſupra 125to. item Petrus Impens lib. 1. art. 2. §. 3. & ex iis Laurentius Landmetter de Ver. Cler. lib. 2. p. 3. cap. unico; qui non aliam eam fuiſſe cenſet quam quæ in hodiernum diem latiſſime viget Libertinorum. Illam exactius licebit cognoſcere ex noſtro Meerhout ſupra citato, qui ita ſcribit: Erat in oppido Bruxellenſi eo tempore, quo Dei famulus Rusbrochius adhuc Presbyter manſit, in ſæculo mulier quædam perverſi dogmatis dicta vulgariter Blœmardine tantæ famæ, & opinionis, ut etiam tempore ſacræ Communionis, quando accederet ad altare inter duos gradi Seraphinos crederetur. Hæc mulier ſcribens de ſpiritu libertatis, & nefandiſſimo amore venereo, quem & Seraphicum appellabat, tanquam inventrix novæ doctrinæ a multis ſuæ opinionis diſcipulis venerabatur. Sedebat quippe docens & ſcribens in Sede Argentea: quæ quidem Sedes ob ſuæ opinionis redolentiam poſt ejus obitum Duciſſæ Brabantiæ dicitur præſentata. Cujus etiam defunctæ corporis attactu Claudi ſe putabant poſſe conſequi ſanitatem. Huic igitur errori compatiens Vir plenus ſpiritu pietatis illico perverſæ ſe doctrinæ oppoſuit, & quamvis multos haberet æmulos ſcuto circumdatus veritatis ſcripta fucata & hæretica, quæ tanquam divinitus inſpirata, illa tot annis in fidei noſtræ derogationem diſſeruit, ipſe veraciter denudavit. In quo profecto ſpiritu ſapientiæ & fortitudinis ſibi oſtendit ſatis imbibitum, non veritus inſidias æmulantium, nec fuco deceptus falſorum dogmatum ſub conſonantia veritatis: Scripta namque illa nefandiſſima taliter fuere prima facie veritatis ſpecie ſuperveſtita, quod nemo poſſit erroris deprehendere Seminarium, niſi per illius gratiam & auxilium, qui docet omnem veritatem. Hactenus ſæpe citatus Meerhout.

Quam

Quam vero noſter hic Sellius hæreſi huic eliminandæ inſudaverit, quæque opprobria, imo vitæ pericula ab ipſis hæreticis propterea ſuſtinuerit, videre eſt in libro quodam vetuſto M. S. Bibliothecæ Viridis Vallis: ubi ſic fere legitur: Henricus Selle factus quartus Præpoſitus Viridis Vallis a Reverendiſſimo Petro de Aliaco Epiſcopo Cameracenſi per litteras eſt requiſitus, ut una cum Laurentio Priore in Reimerswale, ſed in Rubea Valle Profeſſo (hunc etiam Priorem in Rubea Valle fuiſſe ſcribit Petrus Impens lib. art. 12. §. 7.) ſollicite inveſtigaret geſta quorundam hæreticorum, qui tum Bruxellis delituerant, & ſibi, quod forte perciperet, denuntiaret. Qui commiſſum ſibi negotium diligentiſſime peragentes ad Epiſcopum ſingula retulerunt. Unde Epiſcopus eosdem, eorumque fratres ad hoc idoneos commonuit per litteras, ut ipſi per totam ſuam Diœceſin adverſus hujusmodi pravitatem hæreticam prædicarent, & ejus deteſtandos articulos publice coram cunctis Chriſti fidelibus denudarent. Appellabatur autem hæreſis illa Liberorum Spirituum. Nam & Sectatores illius hujusmodi libertatem ſpiritus dabant in occaſionem carnis, non curantes obſervare Statuta Sanctæ Matris Eccleſiæ, nec præceptis Dominicis obedire, nec Sacramenta venerari, ſed quadam libertate Diabolica credentes ſibi licere, quidquid liberet facere. Hinc contigit, quod ab eisdem hæreticis idem Henricus lethali odio haberetur, nam in deſpectum ejus carmen quoddam profanum in Teutonico ediderunt, & per plateas Bruxellenſes decantaverunt. Inſuper eundem perimere laborarunt. Quodam nempe die dum idem Henricus Bruxellis ad Vallem Viridem contenderet, & juxta currum Monaſterii ambularet, hæretici inſidias poſuerunt. Cumque ad locum inſidiarum deveniſſet, illi de latibulis provenientes in eum impetum fecerunt ipſum evaginatis gladiis interficere molientes. Sed ille juvante Deo tam ſubito de eorum oculis manibusque evanuit, ut ſocius itineris F. Marcellus, quonam fugiſſet, ignoraret, donec timens & ſtupens Bruxellam rediens ipſum ſanum & incolumem illic inveniret. Præfuit autem Præpoſituræ Viridis Vallis annis tribus, quando ex quarto Præpoſito factus eſt primus Prior Prælatus. Hæc ille loco citato.

V. WALTHERUS Petercels Lovanienſis.

VI. HENRICUS Petri Lovanienſis anno 1406. electus Vir præſtantiſſimus.

VII. JOANNES Paſtoris ex pago Hoolaert Cœnobium præclaris excoluit ædificiis.

VIII. MAGISTER Henricus ex Pomerio Bruxellis natus fit Præpoſitus anno 1431. Vir eruditus nonnulla ingenii monimenta poſteris reliquit.

IX. GERARDUS Smans de Turnhout ſumma circumſpectione exuſtum anno ſuperiore Cœnobium electus anno 1432. illico reædificandum ſuſcepit, & feliciſſime confecit paulo poſt mortuus anno 1438. die 17. Aug.

X. JOANNES ab Haſſelt Territorii Leodienſis oppido ac pago Diſciplinæ Regularis promotor ſollicitus.

XI. HENRICUS Mortenbeck Bruxellenſis Vir Columbinæ ſimplicitatis & ſenex abdicare multoties conatus poſt triennij regimen exauditus eſt. Venerabili Sacramento Altaris longe devotiſſimus etiam poſtquam ob imbecillitatem & cæcitatem non poſſet amplius ſacris operari. Obiit die 15. Decembris 1464.

XII. CORNELIUS de Platea Oeſterhutanus elegans valetudinarium ſtruxit 1450. vita exceſſit anno 1457.

XIII. OLIVERIUS Verbercht Zicheimienſis obiit anno Verbi Incarnati 1467.

XIV. THOMAS Moninx Bruxellenſis Cœnobium multis ædificiis auxit, rem ſtrenue geſſit, ac obiit dio 5. Decembris anno 1483.

XV. PETRUS van der Eeziriczæa oriundus, de quo nihil præter nomen.

XVI. JOANNES Keyaerts Bruxellenſis ab omnibus in pretio habitus, Virorum hoſpitium & deſiderata ambitus Laicorum ædificia ſtruxit electus unanimi conſenſu anno 1491. deceſſit anno 1503.

XVII. JACOBUS Dinter, Vir grandævus, in quo eluxit digniſſimum Eccleſiæ ſuæ exornandæ ſtudium, ſenile conſilium, morum gravitas, & mirus animi candor. Obiit die 4. Martii anno 1512. ætatis 70.

XVIII. EVALDUS Vinx Gandenſis non integros undecim annos præfuit.

XIX. DANIEL Petri Bergenſis ad Zonam ingenio præſtantiſſimo, tenaci memoria, acri judicio Bibliothecam auxit. Obiit die 17. Maji 1534.

XX. HENRICUS de Stratis Bruxellenſis. Obiit 4. Nov. an. Chriſti 1548.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XXI. QUINTINUS Dierix ab ingreſſu Religionis ad ſupremam usque horam in omni genere diſciplinæ Monaſticæ cunctis admirabilis. Obiit die 20. Martii anno 1553.

XXII. ARNOLDUS de Winter Bruxellenſis ſecundo ſtatim Prælationis anno obiit.

XXIII. THEODORUS Supramontanus Bruxellenſis. Obiit die 25. Auguſti anno 1566.

XXIV. PETRUS Walſchæus Bruxellenſis magno omnium cum dolore mortuus cum vix tertium ſupra totidem annos menſem præfuiſſet.

XXV. MARTINUS Talparius Bruxellenſis, vita exceſſit anno 1572.

XXVI. ADAMUS Fabri ob pericula ab hæreticis metuenda Bruxellis emigrans ibidem peſte diem ſuum. obiit 1577.

XXVII. JACOBUS Stampion vere Iſraëlita, pulcherrimam ſuam Eccleſiam ab Iconoclaſtis peſſime exſpoliari expertus innumeris malis ſuperior tandem Bruxellis vita deceſſit 1586.

XXVIII. JOANNES Meys Thenenſis ſexenne regimen tenuit, ac obiit 1592.

XXIX. VICTOR Succantius Brugenſis Flander exactæ pietatis Vir obiit die 21. Junii 1598.

XXX. ANTONIUS de Berchim Furenſis Monaſterium vaſtatum reſtauravit, exules ſuos reduxit, optimis diſciplinis imbuit obiitque diem ſuum 1622.

XXXI. JOANNES Succantius Antverpienſis ſpeculum Viri Religioſi de Monaſterio ſuo & Ordine optime meritus, ex hac vita migravit Calendis Maji anno 1637.

XXXII. PETRUS Parys Bruxellenſis tantæ fuit dignitatis, ut natura in ipſo viſa ſit theſaurum ſuum condidiſſe.

XXXIII. JOANNES Lamartius Bruxellenſis.

Cæterum notato Prælatorum Catalogo Venerab. Joannis Rusbrochij quondam Viridis Vallis Inquilini, præclara Sanctitatis exempla, doctrinæque monumenta, in meritam laudem tanti Viri nunquam ſatis laudandi hic paulo fuſius annectere conſultum duximus. Itaque Joannes Rusbrochius vulgo Ruysbrock (quem male Conradus Geſnerus in Bibliotheca Tigurina Rusberum appellat, diverſumque à Rusbrochio ſtatuit) Natione Belga, Patria Ruysbrockenſis, qui pagus celebris eſt ad Sennam fluvium inter Bruxellam & Hagas ſitus. Fuit is primo Eccleſiæ S. Gudilæ in Urbe Bruxellenſi Vicarius & Presbyter, jam tum egregius ſui ac terrenorum contemptor, & quia contemplatione addictiſſimus erat, turbas & conſortia hominum ut plurimum declinabat, huic proinde tam ſancto otio melius vacaturus, jam ſexageſimum ætatis annum agens, cum jam pridem perfectionis culmen attigiſſet, Viridem Vallem in Sylva Sonia ſecundo à Bruxella lapide diſtantem acceſſit, ubi in recens excitato Canonicorum Regularium Ord. S. Auguſt. Cœnobio Primus illius loci Prior ſub Francone Præpoſito, & Auctor reformati poſtmodum per Belgium Canonici Ordinis fuit. Cujus virtutum ac Sanctimoniæ Fama illectus Gerardus Magnus Inſtitutor Clericorum in communi viventium Sanctum Virum in Viridi Valle inviſit, quem Rusbrochius antea nunquam viſum proprio ſalutavit nomine, humaniſſimeque exceptum una cum ſocio in Cœnobium introduxit, quocum aliquot dierum curricula in Sanctis Colloquiis tranſegit, alii quoque Viri haud vulgaris exiſtimationis ac dignitatis ex Flandria, Alſatia, ac aliis Regionibus ad illum viſendi gratia confluxere, è quibus Joannes Taulerus Dominicanus SS. Theol. Doctor, Vir raræ eruditionis ac eximiæ Sanctitatis, qui Venerabilem Virum Rusbrochium crebrius viſitans, in ſumma veneratione habebat. Sæpius dicere ſolebat ſe ex animo paratum eſſe ad omnia perferenda, quæ Dominus ipſi accidere velit, ſive mors ſit ſive vita, ſive etiam intollerabiles inferorum cruciatus: neque quidquam jucundius aut ſalubrius judicabat, vel petebat, quam ut Amantiſſimus Dominus JEſus promptum ipſum atque paratum ſemper ad omnia juxta arbitrium ſuæ voluntatis inveniret.

Humilitatis virtutem ſummopere Vir ſanctus ubique locorum, & quacunque ſeſe offerente occaſione exercuit, & licet Summus ac Excellentiſſimus eſſet Contemplator, otiumque potius ac quietem vita Myſtica exigere videretur; ipſe nihil ſibi tribuens, quo minus cæteris exemplo eſſet, non attento ſenio, aut laboris moleſtia, ſicut in colendis virtutibus & Regularibus exercitiis, ita & in Manuali labore, vigiliis quoque ac jeju-

jejuniis alios omnes longe anteceſſit, ſemper quod vilius & abjectius eſſet, aliique horrerent, eligens: Dum labori manuum inſiſteret, Roſarium ſuum manu deferre in more poſitum habebat, ut, dum una manu corporis labori, altera Spiritus fervori inſerviret, hoc ſingulari dono dotatus, ut perinde in opere atque in ſolitudine, quoties vellet, Divinæ ſe contemplationi tradere, quare Canonicis ſuis crebro narrabat, minori ſe negotio, ſi luberet, animum ſurſum ad Deum per contemplationem, quam manum ad caput levare. Relucebat porro in Viri vultu gratia Dei, in verbis modeſtia, in actionibus pietas, in geſtis ſubmiſſio, in cunctis denique moribus virtutum integritas & cultus; unde non parvam conſolationem Collegæ ipſius ex ejus præſentia & alloquio capiebant. In victu erat parcus, patiens in omnibus, erga omnes compaſſionis usque adeo plena habebat viſcera, ut, nedum ratione præditis, ſed & Brutis animantibus condoleret opemque, ſi opus foret, præberet: Graviſſimas ab humani generis hoſte perpeſſus eſt tentationes, verum illæ non tam crebræ fuerunt, quin magis frequentes haberet, & paucis expertis deſuper conſolationes. Ipſe Servator Chriſtus ſæpius ad illum inviſit, gratiæque ſuæ muneribus participem fecit, maxime autem quadam vice cum SS. Matre ſua Maria ac Cœlitibus ad ipſum viſitandum advenit hiſce verbis illum compellans: *Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Stringensque eum amplexibus ita Matrem ac præſentes affatus eſt. *Ecce Puer meus dilectus.* Frequentiſſimus in litando Summo Deo erat, ita ut nunquam Incruentum hoc Sacrificium, niſi adverſa valetudine vel alio impedimento compulſus, ſenio licet confectus, annosque plusquam octoginta & ſeptem natus, offerre omitteret, unde non raro accidit, ut præ nimio ſenio caligantibus oculis vix hoſtiæ imaginem perſpicue agnoſceret, ac interdum ita elevaret, ut pedes ſurſum, caput deorſum ſpectarent.

Quadam vice cum in ſacro (ut vocant) Canone eſſet, mirandam prorſus gratiæ abundantiam ſenſit, adeo ut totus ſpiritu liquefactus ſenſibus pene deficeret, Viresque illi officio peragendo neceſſarias natura denegaret, quod ſæpius ipſi contigerat. Quare cum ipſi à Præpoſito ſuo Miſſæ celebratio deinceps interdicta fuiſſet, tam graviter id Sancto Viro accidit, ut Præpoſitum ſuum acceſſerit, illumque pro copia ulterioris Sacrificii peragendi hiſce verbis rogarit: *Ne, quæſo, ait, Pater, propter hanc cauſam mihi celebrare prohibeas, qui enim defectus ex ſenio accidere videtur, ex Divinæ potius gratiæ præſenti munere evenire ſolet, quo etiam hac vice Dominus meus JEſus Chriſtus me afficiens, dulciſſimis inſuper Verbis me affatus eſt, dicens: Tu es meus, & ego ſum tuus.*

Plurimos ac pene Divinos conſcripſit Libros, in quibus componendis non vulgari ſed miranda prorſus methodo uſus, Divinis quippe gratiæ ſplendoribus ſe illuſtratum ſentiens, ſolus in Abdita Sylvæ ſeceſſit, ubi inter arbores ac fontes, foliorum & aquarum murmure invitatus laudabat Deum, quem Creaturæ etiam Alogæ & mutæ modo capacitati propriæ congruo, diu noctuque collaudant, inibique dictante Numinis Pnevmate ea, quæ ſibi occurrerunt, in tabula cerea ſcripto commendabat, ſecumque ad Monaſterium rediens aſportabat.

Refert Auctor illius vitæ cap. 10. Rusbrochium quadam die ſolito more divinitus permotum in Sylvam properantem ſub arbore quadam reſediſſe: Ubi Divinæ Viſitationis perfuſus dulcedine mentis raptum paſſus eſt, adeo ut diutius de more abſens permaneret. Quare Canonici de Prioris abſentia anxii, eum induſtrie hinc inde quærere cæperunt, cum vero nuſpiam intra Cœnobii ſepta illum reperiſſent, per vaſti nemoris ambages quærere attentarunt, quidam autem ex illis Viro Sancto multum Familiaris, cum Studioſius perquireret, vidit procul arborem quandam velut igne undique cinctam atque vallatam, tacitus igitur propius accedens conſpexit Joannem necdum plene ſui compotem ſub ipſa arbore reſidere magno Divinæ dulcedinis nectare perfuſum. Cum octogeſimum octavum ætatis annum attigiſſet, paulatim viribus deſtitui cæpit, & cum jam pridem à defuncta Matre ſua per viſionem diei obitus certior redditus eſſet, ingenti cum devotione ad mortem ſibi optatiſſimam ſeſe diſpoſuit, illud identidem Pauli Tarſenſis, *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto*, ac Regii Pſaltis: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei?* in corde ingeminans. Quare cum graviter febri dyſenteriaque laborans quindecim fere dies lecto decubuiſſet, ad extremum coram Con-Canonicis apud lectum ſuum orantibus, devote eos Domino commendans, ſanus mente, ac facie rutilanti ſuaviter & cum ingenti gaudio ſpiritum exhalavit anno Chriſti 1381. 2da die Decembris ætatis 88. Sacerdotii 64. terræ ibidem mandatus à Canonicis maxima qua decuit devotione. Poſt obitum Decano cuidam Dieſtenſi Medico expertiſſimo ſibique in vivis perquam familiari apparuit. Hic enim cum noctu ad corpus defuncti cum Canonicis Vigilias perageret, levi ſomno correptus vidit Sanctum Priorem Sacerdotalibus veſti-

bus indutum tanto cum ornatu ac decore, ut fari vix queat, ad oram accedere. Corpus Beati Viri cum quinque annis sub terra delituisset, postmodum vero effossum fuisset, tam integrum ac illæsum repertum est, ut nec vestes Sacerdotales quidem, quibus post mortem indutus erat, nec quidquam à vermibus læsæ aut corrosæ fuerint, extremam Nasi partem si excipias, tenui quadam corruptione infectam. Expositum subinde illud à Patribus in Cœnobii ambitu populo triduum spectandum fuit, unde tanta odoris fragrantia ex eodem sacri corporis ergastulo emanavit, ac si recens multis aromatibus esset conditum. Triduo elapso jussu Episcopi Cameracensis ad aliud sepulchrum in Ecclesiam honorifice translatum fuit, ubi etiamnum hodie conditum jacet, quæ sacra ossa tamen teste Auberto Myræo in Chronico rerum Belgicarum ad annum 1621. à Jacobo Episcopo Mechlinienſi die 8. Novembris prædicti anni è terra elevata sunt. Nec prætereundum, quod post sacrum ejus discessum accidisse refert Auctor vitæ ejus cap. 17. Quædam enim Fœmina Religiosa gravi dentium cruciatu afflicta, cum Medicorum ac Chirurgorum ope diu multumque frustra esset usa, nimio tandem dolore pene exanimata, Sororem suam Religiosam quoque Fœminam adiit, quæ secum dentem aliquem Joannis Rusbrochij pro reliquiis servabat, cui suos expositit dolores, illa vero Dei haud dubie instinctu tale responsum dedit. Equidem Soror, si hoc morbo vexarer, dentem, quem penes me habeo Ven. Patris Prioris Viridis Vallis meis dentibus devote adhiberem, spe freta, illius meritis me sanitati posse restitui. Dictis obediens illa, & admoto humiliter dente extemplo dolorem remitti sensit, ac paulo post sanitati integræ restituta est. Ex vita operibus Joannis Rusbrochij præfixa.

Scripsit autem Vir Divinæ contemplationi addictissimus lingua sua Patria Summam totius vitæ Spiritualis.

Speculum Salutis æternæ.

In tabernaculum Moysis, & ad id pertinentia Commentaria, ubi quoque multa Exodi, Levitici, Numerorum Mysteria Divino Spiritu explicantur.

Tractatum de quibusdam virtutibus.

Libellum de Fide & judicio.

De quatuor Tentationibus.

De 7. Custodiis opusculum longe piissimum.

De septem gradibus amoris.

De Nuptiis spiritualibus libros tres.

De perfectione Filiorum Dei.

Regnum amantium Deum.

De vera Contemplatione Opus præclarum.

Septem Epistolas utilissimas.

Cantiones duas admodum spirituales.

Samuelem, qui alias de Alta Contemplatione dicitur, verius autem Apologia quorundam hujus Sancti Viri dictorum sublimium inscribi posset. Hæc Joannis Rusbrochii Opuscula Germanica Laurentius Surius Carthusianus Juris Latini fecit, quod forsan in causa extitit, ut Sixtus Sennensis in Bibliotheca sancta Joannem inter Monachos Carthusianos censuerit. Edita sunt Coloniæ anno 1552. Quæ denuo recudi fecit ibidem anno 1608. in 4to. R. P. Gerardus ab Hamont Prior Carthusiæ Coloniensis. Notandum autem hoc loco, extare Versiones Librorum Rusbrochii in Viridi Valle longe alias, & forte meliores & fideliores referente Valeria Andrea Desselio nempe

De Tabernaculo Spirituali.

De Nuptiis Spiritualibus.

De Calculo sive Perfectione Filiorum Dei.

De septem Gradibus Divini amoris.

Quos libros Guilielmus Jordanus Canonicus Regularis Viridis Vallis latinitate donavit, qui fatetur in versione Libri de Tabernaculo Spirituali se adjutum fuisse ab ipso Auctore adhuc superstite.

Elogia Virorum aliquot Doctissimorum pariter & Religiosissimorum de Sanctitate & doctrina Joannis Rusbrochii.

Thomas a Kempis in vita Gerardi Magni cap. 10. scribit: Gerardum Magnum Rusbrochii vocem ac doctrinam appellasse, *Fistulam S. Spiritus, cujus pedum scabellum tam in hac quam in futura vita se fieri concupiscebat.*

Dionysius Rickel Carthusianus Doctor Extaticus passim Rusbrochii doctrinam & eruditionem deprædicat lib. 2. de Contemp. art. 9. *Virum mirabilem atque divinitus unctum, magnificeque unctum indigitat.* Tract. 2do de Donis Spiritus S. art. 13. *Alterum*

terum Dionyſium, Doctorem divinum, cujus inſtructor nullus niſi Spiritus Sanctus erat, vocat.

Joannes Molanus SS. Theol. Doctor in Additionibus ad Martyrologium Uſuardi ſub die 2. Decembris. *Virum doctum & ſanctitate clarum* denominat.

Eminentiſſimus S. R. E. Cardinalis Bellarminus in lib. de Script. Eccleſ. Rusbrochium *Virum contemplationi addictiſſimum* teſtatur. Bellarmino aſſentitur

Aubertus Myræus S. R. E. Protonotarius ac SS. Theol. Doctor in Auct. de Script. Eccleſ. ſcribendo, Joannem Rusbrochium *more Aquilæ renovata mentis Juventute tam clare in æternos ſolis radios aciem intelligentiæ fixiſſe, ut alterum quaſi Joannem Evangeliſtam ſuo ævo expreſſiſſe videatur.*

Hilarius a S. Anaſtaſio, Carmelita diſcalceatus ac Concionator Viennenſis in Auſtria quondam celebris lib. 3. cap. 15. §. 14. Archimedis Chriſtiani, Joannem *Virum perinde ſanctum ac doctum* appellat.

Alii quoque Authores fide digniſſimi Rusbrochii eruditionem ac ſanctitatem miris Elogiis ac Epithetis decorarunt, quorum atteſtationes per Thomam a Jeſu Carmelitam diſcalceatum Collectæ Antverpiæ editæ ac Romam SSmo Gregorio XV. Summo Pontifici pro Venerab. Viri Joannis Rusbrochii Beatificatione transmiſſæ, præſentatæque fuerunt.

Verum nullum opus tam præclarum, nulla ſcripta tam exacta, quæ ſuos non patiantur Zoilos, nullam non ſubeant Chryſin. Quid Platone divinius? & tamen in eo confuſionem arguunt. Quid Ariſtotele ſolidius? & tamen quærunt in eo perſpicuitatem, & Sepiam vocant. Quid Seneca ſapientius? & tamen a Quintiliano calx ſine arena dicitur, & rerum pondera minutiſſimis fregiſſe ſententiis arguitur. Tullio non ſatisfacit Ariſtoteles, & Tullius ipſe a Græcis repetundarum petitur, timiditatis, & ſuperfluitatis in repetitionibus, frigiditatis in facetiis, lentoriis in principiis, & quod raro incaleſcat, aſſurgat tarde, notatur. Inter Sacros vero Doctores, quid Auguſtius, quid ſubtilius, quid ſolidius Auguſtino Doctorum apice? & tamen in hac quaſi ſæculorum fæce, Auguſtino (ſi redivivus eſſet) in materia de Gratia & Prædeſtinatione quaſi Soli lumen ſe mutuare poſſe nuperus quidam affirmavit, antiquam Poëtarum de Scarabæorum cum Aquila certamine, fabulam in memoriam revocans. Quod ipſum Religioſiſſimo ac Eruditiſſimo noſtro Joanni Rusbrochio eveniſſe dolendum eſt, Joannes Gerſon quippe Cancellarius Pariſienſis, Vir cæteroquin notæ doctrinæ ac Sanctitatis, in Joannis noſtri Scriptis tanquam in ſola maculas quasdam, errores puto, hæreſin Almerici ſapientes ſe inveniſſe ſcribere auſus fuit. Sed multi, inter quos præcipui Dionyſius Carthuſianus lib. 3. de Contempl. cap. ult. & Joannes Schonhovius Canonicus Regularis Viridis Vallis propria Apologia Virum Sanctum acriter defendunt, Gerſonem quoque excuſant, quia aut verborum tantum ſuperfitiem attenderit, aut in vitioſam interpretationem inciderit, id enim accidere ſolet iis teſte Roberto Bellarmino, qui de Myſtica Theologia ſcribunt, ut eorum dicta ab aliis reprehendantur, ab aliis laudentur, quia non eodem modo ab omnibus accipiuntur.

Vitam Joannis Rusbrochii poſteris exaratam reliquerunt Joannes Schonhovienſis, Henricus a Pomerio, & Marcus Maſtalinus in ſuo Necrologio Viridis Vallis lib. 2. cap. 1. & ſequent. Eandem quoque conſcripſit Chryſoſtomus Henriquez ac Bruxellis edidit anno 1622. in 8. apud Joannem Papermanum.

S. UDALRICI,

Taliter intitulatum aliquod Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini Monaſterium Diœceſis Baſileenſis in Sundgovia conſtitutum: de quo ſingularem mentionem facit Romanus Hay Aſceta Benedictinus in ſua Aula Eccleſiaſtica ſeu Horto Cruſiano, ubi fol. 489. ita ſcribit: *Palam eſt, qualiter anno 1619. in Anterioribus Auſtriacis Provinciis hæreditariis, quando D. Angelottus Suffraganeus Baſileenſis Monaſterium S. Morandi, & D. Hornung Officialis ibidem Monaſterium S. Udalrici Canonicorum Regularium Romæ quidem impetraverant, Regimen vero Enſisheimenſe* (Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ pro tunc in Superiori Alſatia conſtitutum) *talem proviſionem non admittere nec proviſos in poſſeſſionem mittere voluerunt &c.* Et ſic ille, poſt quem Reverendiſſimus Prænobilis ac Ampliſſimus D. Auguſtinus in una eademque Baſileenſi Diœceſi Monaſterii Marbacenſis Præpoſitus Nobis per litteras gratioſe reſpondit: *Modo dicti Udalricani Monaſterii nomen in tota Sundgoviæ regione omnino eſſe heteroclitum, omni ſcilicet ejus memoria jam pridem, maxime vero durante bello Sue-*

cico penitus extincta; cujus tamen expreſſa mentio habetur in monumentis Biſuntinis jam ſupra ſuo loco recitatis, ubi hoc nominatum S. Udalrici Monaſterium recenſetur inter Regulares Prioratus Canonicorum Regularium Nobiliſſimæ Eccleſiæ Biſuntinæ ad S. Paulum jam antiquitus unitos & incorporatos.

UDEMENSE,

Prioratus de Congregatione S. Sepulchri in Ducatu Cliviæ nominatus apud Pennottum in Hiſt. Tripart. lib. 2. cap. 67. ubi is num. 20. ponitur inter Eccleſias memoratæ Congregationi ſubditas, & appropriatas. Cæterum de moderno ſtatu ſuo nec difficulter quidem per nos amplius inquirendus.

UDENSE,

Monaſterium Virorum de Congregatione Windeſimenſi Diœceſis Colonienſis in Ducatu Cliviæ apud Aubertum Miræum de Cann. Regg. cap. 13. fol. 66. *Monaſterium S. Spiritus in Uden,* ſeu *Vallis gratiæ* nuncupatum: cujus tempus fundationis aliqualiter indicat obitus primi Prioris in noto Chronico Montis Agnetis cap. 27. taliter annotatus: *Eodem anno* (1458.) *obiit in Caſtrino S. Martini Epiſcopi hora veſperarum dilectus Frater noſter & devotus Sacerdos & primus Rector in Uden Frater Jacobus Cluit, ſepultus ibidem ante ſummum Altare annorum 53. cujus memoria, & benedictione & laude permanebit, quia Deo dilectus & nobis exemplaris & ſibi ſtrictus fuit.* Cæterum de Monaſterio hoc aliud quicquam nobis non conſtat, niſi quod jam a longis retro temporibus Congregationi Windeſimenſi confœderatum, paucis abhinc annis caſuali incendio miſerrime deperditum vivis cineribus totaliter fuerit conſepultum. Et quod pejus, de ejus reſuſcitatione per quemcunque tandem ſuſcipienda nec quidem aliqua quomodolibet ſpes affulgeat.

VERDENSE,

Seu *Werdenſe* Collegium Cathedrale Eccleſiæ Verdenſis Provinciæ Moguntinæ jam ab anno 1648. Pace Monaſterienſi Coronæ Suecicæ pleno jure ſubditum & incorporatum, proin avita Patrum Religione in terris iſtis omnimode debellata, & penitus extincta in Sæcularem Imperii Principatum, & quidem in Circulo, uti vacamus, Weſtphalico deteſtanda prorſus Metamorphoſi mutatum. Initium ſumpſit Authore Carolo Magno Rom. Imperatore, qui Saxonia & Weſtphalia pleniſſime ſibi ſubjugata inter plures Cathedrales Eccleſias à ſe recens in Regionibus iſtis fundatas Verdenſem etiam (ut eſt apud Kranzium in Saxonia lib. 2. cap. 23.) Epiſcopatum inſtituit, quem quidem (teſte Bruſchio de Epiſc. Germaniæ cap. 14.) in loco *Kenande* dicto, ſeu (ut aliorum eſt opinio) in Bardevico (cujus brevem aliquam deſcriptionem exhibent Zeillerus in Itin. German. cap. 17. fol. m. 367. Abrahamus Saur in Germanica deſcriptione Urbium litt. B. fol. 103. Baudrand. in novo Lexico Geograph. p. 1. fol. 104.) Civitate primum inſtituit; poſt vero majoris commoditatis gratia Verdam Urbem ab ante citatis Abrahamo Saver litt. V. fol. 47. & Baudrando p. 2. fol. 316. deſcriptam tranſtulit. Hanc autem de qua nobis ſermo eſt, Eccleſiam Verdenſem antiquis Regularibus connumerandam ſatis manifeſte oſtendit Bruſchius loco ante citato, ubi in Gerardo, qui genere Comes de Hoia dictus anno 1254. Inſulam Epiſcopalem adeptus 16. annis præfuit, anno 1270. terris defunctus, de Eodem hoc ita ſcribit: *Sub hoc vaſtata eſt incendio Eccleſia Cathedralis tota cum Canonicorum habitationibus, quæ fuit occaſio mutatæ vitæ Regularis in Clero Verdenſi.* Nec dicant Reverendi PP. Benedictini, qui hanc Cathedralem ſibi vendicare laborant, & ſeſe antiquitus veniſſe nomine Canonicorum, adeoque aſſertum hoc Bruſchij etiamnum pro noſtra parte ſaltem eſſe ambiguum; non, inquam, hoc dicant, quales enim tunc temporis ibi fuerint Canonici, clarius tradit Kranzius, qui univerſim de Eccleſiis Saxoniæ, inter quas etiam iſta Verdenſis cenſetur, expreſſe ſcribit, *antiquitus Fratres Ordine Canonico vixiſſe ſub Regula S. Auguſtini.* Cæterum an non etiam celeberrimo Ordini D. Benedicti pro hac Eccleſia ſua ſit Auctoritas, non judicio, cum ipſe Continuator Bollandi, Godefridus Henſchenius à partium ſtudio utique remotus, tom. 1. Martij in vita S. Willeici ſub finem num. 2. in ambiguo relinquat, *an S. Suibertus Verdæ Monachos, an vero Canonice viventes Clericos collegerit.* Quæ quidem ambiguitas exinde oriri videtur, quod antiquitus Regulares Canonici, & Monachi D. Benedicti tam ſancta inter ſe paſſim fuerint familiaritate conjuncti, ut unum idemque ſubinde incolere Domicilium, ac ſeſe mutuo ad Apoſtolicos convocare labores non detrectarint. Quod præter alios

verbis

verbis notatu dignis expressit Anonymus noster Parisiensis, fol. 302. Disquisit. de Ordine Canonico. *Willibrordus Archi-Episcopus Trajecti ad Rhenum Canonicos & Monachos Apostolatus sui Adjutores ac Socios in uno atque eodem Cœnobio vitæ cujusdam communis Societate devinxit, usque eo dum* (sunt verba Surij cap. 5. in vita S. Werenfridi) Religiosis Viris utriusque Ordinis *propria Cœnobia in diversis Ecclesiis assignari possent.* Imo eundem subinde Sanctum diversam successive coluisse vivendi rationem, cit. Anonymus fol. 90. & 91. memorat ex Ven. Beda, qui in vita S. Cuthberti cap. 19. & 38. scribit, Præfatum S. Cuthbertum Lindisfarnensem Episcopum diversis temporibus *B. Patris Benedicti, & Sanctissimi Patris Antonij, & Reverendissimi Patris Aurelij Augustini Episcopi* imitatorem se præstitisse, *quia videlicet* (ut refert citatus Anonymus) *primo Monachus, deinde Anachoreta, tum Episcopus vitæ communi addictus evaserat.* Hæc interim in favorem nostrum Breviter dicta sufficiant, & quidem sine præjudicio SS. Ordinis Benedicti, cui suam pro Verdensis Ecclesiæ possessione probabilitatem (quod etiam alibi notatum volumus) nequaquam volumus ademptam.

VERDENSE,

Aliud quoddam Canonissarum Regularium Phrontisterium apud Saxones in Diœcesi Mindensi post annum circiter 1100. fundatum, de quo Kranzius in Metrop. lib. 6. cap. 33. ita scribit: *Mindensi Ecclesiæ per ea tempora præfuit Witelo Pontificum ejus loci vigesimus secundus; cujus temporibus D. Bernardus postea Clarevallensis Abbas, insignis Doctor, cum Sociis supra triginta Ordinem Cistercienſem ingreditur jam recens enatum de Regula D. Benedicti cum additionibus quarundam constitutionum. Nec diu post Ordo Præmonstratensium exoritur sub Patre Norberto: qui nomen tenet (ut fieri solet) à loco Originis, qui Præmonstratum dicitur, sicut Cistercienſis à Cistercio: quo etiam tempore Moniales Ordinis S. Augustini Monasterium in Verden à Comitibus in Wunstorpe sive Levenrode fundatum, de Monasterio Averenkerken* (alias Overenkerkense dictum de quo supra) *assumptis Virginibus intraverunt Festo Catharinæ Virginis & Martyris anno Christi Millesimo, centesimo decimo quarto. Migravit autem hic Pontifex Witelo ex hac luce ad meliora anno vigesimo post Millesimum Centesimum.*

VERRETIUM,

Oppidum quoddam muratum, tendendo versus Pedemontium septem leucis à Civitate Episcopali, quæ est Augusta Prætoria, Ducatus & Vallis Augustensis, distans, habet pervetustam quandam Canoniam S. Ægydij, ut pie creditur, à Marchionibus Montisferrati anno Domini 989. sub titulo Præposituræ fundatam, cujus reditus successivis temporibus auxere tum bona Canonicorum Regularium, ac Præpositorum Oeconomia, tum plures Devotarum Personarum etiam Principum vicinorum largitiones cui quoque multas Paræcias, Prioratus, aliaque Beneficia contulerunt, & incorporarunt Episcopi, magna quoque indulta, Prærogativas, & Privilegia concesserunt Summi Pontifices, ac Laici Principes, inprimis Sabaudiæ Comites. &c. Quadringentis & amplius annis libera Præpositorum Electio penes Capitulum dicti loci stetit, donec ineunte præterito Sæculo Jus nominandi Præpositum fuit Comitibus Challandi Dominis loci cum Protectionis ac Dotationis amplioris onere à Sede Apostolica concessum, quo jure nunc pacifice gaudent præsertim sub anno 1646. quo celeberrimæ Congregationi Lotharingicæ Salvatoris nostri, à Beato Petro Forrerio tum temporis inchoatæ reformationem assumens eidem unita & incorporata est.

VICEBURGENSE,

Antiquatum Ordinis nostri Canonico-Augustiniani Phrontisterium in partibus Saxoniæ sub limite Metropolitico Magdeburgensi circa annum 1106. Authore Viperto Comite Groicensi fundatum, quod tamen vertentibus annis cum omni Fundatione sua Reinsdorffium migravit, ubi locorum tandem cum mutatione Religionis omnimode desiit ac periit. Ita Dresserus in Isag. part. 4. fol. 601.

VIENNENSE

S. *Dorotheæ* cognominatum, præclarissimum hodie Viennæ in ipsa inferioris Austriæ Metropoli Canonicorum Regularium Collegium, primus inchoavit Albertus II. hujus nominis Archi-Dux Austriæ, Dux Styriæ, Carinthiæ &c. *Sapiens & contractus* communiter appellatus, qui postquam Author operis adhuc imperfecti die 22. Julij

anno 1328. terris defecit, ultimam manum admovit, & poſt biennium undequaque feliciter abſolvit Filiorum Ejus natu maximus adhuc in Juvenili ætate conſtitutus Rudolphus IV. Archi-Dux Auſtriæ &c. cognomento *Magnanimus*, & *Fundator*, qui anno 1360. novum Sacellum à ſe conditum ritu ſolemni dedicari voluit, prout monſtrat Authenticum Fundationis ac Conſecrationis taliter confectum: *Nos Rudolphus Quartus Dei Gratia Palatinus Archi-Dux Auſtriæ, Styriæ, & Carinthiæ, Princeps Sueviæ & Alſatiæ &c. S. R. I. Supremus Magiſter Venatorum Primogenitus Illuſtriſſimi Principis quondam Domini Alberti Ducis & Principis terrarum præſcriptarum hanc Capellam per memoratum Genitorem noſtrum inchoatam, eoque, Deo volente, ſublato de medio per Nos extructam totaliter & dotatam ipſam in honorem B. Dorotheæ Virginis & Martyris, S. Catharinæ, Omnium Apoſtolorum, Archangelorum Dei, ac Sanctorum omnium & Supernorum Civium fecimus conſecrari, anno Domini Milleſimo trecenteſimo, ſexageſimo, ætatis noſtræ vigeſimo, Regiminis vero ſecundo.* Atque hoc ipſum Sacellum poſt primam Fundationem ſuam totis 54. annis ſolummodo, ut Beneficium ſimplex fuit inofficiatum, ut ajunt, & quidem à meris Clericis Sæcularibus, quorum ultimus nominatur S. C. M. ſuæ Alberti II. antedicti Sacellanus, & Cancellarius, idem Parochus in Görs Andreas Planck magna ſui nominis laude paſſim commendatus; qui S. P. Aurelio Auguſtino ſingulariter devotus ad animarum ſalutem ſecurius fovendam ſponte ſua vicinam aream circum circa magnis ſumptibus coëmit, & in formam Clauſtri coëgit Canonicis Regularibus ex ejusdem Provinciæ Auſtriacæ Collegio Thiernſteinenſi ſupra deſcripto huc ad S. Dorotheam deductis; atque iſthic cum omnimoda plenitudine poteſtatis inthroniſatis juxta tenorem fundationis, cujus conſummationis finem feliciſſimum vidit anno Domini 1414. qui propemodum anno 1435. die 9. Januarij plenus meritis requievit verus Zelator animarum, ſecundi Fundatoris titulo inclytus Religioſiſſimus Vir Andreas Planck antedictus. Vertentibus annis novum hoc Canonicorum Domicilium à Sereniſſimis Auſtriæ Principibus inſigniter adauctum, ac pluribus Privilegiis inſtructum, magnos fecit progreſſus, inter primaria Cæſareæ Urbis Viennenſis Collegia ſacra hodie computari ſolitum: cujus templum præ cæteris formoſum & illuſtre redditur ex pluribus Familiis Natalium ſplendore præcipuis alteram manſionis ſuæ ſtationem usque hactenus in eo ſibi deligentibus; unde conſpicuum illud cernitur Mauſolæis vere pretioſiſſimis: Quorum unum præ reliquis attollitur quod eſt invictiſſimi Herois non tantum de communi Patriæ Salute, ſed & de ipſa Urbe Viennenſi à Turcis fortiter feliciterque ſervata meritiſſimi Nicolai Comitis de Salm ex rubro marmore apparatum, idemque à Ferdinando I. collocatum cum hujusmodi inſcriptione.

Incomparabilis Heros Nicolaus Comes a Salm Divi Ferdinandi Rom. Hung. ac Bohemiæ Regis Archi-Ducis Auſtriæ ab arcanis Conſiliis Cubicularius, & Supremus Provinciarum Auſtriæ Capitaneus, cum Divus Carolus Rom. Imperator, & Ferdinandus Romanorum Cæſar Auguſti Fratres Rerum potirentur, Eorum Auſpiciis Reipublicæ Annis XLVI. fortem atque ſtrenuam operam Domi Militiæque navavit. Anno porro Domini MDXXIX. Solymanno Turcarum Tyranno Viennam obſeſſam atrociter oppugnante, dum dirutis Mœnibus invicti Generoſi animi robur pro muro hoſtium minis opponit, ſaxo percuſſus lethale vulnus accepit. Divus Ferdinandus Patriæ Pater virtutis rerumque geſtarum Gloriæ ergo hoc Ei monumentum fieri curavit die IV. Menſis Maij Anno Dom. JEſu Salvatoris noſtri MDXXX.

Virtutem Poſteri imitantor.

Præter hactenus recenſita hujus Collegii tota origo Fundationis cum annexo Syllabo Reverendiſſimorum DD. Præſulum illius à primo exordio usque ad noſtra tempora pleniſſime continuato, ad me de hoc penitus inquirentem, oratione ligata, ſeduloque deſcripta talis gratioſe fuit transmiſſa.

Si cupis Authores paucis audire Viator,
Qui ſacri iſtius cauſa fuere loci.
Siſte parum quæſo, res eſt jucunda relatu
Exemplis quoniam non caret illa bonis.
Mille & ter centum poſt partum Virginis annos
Sol tredecim meſſes tot quoque luſtra dabat.
Auſtriaca viguit natus de Stirpe ſecundus
Albertus, magnis ſplendor, honorque Viris.
Dum vixit regno patrio virtute præibat
Omnibus, antiquos & referebat avos
Afflictis tribuebat opem, nec ſprevit egenos
Subjecto ſtatuens, jura benigna gregi.

Sin-

Singula quid memorem? pietatis amator & æqui
Unicus, Illuſtri Sanguine dignus erat.
Auſpicio in Celſum quam ſuſpiravit Olympum
Cœnobii iſtius fons & origo fuit.
Quod Dorothea ſibi caſtiſſima Virgo dicavit
Nam coluit pura Virginitate Deum.
Maturavit idem Rudolphus nominis hujus
Quartus, & Alberto de Genitore Satus
Atque Duces reliqui celebres felicibus auſis
Incrementa novo Sacra dedere choro.
Uno quippe die tam clarum abſolvere templum
Parca quibus nocuit, non potuere Duces.
Alberti quinti donec tulit Auſtria habenas
Accipiens Domini Sceptra cupita ſui.
Hujus ope & Colophon Sanctæ huic imponitur ædi
Et fit devotis fratribus una Domus.
Servarent leges, qui ſub pietatis amore
Quas Auguſtini Regula Sancta docet.
Suaſerat Andreas demiſſus origine Planci
Talia, nam ſacrum ſedulus urſit opus.
Vir gravitate potens, Alberto gratior alter
Conſiliis illo tempore nemo fuit.
Viſus enim dignus quo Cancellarius eſſet
Officioque dato præfuit ipſe diu.
Quo monitore loca hæc perfecta. Georgius autem
Germana Patavi Præſul ab Urbe ſacrat.
Devovet has Dorothea tibi ſolenniter aras
Ut quondam veteres edidicere Patres.
Sed quoniam Fratrum numerus tunc defuit, æde
Tirinſteinenſi ſuppeditatus erat.
Quinque etenim Juvenes templo, ſacrisque vocati
Cœnobii incolerent ut nova templa ſimul
Hos inter Sophiæ præclarus in arte Magiſter
Ægydius templi munera primus obit.
Præpoſitum ſiquidem poſcebant tempora talem,
Tollebat nitidum qui ſuper aſtra caput,
Exemplar foret doctis, plebique profanæ
Monſtraret ſtrictam regna per alta viam.
Nunc etiam brevibus reliquorum nomina prompte
Ut referas aliis, accipe Poſteritas.
Andreas faſces juſto ſortitur honore
Ægydium poſtquam. Parca redegit humo.
Qui vita functus placide, jam grandior ævo
Decrepito ſequitur corpore carnis iter.
Ceſſit & Henrico dicti cuſtodia templi,
Ornabant cujus laurea ſerta Comas
Ante etenim celebris Ludi Collega Ducalis
Extiterat, docti functus honore Viri.
Cui Succeſſor erat Niclaus in ordine, primis
Inferior nulla Religione viris
Ornabat nactam recto molimine ſpartam
Atque Monaſterio præfuit arte gravi.
Pone ſecutus eum Stephanus, pars maxima Juris
Doctor enim Legum, Juſtitiæque fuit.
Tertius hinc illum Cæſar Fridericus amabat
Hic quoque curavit maxima quæque ſtrui.
Utpote poſterior ſummam quæ proſtat ad aram
Induperatoris pars ea crevit ope.
Sic etenim Stephanus ſacra hæc augere ſtudebat,
In decus & laudes Numinis Ætherei.
Tunc eſt Gregorium Domus hæc experta fidelem
Præpoſitum, & qualem ſæpe volebat, erat.

Si modo Lanificæ ſua ſtamina rumpere Parcæ
Serius aggreſſæ, major honore foret.
Namque Viennenſi Præſes Generalis in urbe
Electus, votis, conſiliisque potens.
Adde, quod Aonias fuerit propenſus ad artes
Diceret, ut fidum Plebs ſtudioſa Patrem.
Hinc multi hanc ſacram ſubeuntes Ordinis Ædem
Seſe Divinis ſuppoſuere Sacris.
Ante alios Gucku multis memorabilis annis
Inſignem & celebrem quem ſua Clava facit.
Tygride de ſæva factus mitiſſimus agnus
Extremum hic clauſit ſub pietate diem.
Inde Sigismundus fit Præſul, ſed cito munus
Sponte reſignavit: nam grave munus erat.
Quippe ſuo ſtudio, curis, annisque gravatus
Longius haud poterat munia ferre ſenex.
Hoc ſub Præpoſito nova Bibliotheca parata eſt
Magnifici clara nobilitate Viri.
Qui fuit in celebri præclarus Epiſcopus ora
Chemenſi, curam ſed quoque liquit eam.
Ordinis iſtius fit Frater, & Aſſecla fidus
Plurima quæ fuerant perdita, reſtituit.
Vixit devote, nunc gaudia cœlica luſtrat
Mente, ſed hic corpus vermibus eſca jacet.
Præſulis interea ſacras accitus ad aras
Bernardus, ſacræ lausque decusque togæ.
Organa dulciſono recreantia corda ſuſurro
Hic poſuit, famæ vera trophæa ſuæ.
Nicoleon Forſter ſummo dilexit amore
Ambitus iſtius pictus ab arte fuit
Si quoque Juridicus Doctor, Legumque columna
Fux magus templo commoda multa tulit.
Illorum nomen donec ſacra tecta manebit
Quæ ſunt in laudes ædificata Dei.
Bernardus tandem moderamina cœpta reſignat
Hieronymo fuerant tradita dona gravi
Hic quoque ſuſceptas curas, ſuſceptaque dona
Liquit, ubi ſenium ſenſit adeſſe ſuum.
Tempore quo Turcæ charam cinxere Viennam
Et turpem facta ſtrage dedere fugam.
Succeſſorem habuit Franciſcum ex finibus Halæ
Qui de Püchlero ſtemmate natus erat.
Vatis ad exemplum David laudando Tonantem
Tangebat dulcis plectra ſonora Lyræ.
Obſcuras donec migravit corpus in umbras
Nunc Vates Superis Carmina læta canit.
Hoc vivo Comes a Salmis Niclas obivit
Cujus in hoc templo molliter oſſa cubant.
Quodque vides coram ſolido de Marmore buſtum
Illud Fernandus Cæſar habere dedit.
Inſuper Albino (ſupremus in ære Magiſter
Qui Neuburgæ aderat) Præpoſitura datur.
Providus hic reficit minitantia tecta ruinam
Structurisque ædes erigit utilibus.
Et ſtudia inſigni cura, ac dignatur amore
Unde illius decus hoc poſt ſua fata viget.
Hunc ſequitur Clemens virtute inſignis, & omni
Laude, Pio Quarto charus ubique fuit.
Primus erat teneros cui texerat Infula crines
Infula Cœnobio nunc tenuenda ſacro.
Juvitiam multum Chriſti tuba magna
Cujus in hac recubant membra ſepulta domo.

Wirt-

Wirttenbergiacis Sallus Mayerus ab oris
Succedens: paucos vixit & iſte dies.
Integrum offiicio nam vix exegerat annum
Cum gelidum corpus mors inopina rapit.
Accipiturque ſua non ſponte Georgius iſthac
Karſtner, qui ſe mox abdicat officio.
Cui ſuaſit pietas, humilisque modeſtia vitæ
Quam coluit ſemper pectore & ore gerens.
Nunc Prennere tibi felici ſidere dictus
Ceſſit honor, tribuit quem Dorothæa ſuis.
Sacra miniſtrabas, quoniam ſimul æra ferebas
Tu miſeris, tribuit, quæ tibi larga manus.
Hinc apud Auguſtam Romani Cæſaris aulam
Tunc tibi permanſit conciliatus amor.
Cur Deus incolumes tibi multos dirigat annos
Mittat & in cæptis tempora læta tuis.
Mittit nec ſpatiis virtutem terminat iſtis
Ultra Prenneri pergere debet honos.
Auſtriacos inter Proceres certo ordine lectos
Officii quoniam jura decusque tenet.
Nec ſatis: accumulat Divina Potentia laudem
Laus ut in officio ſit nova parta novo.
Herzoburgenſis nam mox Eccleſia Patrem
Prennerum charo ſuſcipit illa ſinu.
Sponte oblatus honor majori in ſede locavit
Prennerum & majus juſſit habere decus.
Ergo probe hoc Clauſtrum rexit probitatis amator
Grandius ut poſſet ferre laboris opus.
Quæritur interea qui tanto munere Præſul
Dignus haberetur ſedulitate pia.
Scilicet ut regeret viduatum Antiſtes ovile
Et grave Præpoſiti ſponte levaret onus.
Ante omnes unus Divi Michaëlis ad aras
Paſtor, cenſetur dignus honore ſacro.
Martino virtutis apex decernitur ergo
Radwiger, ut Mitram ſumat & ille pedum.
Noverat Auguſtus Cæſar, lectusque Senatus
Martini emeritum cum probitate decus.
Illum ergo elegit mox & commiſit eidem
Officii Cæſar pondera magna ſacri.
Et merito quoniam ſacris ab ovilibus ante
Arcuit horrifici guttura ſæva lupi.
Pavit oves Paſtor divini ſemine verbi
Doctrina, Exemplo, Religione, fide.
Quod docuit, fecit: doctrinam vita probavit
Extulit ad vitam celſior inde gradus.
Nec mora Prennero Martinus Radwiger ipſi
Succeſſit mitra dignus, & usque Pedo.
Et velut Aſtriacum Prennerus in ordine Patrum
Et Procerum tenuit Jura, Statumque ſimul.
Sic par fulſit honos Martino, & publica ſacris
Pondera ſuſtinuit juncta tenore pari.
Hoc decet excelſos animos, hoc Æthere dignum eſt,
Hoc Deus, hoc omnis Cœlica turba probat.
Nam via magnorum rite eſt calcanda laborum
Ut labor in terris ſit ſuper aſtra quies.
Poſt hunc Chriſtophorus faſces Thutt cœpit utrosque,
Religio Alma tuos, Auſtria clara tuos.
Quem ſacra Rudolphi debebant juſſa ſecundi
Cogere, ut hoc magnum non removeret onus.
Acceſſere preces Regales Eliſabethæ,
Gallia quam Dominam viderat ante ſuam.

Cætera quid referam? Mitramque Pedumque reliquit,
Ditius, hisque nihil pulchrius esse potest.
Vilius in sacra hac Mitra nil cernitur auro
Gemmarum pretio cætera cuncta nitent.
Sunt adamas, Hyacinthus, Onix, viridisque Smaragdus
Quibus onusta oculis Infula sacra patet.
Cœlesti hos inter Saphirus luce triumphum
Cujus ob excessum dum stupet, hæret homo.
Sit pretium gemmis, pretium esto grandius artis
Est a qua præstans, urbe & in orbe potens.
Ne tamen illa sibi posset curasse videri
Vivus adhuc mitra se abdicat, atque Pedo.
Quem deinde Andreas Mosmüller munere in illo
Cæpit par merito par pietate sequi.
Hunc ex vicina Patres Claustri urbe petitum
Rectorem Summum constituere sibi.
Sed mox invidia est an amor dicendus? eundem
Qui dederant, repetunt, substituuntque Patrem.
Ergo locum, sed non mitram mutavit: & urbes
Unum certarunt Præsulem habere duæ.
Suffectus Künig Andreæ Hieronymus, omnes
Explevit partes Præsulis atque Patris.
Canonicos inter jam munia gesserat ille
Plurima, cum vitæ semper honore suæ.
Rexit eos quidem tanta comitate, videri
Quam Rector, potius posset, ut esse Pater
Nescires, an eum Fratres plus corde foverent,
An vero Künig plus adamaret eos.
Isti Canonici germano e sanguine natum
Psaltis cui nomen substituere fratrem.
His similis fuerat gestæ cognatio vitæ
Quæ fuerat chari sanguinis inter eos.
Divini cultus studium, prudentia in omnes
Amborum comitas, par eademque fuit.
Charus uterque Deo, populo, charissimus illis,
Quos Dux exemplo rexerat usque suo.
Esse videbantur nati ad summa atque regendum
Nec frustra Regio nomen habere sacrum.
Hoc vita functo Jacobus adivit honores
Nürnberger, mitra dignior ipse fuit.
Nam ne virtutes ejus tot, claraque dicam
Acta unum placeat commemorasse satis.
An Matrem quisquamne suam sic natus amavit
Te velut hic: Mater semper amanda Dei.
Quavis luce duas horas, ternasque precari
Effigiem solitus fervidus ante suam.
Imbre rigans terram, semper te ut flectere posset
Ad sua vota, precans ore, oculisque simul.
Hic Dorothea tibi præstans Altare dicavit
Cui tota vix par urbe videbis opus.
Post Nirenbergam Fernando protinus uno
Consensu Socer mitra, pedumque data.
Qui plures annos Divini Præco disertus
Verbi, tum factis, tum fuit ore potens.
An dicendo licet tota clareret in urbe
Plus vitæ exemplo claruit ille suæ.
Tum candelabro tanta cum luce niteret
Impositus, majus sparsit ubique jubar.
Sed tantus cum esset Pastor, populique Patrumque
Nemo illo potuit vilior esse sui.
Omnibus his tandem meritis par omnibus unus
Unus qui cunctis digne imitandus erit.

Suc-

Succeſſit Laudes Reliquorum Hieronymus Hayden
Una omnes, dicam me ſuperaſſe, tenens.
Hujus Muſa timet memorare Encomia Sanctus
Exiſtat, neque ſcit, doctus an ille magis.
Nam quid in illo aliud niſi virtus mira videtur
Integritas, pietas, ac pietatis amor?
Qualis, quamque frequens, quam incenſus totus ad aras
Igne ſacro, ſolitus ſacrificare Deo?
Largus in ornandis templis pulcherrima ſacra
Ejus teſtari, quod monumenta queunt.
Ingenium, & doctrinam ejus Romana loquatur
Urbs, quæ Doctoris nomine adauxit eum.
Unde redux Patriam illuſtrare ſcientia; Alumnos
Miris Palladios cæpit amare modis.
Moxque Viennenſes Summum plaudente Lycæo
Rectorem ſtudiis Præpoſuere ſuis.
Qua Rectorali fuerat dum purpura amictus
Prudens, Rexque ſagax omnibus unus erat.
Quid loquar Auſtriaco perfunctus honoribus amplis
Quæ non protulerit commoda ſæpe ſolo.
Auſtriacos inter Proceres dum Jura tenebat
Primum à Conſiliis eſt venerata Virum.
Quem ſibi Millenis optat Provincia votis
Collegam Statuum ſemper habere ſuum.
Canonicos erga nunc reſpice teſſeram amoris
Oeconomus, quantus fidus hic atque Parens.
Teſtis ſit rara quam providus arte laboris
A cunis celebrem ſtruxit in urbe domum.
Teſtes ſint aliæ, quas ruri à limine terræ
Structuras poſuit non ſine laude ſui.
Diro ſed miſeros Turcâ cingente Viennam
Quæ dedit Oeconomus, Barbara flamma tulit.
Non tamen exanimem at vivum ſpectate laborem
Nam vix à ſtrage hac ſol duo luſtra dedit.
Magna dum cura, magna quoque laude Paternus
Antiquam in formam cuncta redegit amor.
Quas varias inter ſacras, curasque profanas
Idem perpetuo, conſimilisque ſibi.
Hinc Fundatoris nequeam cum dicere, Jure
Reſtauratoris nomine honoro Patrem.
Teſtes hujus erunt Confratres ſinguli, & omnes
Qui ſe hoc felices Præſule jure putant.
Quorum eſt hoc votum commune, quod Aſtra ſecundent
Ut gaudere queant hocce Parente diu.

Atque hic Collegii iſtius Dorotheani, ut vocant, Supremus Rector ejusdemque Reſtaurator egregius, imo pluribus titulis alter Fundator appellari condigne promeritus Reverendiſſimus Præſul Perilluſtris ac Ampliſſimus Dominus Hieronymus Hayden Præpoſitus Infulatus SS. Theologiæ Doctor, nec non S. C. M. Conſiliarius ſupra laudatus S. Dorotheæ templo priori obſoleto nimis, & frequentioris Copiæ Populorum ad id confluentium commode ſuſcipiendæ minus idonee totaliter deſtructo, aliud novum tota Majeſtate ſua mirifice decorum ſubſtituit, quod anno 1673. inceptum intra proxime ſequens quadriennium feliciter abſolvit, illudque Sacris Cimeliis ſplendidiſſime condecorari fecit, ſiquidem theſſaurus templi hujus fidem ſpectantium ſuperat, & vaſis argenteis, aureisque, donariis quoque gemmatis, & opulentæ artis Sacerdotum, Altariumque indumentis feliciter abundat. Item inter plurimas ſacras Reliquias magna veneratione ſolerter aſſervat corpora SS. Joſini, & Joniſij MM. ſuperioribus annis à Philippo Friderico Comite Preinero pijſſimæ memoriæ Epiſcopo Viennenſi ſolemniter donata & illata.

VIENNENSE

Secundum *ad Cœli Portam* nominatum, originem ſuam debet Magiſtro Gerhardo, ad S. Stephanum quondam Parocho Zeloſiſſimo, Is quippe Virginibus aliquot ſub Inſtituto Recluſarum, de quarum Inſtituto pluribus actum eſt ſuperius V. *Baumburgenſe*, à ſe in propriam, quam ijsdem ultro ceſſerat, domum collectis, pro intenſo, quo in S. P. Auguſtinum ferebatur, affectu, annuos eosque ſat pingues conſtituit redditus, ea tamen conditione, ut non alteri niſi Sanctiſſimæ Magni hujus Parentis Regulæ ſeſe obſtringerent, aut ſi Regulam iſthanc tract i temporis mutari contingeret, redditus omnes ad Eccleſiam S. Stephani ipſo facto redirent. Acceptata utrinque ſancta conditio, & Virgines illæ anno 1267. die 18. Julij ad Auguſtinianæ Regulæ Profeſſionem in Candido Præmonſtratenſium Inſtituto cum conſenſu Celſiſſimi Principis & Epiſcopi Paſſavienſis fuerunt admiſſæ, in qua Inſtituti ratione ad trecentos & octodecim annos perſiſtere ſacratæ Virgines, donec à primævo obſervantiæ fervore aliquantulum remittentes, ad antiquiſſimum Canoniſſarum Regularium S. Auguſtini Ordinem piorum haud dubie Virorum ſuggeſtione anno 1585. fuerunt translatæ, eo quidem Diſciplinæ Regularis compendio, ut eam in hodiernum diem velut in primo adhuc flore inter 60. prope Sanctimoniales Divinis laudibus diu noctuque devotiſſime inſiſtentes, ſaluberrime virentem liceat intueri. Cæterum etiam Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ munificentiam ea quidem liberalitate, quæ fundationis nomine digna ſit, in antiquas Cœli Portæ Inquilinas fuiſſe effuſam, ſatis nobis exhibent binæ Bullæ Pontificiæ, quod nempe Sanctiſſimo Domino noſtro Papæ Innocentio Monaſterium Portæ Cœli impenſe commendarit Fridericus Imperator, *à cujus Anteceſſoribus fundatum illud fecit, & dotatum.* Poſt inductas Divi Auguſtini Canoniſſas anno 1585. propria Superioriſſa Parthenonem hunc aliquamdiu caruiſſe, ex ſequentis Canoniæ S. Jacobi DD. Præpoſitarum Catalogo, paulo poſt referendo, colligimus, in quo duæ recenſentur Præpoſitæ, videlicet Dorothea Comitiſſa de Buechheimb, & Agnes Hierſchlerin, quæ bina S. Jacobi & Portæ Cœli Collegia ab anno circiter 1586. ſimul adminiſtraſſe notantur. Tandem ſaluberrima proviſione Eminentiſſimi D. Melchioris Kleſſelij S. R. E. Cardinalis & Epiſcopi Viennenſis, qui hoc Cœli Portæ Cœnobium ſtatutis undequaque probatiſſimis, in quorum Præfatione ejus Reſtauratorem ſeipſum nominat, inſtruxit, & communivit: In primam & propriam ſub Inſtituto Canonico Præpoſitam anno 1603. denominata eſt

I. BARBARA Dorothea Bernhofferin, quæ exacto 21. annorum regimine ætatis ſuæ annorum 66. obdormivit in Domino anno 1624. cui legitima electione ſuffecta eſt

II. ROSINA Victoria Häzenbergerin, quæ obiit 1637. ætatis 46.

III. ANNA Eliſabetha Agnes Breynerin obiit 1670. ætatis 75.

IV. ANNA Jacobina à Queſtenberg obiit 1685. ætatis 57.

V. MARIA Auguſtina de Caurian obiit 1687. ætatis 45.

VI. ANNA Antonia Breinerin obiit 1702. ætatis 57.

VII. MARIA Magdalena Kluegin à Grüenenberg, moderna digniſſima Celeberrimæ hujus Canoniæ Præpoſita.

VIENNENSE

Tertium *S. Jacobi*, cujus initia à moderna Illuſtriſſima Domina Præpoſita vulgari idiomate in hunc fere tenorem transſcripta ſubijcimus. Cum Leopoldus V. hujus nominis S. Leopoldi Auſtriæ Marchionis Filius prima Sacelli cujusdam Fundamenta, extra Urbem Viennam in Hilba, vulgo *(auf der Hilben)* jeciſſet, ſecumque cujusnam honori Sacellum iſthoc dicaret, deliberans, prope flumen Urbi adſitum deambularet, ſtatuam quandam ſecundo flumine ad ſe deferri videt, quam ſtipantis famulitij opera illico extractam reperit eſſe S. Jacobi Majoris, adeoque Divino quaſi oraculo ſe monitum ratus, Sacellum ſæpedictum perpetuis hujus S. Apoſtoli honoribus voluit eſſe conſecratum. Statuam hanc in hodiernum diem ſupra portam Inclytæ hujus Canoniæ locatam videre licet. Interea tres Viduæ moribus & genere nobiliſſimæ, quarum unam Kulberin fuiſſe nominatam conſtat, Viennam veniunt, obtentoque ad prælaudatum Leopoldum V. acceſſu, propoſitum, de Monaſterio inibi ſtruendo, additis inſuper humillimis de loci cujusdam, intentioni huic exequendæ commodi, conceſſione precibus aperiunt, dum eumque in vota ſua, procul dubio Divino inſtinctu adeo pronum reperiunt, ut præter noviſſimam S. Jacobi Eccleſiam, ſatis amplum in

Hylba

Hylba *(auf der Hülben)* ſpatium iisdem donarit, & deficientibus poſtmodum ædificij ſumptibus, quod reliquum erat, ſuis ipſe ſumptibus compleri curarit. Completo demum Cœnobij ædificio pientiſſimæ hæ Viduæ, quodnam Regularis vitæ genus præ cæteris ſibimet obſervandum aſſumerent, collatis inter ſe conſiliis deliberant, &, ne temere quidquam ageretur, Divinæ voluntatis agnitionem unanimi prece efflagitant, ea quidem efficacia, ut pientiſſima hæc Viduarum Trias in ſomnis magnum Patrem Auguſtinum habuerit conſpicuum, cujus vel ſola præſentia ſat clare notarat, Canonicum hujus SS. Patriarchæ Ordinem, à tempore Fundationis in hæc usque tempora laudabiliſſime continuatum, piis Fœminis ab Optima Dei Maximi Providentia eſſe præordinatum: Quænam Superioriſſæ Cœnobium hoc poſt pretioſam Trium Fundatricum mortem per bina Sæcula rexerint, ob acta per tres vices flammis abſumpta conſtare non potuit; Reliquarum tamen Reverendiſſimarum DD. Præpoſitarum, quæ proximioribus quatuor Sæculis præfuere, Catalogum hic ſubnectimus

Anno 1357. ANNA Lanholzin.

Anno 1365. ANNA Janſin.

1372. CHRISTINA Pariſerin.

1415. AGNES Schekin.

1421. CHRISTINA Zebingerin.

1430. MARGARETHA Geyerin.

1437. ELISABETHA Schautterin.

1441. PETRONILLA Pöklin.

1471. CRESCENTIA à Zeking.

1513. LUCIA Comitiſſa de Trauttmansdorff.

1522. ELISABETHA Comitiſſa de Schefftenberg.

1532. SUSANNA Maiſterin.

1558. PINOSA Vogtin.

1573. MARGARETHA Comitiſſa de Loſenſtein.

1586. DOROTHEA Comitiſſa de Puechheimb, utriusque Parthenonis tam S. Jacobi, quam Cœli Portæ Præpoſita.

1594. AGNES Hierſchlerin, quæ pariter utriusque Parthenonis regimen tenuit.

1627. REGINA Frankin.

1654. MARIA Magdalena Fellerin.

1671. MARIA Anna Schredlin à Schrottenſtein.

1681. SUSANNA Conſtantia Comitiſſa de Gurlandt.

1689. MARIA THERESIA Comitiſſa de Buechheimb, quæ 7. tantummodo menſibus præfuit.

1689. MARIA CUNEGUNDA ab Hildebrandt.

1701. MARIA AGNES Köplin ab Adlersberg.

1714. MARIA AUGUSTINA Comitiſſa de Puechheimb.

VIENNENSE,

Quartum Canoniſſarum Regularium Parthenæum Divi Laurentij Martyris, à quo & nomen hucusque tenuit, honoribus dedicatum, &, ut ſola traditione hodiedum conſtat (antiquiora quippe manuſcripta una cum ædificiis priore Sæculo abiere in cineres) à Sereniſſimis Archi-Ducibus Auſtriæ Ottone Primo cognomento *Mirabili*, & Friderico tertio, cum liberali annuorum proventuum aſſignatione anno Domini 1337. primitus inſtauratum atque fundatum, de quibus tamen proventibus temporum injuria dilapſis ne veſtigium quidem hoc tempore exſtare etiamnum dolent Sacratæ Virgines, quibus competenti numero alendis potiſſimum hucusque ſervire debuit indefeſſa in adminiſtratione rei œconomicæ, ex collatis, ut reor, Patrimoniis ab anno circiter 1683. inſtauratæ, induſtria. Præpoſitarum quæ Cœnobij hujus regimen ab hominum memoria adminiſtrarunt, hæc ſunt Nomina

POLIXENA Muſchingerin.

THERESIA Fiſenreichin.
EVA AUGUSTINA Comitiſſa de Traun.
MARIA REGINA Freyin à Ferenberg, Moderna Præpoſita.

VILICENSE,

Seu *Vilica* in oppoſito Bonnæ Ducatus Bergenſis S. Megingoſus Geldriæ Præfectus condidit Monaſterium Canonicorum & Canoniſſarum, ubi & ſepultus eſt anno ſuæ Præfecturæ 28. ita Pennottus in Hiſt. tripart. lib. 2. cap. 38. num. 12. ex Molano ad diem 19. Decembris. Eſt autem Vilica, vulgo Vilich (juxta Bollandum tom. 1. Febr. die 5. ejusdem Menſis in Commentario prævio vitæ S. Adelheidis primæ Abbatiſſæ Vilicenſis, ut brevi infra dicetur, §. 1. num. 2.) locus inter Confluentes Rheni & Sigæ in Diœceſi Colonienſi è Regione Bonnæ Urbis ſitus, ergo genuinum hoc Vilicenſe Collegium loco fere conjunctum rectius inter ea, quæ de noſtra Germania Superiori ſunt, cenſetur annumerandum; verum ut ut ſit, Ordo Regularis jam dudum utrobique defecit, in ſtatum ſæcularem converſus; & de primo quidem ſeu illo, quod Virorum eſt, Collegio apud eundem Bollandum loc. cit. §. 2. ita legitur: *Sunt Canonici* (Vilicenſes) *morum boneſtate atque eruditione, at non neceſſario titulis nobilitatis conſpicui, quinque; quorum unus gerit Parochi munus; præter hos Vicarij ſeptem, atque ab his accurate peragitur in dies Eccleſiaſticum Officium.* Et hæc de Monaſterio Canonicorum Regularium in Villich.

VILICENSE,

Alterum hujus nominis & paris Ordinis, Fœminarum tamen Contubernium, cujus primam Abbatiſſam egit S. Megingoſi & Gerburgis Uxoris ejus Filia S. Adelheidis anno circiter 1015. nonis Februarij cœlis recepta; eadem hæc primum inter Canoniſſas Regulares vitam Religioſam Profeſſa in ipſo hoc Vilicenſi Cœnobio tum temporis adinſtar utriusque Nobiliſſimi ſeu Principalis gemini Parthenonis Quedlinburgenſis, & alterius Gandersheimenſis, de quibus ſupra, optime reformato: Cujus genuinam Fundationem uberius deſcriptam hic damus ex vita ejusdem S. Adelheidis, quam affert Bollandus ſupra citatus tom. 1. Febr. die 5ta ejusdem Menſis cap. 2. ut ſequitur: Interim cum Godefridus Frater ejus (S. Adelheidis antedictæ) proceſſiſſet in robur virile, eſſetque elegantiæ ac ſtrenuitatis miræ, Imperatorem Bohemos cum exercitu adeuntem eſt comitatus honorifica ſuorum militia, omnique bellico apparatu heriliter ſtipatus: Ubi factus Belligerator inſignis & fortis meruit accipere victoriam glorioſæ mortis: cujus cadaver à ſuis, licet multo laboris ſudore, tamen ad Patriam (Deo gratias) reductum eſt cum honore. Hac namque adverſa præfati Conjuges tacti fortuna recordati ſunt, quod teſte Apoſtolo, præterit hujus mundi figura: cæperuntque uti mundo tanquam non utentes, toto deſiderio ad cœleſtem patriam tendentes, quam carentem fine ſcierunt nunquam poſſe interire. Omnium igitur rerum, quæ huic Filio defuncto rectæ diſtributionis ſorte ceciderunt, Deum fecerunt hæredem, ut meliori compenſatione hæreditatem meruiſſet in Paradyſo delitiarum, id eſt parte, qua matura morte præventus caruit, in hac Valle lacrymarum. Tunc in loco, qui Vilica dicitur, templum honorabile Domino erexit à Fundamentis, illud decenter prædiorum vel mancipiorum cumulans ſupplementis. Amboque incolumes & ſani decreverunt propter Chriſtum diſſiungi à lege conjugali: Quibus tam meliori Spiritus conjunctioni & æquali cæpti operis colligatis cura, erat cor unum & anima una. Ille etiam propter frequentiam ſuorum & exterorum, qui illi ut Regi ſemper ingruebant, quaſi ſpecie tenus mundo inſerviebat; prædia ſua luſtrando, & præſidendo, Chriſtique gratia mediante omnia prudenter & juſte diſponendo. Si quando vero populo paululum remoto aliqua quietis invenit otia, hæc vertere ſtuduit in honeſta negotia allocutione uſus Capellanorum; ut per Eos Teutonice exponerentur lectiones voluminum Divinorum: Quas ideo tam ardenter audire expetivit, quia præceptum Jacobi Apoſtoli factis implere concupivit: Eſtote Factores Verbi & non Auditores tantum. Illa vero Illuſtris Matrona prorſus a multitudine populi ſemota ſtabilis manſit in loco ædificandi Monaſterii, accelerans opus ſtructuræ inſtantia prudentis Magiſterii, ſemperque intenta ſervituti Divinæ, jejuniis & orationibus invigilabat nocte ac die. Hæc enim faciendo non eſt dubium, quin præcelleret viduas illas, quas merito continentiæ Apoſtolus appellat veras, quæ poſt mariti mortem faciunt ex neceſſitate virtutem: quam & hæc fecit non defuncti Mariti neceſſitate coacta, ſed divini amoris igne intrinſecus tacta. Tunc in prædicto loco adunata Virginum ſedulitate

a quibus divina excolerentur servitia; filiam a Monasterio Sanctarum Virginum redimentes prædiis, tradiderunt illi curam regiminis. Tunc namque prudens dispensatrix constituta in magni Patrisfamilias domo, cæpit augeri omni studio, & opere bono; maternamque subditis adhibens curam, fideliter in tempore suo erogavit tritici mensuram. Tunc exultabant in Domino pii Parentes, tantum suæ prolis sibique subditarum Virginum profectum videntes: cupientesque eas adhuc excellentiorem arripere vitam, rogabant, ut mutato habitu, Monachicæ conversationis subirent vitam. Hæc quia adhuc Juvenis cultum vestium suæ Religioni congruentium, ut ipsa asseruit, multum concupivit, humili responsione illorum petitioni contraivit, affirmans Deum non quærere coacta servitia, sed quod voluntarii cordis simplex affert munditia. Cujus humile responsum attendentes, salva pietate, animum revocabant ab incepta voluntate. Tunc rebus decenter satis ornatis illud locum tradiderunt manu Imperatoris, tertii scilicet Ottonis ad perpetuam tutelam Regiæ defensionis. Qui gratia earum dilectionis illum locum absolvit ab omni jugo sæcularis districtionis, donans libertati secundum legem & constitutionem Monasteriorum Gandersheim, Quedlinburg. Asnithæ; ita scilicet, ut nullus Judex vel Advocatus inde unquam exigeret servitium, aut in ejusdem loci confiniis ageret placitum, nisi quantum placuisset Abbatissæ vel congregationi sibi commissæ, & ut in perpetuum libera frueretur potestate, Abbatissam sibi eligere in ipsa Sororum sancta Sodalitate. Cujus libertatis donatio, ut in perpetuum rata foret, & firma dabantur tastamenta Domini Apostolici, & duorum Imperatorum scilicet Ottonis & Henrici manuscriptione ac sigilli impressione confirmata: quæ adhuc apud nos retinentur custodia fideli, ne posteros lateat veritas hujus rei. Hæc ille de fundatione Collegii hujus Vilicensis, quod quia primis saltem temporibus Canonicæ Regulæ morem gessit, inde forsan Constantinus Ghinius Abbatissam illius Adelheidem antedictam memorato die suo Martyrologio Canonicorum Regularium inscripsit, quæ tamen post mortem Parentum suorum S. Benedicti Regulam (ut loco cit. cap. 3. diserte legitur) amplexata fuit. Verum posteris annis Institutum Monastico-Benedictinum isthic loci pariter extinctum in vitam liberiorem abiit Religioso Claustro in Sæculare Collegium Nobilium Fœminarum mutato, de quo in Commentario prævio supra cit. §. 2. num. 12. ita legitur: *Sunt Vilicenses Canonicæ plerumque duodecim, præter Abbatissam, omnes genere illustres.*

VINEA NOSTRÆ DOMINÆ,

Taliter intitulatum in Diœcesi Leodiensi primum Canonissarum Regularium Ordinis S. Augustini Contubernium, subinde vero secundum ritus Claustralis & Statuta Cisterciensium arcte reformatum, de quo M. C. B. Anonymi fol. 234. prostat vel paucis ita legendum: *Anno 1230. fundatum est Claustrum quod dicitur Vinea nostræ Dominæ a Raynero Priore Belli faceti Ordinis S. Augustini, qui de consilio Joannis Episcopi unam partem bonorum suorum Clero dedit, & alteram Monialibus, quæ post Ordinem Cisterciensium susceperunt.*

VIRDUNENSIS,

Ecclesia Cathedralis (quæ est Suffraganeatus Metropolitanæ Trevirensis) fuit ab Exordio suo Regularis teste Joanne Le Paige in Bibliotheca Præmonstratensi lib. 1. sect. 11. imo ante octingentos annos erant in ea Clerici Regulares tanquam in Monasterio degentes, ut notat Molanus lib. 1. cap. 4. & 11. de Monasterio Virdunensi, ubi quamvis ipse rem ita componere videatur, ut Clerici illi Regularem quidem & communem vitam in Monasterio tenuerint, sine ulla tamen votorum emissione vixerint; quod quam a veritate diversum sit & alienum, pluribus demonstrat dictus Theologus Parisiensis Joannes le Paige lib. 1. sect. 4. pag. m. 69. Antedicta proponit etiam Pennottus noster lib. 2. cap. 39. num. 12. dum ita scribit: *Virdunenses Clerici ante octingentos annos Regulares erant, & in Monasterio degentes.* Et sic quoque sentit Nebridius a Mündelheim in Antiquario Monastico Epist. 139. fol. 639.

VIRDUNENSE,

In eadem Urbe Collegium Canonicorum Regularium Congregationis S. Salvatoris Nostri inter Lotharingos florentissimæ, hodie communiter *Abbatia S. Nicolai de Virduno* nuncupari solitum: cujus perbrevem solum accepimus descriptionem taliter exaratam: *Anno Domini 1217. Joannes de Aspremont Episcopus Virdunensis, postea Metensis Monasterium & Ecclesiam in honorem S. Nicolai in loco* pratum Episcopi *nuncupato*

cupato tunc extra urbis mœnia fundavit: in quo Canonicos ſub Regula S. Auguſtini communiter viventes poſuit. Abbas hujus Eccleſiæ honorifico inter Cathedrales Canonicos loco potitur, cum quibus etiam atque præfatis Regularibus intima viget unio, Confraternitasque mutua. In Eccleſia hujus Abbatiæ pars non exigua prælaudati S. Patroni ſui aſſervatur, quam veneraturi populi frequenter eo concurrunt. Eſt in eadem Eccleſia erecta Parochia ſub invocatione S. Andreæ Apoſtoli, quæ una cum multis alibi exiſtentibus Prioratibus unita eſt prædictæ Abbatiæ.

Abbatum Nomina.

I. MATHÆUS (poſt primum Superiorem anno 1254. terris defunctum, & Prioratum ex tunc in Abbatiam erectum) novus Abbas Regularis conſtitutus e vivis ceſſit anno 1280.

II. LUDOVICUS.

III. HENRICUS. Obiit anno 1302.

IV. JOANNES de Stain. 1325.

V. JOANNES Caillandes. 1347.

VI. LAMBERTUS de Sancto Aniano. Obiit anno 1369.

VII. JOANNES Coleti de Tigneville. 1404.

VIII. NICOLAUS de Aſpremont. 1418.

IX. HERBINUS de Conflant. 1432.

X. JOANNES Adet de Boncuria. 1452.

XI. DESIDERIUS Varin de Boncuria. anno 1463.

XII. PHILIPPUS Myal. 1475.

XIII. JOANNES Thiriet, cujus in favorem reſignavit Abbatiam iſtam Patruus ejus Prædeceſſor antedictus, reſervato tamen ſibi Prioratu S. Nicolai Metenſis.

XIV. GARNERIUS Poincignon, anno 1508. ex Priore in Abbatem electus, Jus ſuum ante confirmationem reſignavit Succeſſori proximo, qui fuit

XV. DOMMARTINUS Frater Domini de Varii Epiſcopi Virdunenſis, qui primus Commendatarius fuit, & hic finis Abbatum Regularium, tum initium Sæcularium.

XVI. JOANNES Colardy Canonicus & Archi-Diaconus Cathedralis Eccleſiæ Virdunenſis. 1509.

XVII. DESIDERIUS Didelot Canonicus Cathedralis & Præpoſitus Eccleſiæ ad B. Mariam Magdalenam.

XVIII. GERARDUS Gerbillon Decanus Cathedralis.

XIX. FLORENTINUS Gerbillon Canonicus & Cancellarius ejusdem Cathedralis Eccleſiæ Virdunenſis.

XX. JOANNES Bourquet.

XXI. CARDINALIS Seraphinus.

XXII. De MARQUEMONT.

XXIII. ANGENOULT.

XXIV. DOMINUS, Le Roy.

XXV. PETRUS Danet Parochus S. Crucis Pariſienſis. Obiit 1709.

XXVI. FRANCISCUS de Montaubou.

Hæc Abbatia Reformationem ſæpedictæ Congregationis S. Salvatoris ſuſcepit anno 1625.

VISBECKENSE.

Anno Chriſt DCCCCXXXIV. tempore Ottonis Magni Monaſterium in Visbeck Cann. Regularium in honorem S. Joannis B. a Domina Nobili Hellenburga eſt fundatum. Poſt lapſum vero temporis, ſcilicet Anno Chriſti MCCXXXIV. per incendium eſt deſtructum, & poſt annos XX. VII. Kal. Julii a duobus Epiſcopis reconciliatur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ciliatur. *In qua consecrationis die duæ stellæ lucidæ, circa meridiem cunctis videntibus & admirantibus, supra Monasterium prædictum ceciderunt.* Hæc verba formalia sunt Chronici Mindensis.

VIVARIENSE,

Prioratus quidam a Serenissimis Principibus Lotharingiæ in Diœcesi Metensi fundatus, locò dicto Gallice Vivier, ubi arx magnifica erat, in qua dicti Serenissimi Principes Aulam suam habere solebant, maxime cum venationis capiendæ voluptate frui voluissent. Reformationem suscepit anno 1627.

ULMETUM,

Seu *Ulmetanum* taliter ab eo, cui quondam priscis Sæculis inædificatum constitit solido Diœcesis Mechlinienſis Fundo cognominari solitum Regularium Clericorum Domicilium, quod ipsum glorioso Martyrio suo nobilitavit, atque eidem cum titulo Præpositi perdurante Sæculo nono magnis meritis inclytus antestitit S. Libertus à Constant. Ghinio die 14. Julij Natalibus SS. Cann. Regg. taliter inscriptus: *In Hasbania passio & inventio S. Liberti Martyris vita & meritis glorioſi, qui Mechliniæ natus est precibus S. Rumoldi ex Senibus Parentibus Adone Comite & Eliza, estque ab eodem Episcopo baptizatus, & à morte post submersionem suscitatus, ac in propinquo loco, qui Ulmetum dicebatur, Cœnobiticæ vitæ Cœtui Præpositus constitutus. Cum vero Nordmanni Dani, & Hunni Brabantiam & adjacentes Provincias gladio & igne devastarent, Mechlinia etiam devastata Libertum profugum in Hasbaniam in Ecclesia & ante Altare S. Trudonis orantem pariter trucidarunt circa annum Domini 884.*

ULSINENSE,

Venerabile quoddam antiquioribus Sæculis Canonissarum Parthenium Diœcesis Verdensis in Saxonia de tempore & authore primæ Fundationis à Kranzio in Metrop. lib. 3. cap. 36. in hæc verba relatum: *Verdensem Ecclesiam* (ab anno 994. usque 996.) *gubernabat Bruno Vir natu & virtute nobilis, qui hæreditatem, quam à Parentibus acceperat, Deo & Ecclesiæ consecravit. In loco Ulessem (nunc brevius Ulsen vocant) Monasterium D. Virgini ac S. Joanni Baptistæ erexit, ædificavit, ac consecravit, veterem civitatem vocant hodie Monasterium, nam cum ibi olim esset oppidum, nunc translatum reliquit nomen Monasterio, ut vetus Urbs dicatur Cœnobium.* Et sic ille. Post quem etiam audiendus est Bruschius de Episc. Germ. tom. 1. cap. 14. in causa Parthenonis hujus Ulsinensis sequentia fatur: Bruno (Episcopus Verdensis ordine decimus sextus) Saxoniæ & Sueviæ Dux Filius Ottonis, Nepotis Ottonis Magni ex Leutolpho Filio successit Arelango, is hæreditatem suam Paternam Deo & Ecclesiæ dedit, Monasteriumque Ulsinense pro piis & Deo fideliter servientibus puellis condidit in honorem B. M. V. & S. Joannis Baptistæ. Designatur Romanus Pontifex ab Ottone III. anno Dom. 994. cognominatus Gregorius V. præfuit Sedi Apostolicæ 20. mensibus. coronavit Ottonem III. cum quo ille idem Bruno Author est Septem-Virorum Summi in Romano Imperio Senatus, qui solus jus habet & potestatem eligendi Imperatoris. Obiit Romæ non sine veneni suspicione 17. Maij anno Incarnati Verbi 996. sepelitur apud S. Petrum in Summa Basilica Urbis Romanæ. &c.

ULTRAJECTENSIS

Cathedralis, in qua (prout scribit S. Bonifacius Ep. Mogunt. Epist. 97.) S. Willibrordus *Sedem Episcopalem, & Ecclesiam in honorem S. Salvatoris constituit*, pridem Ordini Canonico, Authoritate Miræi & Molani, asserta est à Pennotto nostro part. 2. Hist. tripartitæ, cap. 38. n. 12. cui novissime consonant exquisitissimæ illæ Disquisitiones de Ordine Canonico, à quodam Gallicanæ Congregationis Canonico anno 1697. vulgatæ, Pennotti assertionem tam gravibus rationibus roborantes, ut & ego in earundem sententiam absque formidine concedam, non obstante numerosa refragantium Scriptorum Benedictinorum auctoritate. Verum nec his solis nostrorum Doctorum auctoritatibus, de partium Studio saltem apud Adversarios facile suspectis, penitus acquiescerem, nisi in eorum partem tutius me pertraheret aliena auctoritas, nimirum Godefridi Henschenij tom. 1. Martij in Actis Sanctorum, in vita S. Willeici fol. 148. n. 2. expresse & absolute scribentis, *S. Willibrordum vita Monastica eruditum, Trajecti Clericos qui Canonica norma vitam agerent, Externaci vero Monachos instituisse.*

tuisse. Quibus verbis non tantum aperte asserit primam in Cathedrali Trajectensi Clericorum Canonicorum institutionem, sed præterea peropportune insinuat horum à Monachis discretionem, quo præcluditur commune illud Benedictinorum effugium, sui Ordinis Monachos etiam nomine Clericorum & Canonicorum intelligi debere, nescio quo Fundamento passim asserentium. Hoc ipsum magis firmat cit. Henschenius, dum loc. cit. ulterius ait, S. Ludgerum, inter primos Trajectensis Episcopii incolas ab omnibus computatum, *in illo Trajectensi Clericorum Monasterio doctrina & pietate imbutum, nec non in Cassinensium Ascetarum convictu Monasticas exercitationes condocefactum, nullo tamen ad eam Regulam servandam voto obligatum fuisse*, ubi denuo vitam Clericalem à Monastica egregie distinquit, dum S. Ludgerum Trajecti Clericali, Cassini vero Monastica Disciplina eruditum insinuat. Denique rationabiliter præsumi potest, Viros illos Apostolicos, qui Trajectum primitus incoluere, quales sunt, Werenfridus, Burchardus, Willehadus, Lebuinus, Ludgerus, & alii, eam in Ecclesia sua Institutionem consolidasse, quam in Ecclesia Eboracensi sub Magistro Alcuino didicerant. Hanc Institutionem autem non Monasticam, sed Clerico-Canonicam, & quidem Legibus Magni Augustini conformatam fuisse, ipsissima verba B. Egberti Eboracensis Archi-Episcopi, & quondam B. Alcuini Præceptoris in Præfat. in suis excerpt. tom. 5. Concil. quæ sic sonant: *Canones dicimus Regulas, quos SS. Patres constituerunt, in quibus scriptum est, quomodo Canonici, id est, Regulares Clerici vivere debent. Augustinus Aurelius Episcopus dicit: Ut nulli Sacerdotum, suos liceat Canones ignarare, nec quidquam facere, quod Patrum possit Regulis obviare. Et ne excusatio de ignoratione nascatur, vel per oblivionem aliquid negligatur, frequenter in hoc libello, quasi in speculo prospiciant, quod Canonum est Regulis definitum.*

Quæ verba cum ipsissimis Augustinianæ Regulæ verbis in ult. cap. sic sonantibus omnino coincidunt: *Ut autem vos in hoc Libello tanquam in speculo possitis inspicere, ne per oblivionem aliquid negligatis, semel in septimana vobis legatur. &c.* Denique ipsum B. Alcuinum Eboraci primum Professum, & postea Turonensis Ecclesiæ Abbatem, non Monachum, sed Canonicum Regularem fuisse, patet ex Chron. Turonensi, in quo ad annum 796. leguntur sequentia: *Carolus Rex instituit Canonicos in Ecclesia B. Martini Turonensis, eisque Alcboinum Magistrum suum Abbatem præfecit.* At vero Canonicorum nomine hic non intelligi Monachos, quod fortassis pro se objicient Adversarij, facile conijcitur exinde, quia Alcuinus jam senio gravis, viribusque fractus petiit à Carolo Rege licentiam, Monasticam vitam apud S. Bonifacium sub Regula S. Benedicti profitendi (prout legitur in ejus vita ab Authore fere coævo conscripta apud Continuatores Bollandi tom. 4. Maij fol. 339. cap. 3.) quod tamen, cum ei fuisset negatum, extremum diem Turonis apud suos Canonicos clausit, ubi Scriptor vitæ adjungit: *Vita denique ejus non Monastica inferior fuit*, quod idem est dicere: Quamvis Monachus non fuerit, Monachi tamen vitam æquavit. Denique cum negari non possit Cœnobium isthoc Ultrajectense plures Viros Apostolicos à prima sui fundatione numerasse, Monasticæ Professioni adstrictos, idcirco ulterius addendum censui, quod supra cit. Auctor Disquisitionum fol. 302. de hac Monachorum & Canonicorum commixtione annotat hisce formalibus: Willibrordus Archi-Episcopus Trajecti Canonicos & Monachos Apostolatus sui Adjutores ac Socios in uno atque eodem Cœnobio vitæ cujusdam communis Societate devinxit, usque eo, dum *Religiosis Viris utriusque Ordinis* (sunt verba Surij in vita S. Werenfridi cap. 5.) propria Cœnobia in diversis Ecclesiis assignari possent. Mansit hæc Societas mixta ex Canonicis & Monachis ad extrema usque Bonifacii Archi-Episcopi tempora. Et fol. 139. hæc habet. Igitur Clerici Canonici, quos solos jam olim in ipsa Ultrajectensi Ecclesia militasse, in Litt. Caroli Magni apud Hedam pag. 57. indicat Lotharius Ludovici Pii ex Filio Nepos, ibi à Pipini Regis temporibus soli videntur constitisse. Ex quibus omnibus denique conficitur, Ecclesiam hanc Ultrajectensem primum ex Monachis & Canonicis fuisse mixtam, postmodum vero ad solos Regulares Canonicos fuisse devolutam; & hanc utriusque Ordinis commixtionem credo esse originem, quod tum Monachi, tum Canonici Sanctos Trajectenses passim Calendariis suis inserant, ut videre est in SS. Marcellino, Ludgero, Odulpho &c. quos ex concessione Pij V. Officio Ecclesiastico venerantur Canonici Regulares, quos nihilominus Bucelinus & alii Menalogiis Benedictinis passim incorporatos habent.

ULTRAIECTENSE,

Aliud pientissimum olim ante tempora devastationis hæreticæ Monasterium de Venerabili Congregatione Windesimensi B. Mariæ Virginis & duodecim Apostolorum intitulatum, idem communiter Divisionis Apostolorum, & ad Regulares nuncupari

pari ſolitum, cujus peculiare quoddam Chronicon ſcripſit Anonymus quidam Prior illius Domus Ultrajectenſis, qui multum in eo adducit de interdicto Ultrajectinorum & abſolutione per Cardinalem Cuſanum facta &c.

ULTRAIECTENSE,

Monaſterium Sanctimonialium in Hieruſalem prope Trajectum (nunc Ultrajectum) anno Domini Milleſimo quadringenteſimo vigeſimo quarto aſſumptum fuit a Capitulo; cujus fundatores & primi Promotores fuerunt M. Bruno & Agatha Erneſti omnium Religioſorum præcipue Ordinis noſtri, & Tertiariorum pia Mater, & Procuratrix: quos hoſpitio ſæpe ſuſcipiens in Trajecto, & multum charitative pertractans nihil inde unquam etiam compulſa voluit recipere. Plures Virgines a mundi vanitatibus abſtrahens iſta ad Religionis ingreſſum plurimum animavit, ſingulisque ad Monaſteria & loca Religioſa eis convenientia poſtmodum direxit. Hæc faces & luminaria ardentia ad ſe accedentia ante Monaſterii in Hieruſalem conſtructionem apertis conſpexit oculis, Angelorum præſentiam in Angelicæ vitæ Perſonis ibidem Chriſto deſponſandis credens deſignatam. Capella iſta extra Trajectum ſituata dicta eſt Hieruſalem, quia Sepulchrum Domini adinſtar ſepulchri ejus, quod eſt in Hieruſalem, in terra ſancta in petra exciſii in ea eſt conſtitutum. Hanc ipſam Capellam a ſuis proviſionibus Agatha præfata maximis inſtantiis tandem obtinuit pro Virginum Monaſterio ibidem conſtruendo, ut bonæ voluntatis Virgines in ſæculo prædivites in Hieruſalem ſe dederunt Sponſo ſuo cœleſti perpetuo deſervituræ, de quarum bonis temporalibus & Chriſti Fidelium eleemoſynis nova in Hieruſalem Eccleſia, & plura Ancillarum Dei habitacula ſatis aperte ſunt conſtructa. Ex iſta Sancta Congregatione primum tres Sorores, deinde duæ miſſæ ſunt in Depenoene ut bonam earum regularis obſervantiæ formam oculata fide conſpicerent, quam in omni forma proprio in Monaſterio poſtmodum ſervarent, devotam valde Sororem Eliſabeth de Doesborch ſecum aſſumentes, quam in primam Monaſterii ſui Prioriſſam elegerunt. De mandato igitur Friderici Trajectenſis (Epiſcopi) Ordinis noſtri habitum ſibi convenientem devote ſuſcipientes juxta Canonum Sanctiones ſub perpetua Clauſura in Domini famulatu continuo perſeverant. Prior autem de Windeſem devotum ſæcularem ad quatuor annos ordinavit eis Confeſſarium, poſt quos Rectorem de Ordine pro Confeſſione, & duos Fratres ſecum commorantes ad Capitulum ſuſceperunt. Buſchius in Chronico Windeſ. Lib. 1. cap. 43.

UNDENSTORFFENSE,

Inter celeberrima hodie Bavariæ Collegia computandum, & ad Gelonium fluvium in Diœceſi Friſingenſi ſituatum ab Ottone Palatino Comite de Wittlſpach, hoc modo & occaſione ſua ſumpſit initia. Contigit anno 1111. ut hic ipſe Otto de Wittlſpach, quem *Sapientem* vulgo cognominabant, una cum Henrico V. Imperatore copioſum exercitum, quo coronationem juſte negatam a Summo Pontifice extorquerent, in Italiam trajiciente, & (quod ſuperius V. Salisburgenſis Metropolitana in vita B. Conradi Archi-Epiſcopi paulo fuſius recenſitum fuit) Supremum Eccleſiæ Monarcham cum Suis immaniter injuriante, anathemate feriretur, cujus quidem relaxationem poſtmodum a Caliſto II. ea conditione obtinuit, ut in pœnitentiam perticipati criminis novum Canonico Ordini, tum temporis toto orbe refloreſcenti, conderet Domicilium; conditione hac humiliter accepta, ſumptibus non modicis hujus Palatini Ottonis egregium ſurrexit Canonicorum Collegium cum Inſigni Baſilica, a prænominato B. Conrado Juvavienſium Archi-Præſule in Canonicum Ordinem nunquam non beneficio in honorem SS. Petri & Pauli dedicata, prima Canonicorum Colonia ex Collegio Marbacenſi, approbante Innocentio II. Pontifice Maximo, in hunc locum legitime derivata, quam ſub dignitate & titulo Præpoſiti gubernare cœperat unus ex dictis Canonicis nomine Rupertus. Fundo quidem, qui prima Cœnobii hujus fundamenta ſuſceperat, nomen antehac erat, *Werth;* at cum quinto poſt fundationem anno Otto Liber Baro de Undenſtorff conſanguineus ſæpe nominati Ottonis de Wittlſpach omni ſpe prolis deſtitutus, prædium ſuum Undenſtorff cum omnibus juribus & appertinentiis Authoritate Lotharii II. Imperatoris in perpetuæ fundationis augmentum pie legaſſet, eam conditionem, haud ægre acceptatam, adjecit, ut recens inchoatum hoc Aſceterium ſub Inſignibus Liberaliſſimi hujus Dotatoris, & nomine prædii noviter adjecti in perpetuum conſiſteret, quod & factum & in hæc usque tempora ſervatum eſt. Inſignes quoque Perſonarum etiam Sereniſſimarum ſepulturas numerat iſthoc Collegium, quorum nomina hic brevitatis ergo prætermiſſa, univerſim recenſet Hundius in Metropoli.

Catalogus
Reverendiſſimorum DD. Præpoſitorum Undenſtorffenſium.

I. RUPERTUS ex Collegio Marbacenſi, de quo inferius ſuo loco dicemus, auctoritate Innocentii II. anno 1128. cum aliis quinque Canonicis poſtulatus, obiit 1133.

II. ORTHWINUS electus anno 1133. ſeptennio tantum præfuit Collegio, quod cum Ottoni Fundatori, tum temporis adhuc in vivis agenti, impenſe commendaſſet, ad plures abiit anno 1141. die 17. Julii.

III. DIETRICUS e gremio Capitularium anno 1140. legitime delectus, & ut pauperum amator in actis deprædicatus, regimine ad annos viginti laudabiliter exacto vitam finivit anno 1160. die 27. Julii in Capitulo ſepultus.

IV. RICHARDUS, Vir adeo humilis, ut Prælaturæ dignitatem ſerio recuſatam nõn niſi obedientia coactus ſuſceperit, quam deinde poſt quindenale regimen morte urgente depoſuit anno 1175. die 7. Maji, depoſitus in Cripta Prælatorum.

V. HENRICUS hujus nominis primus, cognomento Kolb, Vir valde Religioſus, & eodem, quo Anteceſſor deceſſerat anno Prælaturæ admotus, ac morte, quæ ei 7. Decembris obtigit, denuo amotus anno 1195. ſub cujus Regimine vivebat Venerabilis ille Maroldus, a Mathæo Radero fol. 108. Bavariæ piæ merito laudatus: nullus quidem erat Sacris Ordinibus initiatus, nec litteris eruditus, ordinem tamen in Collegio Underſtorffenſi in gradu (ut ajunt) Converſorum Profeſſus, & legum Religioſarum Obſervantiſſimus, magnisque gratiarum cœleſtium donis auctus; qui domeſticis Patribus, fratribusque magna cum animi ſubmiſſione & charitate miniſtravit, atque ex prædiis ſuburbanis, quæ ad victum pertinebant, ſuis humeris apportavit. Erat inter Cœnobium & Vicum, unde quotidie neceſſaria pro Monaſterio petebat, pia Chriſti de Cruce pendentis imago, ad quam, onere tantiſper poſito, nonnihil requieſcens preces ſternere ſolebat, ut vires tum ſpiritus tum corporis inſtauraret. Ad hanc velut aram tandem & annis feſſus; & laboribus exhauſtus, cum de more tranſiret, tanquam victima cecidit, ſed in genua abjectus, ſublatis in cœlum & oculis & manibus precabundus, uti Religioſum & ſanctum decebat, animam Deo reddidit, præmiaque pietatis, religionis & obedientiæ ſempiterna recepit. Interim ſtatim ab ipſius morte dum adhuc ad Crucem extinctus hæreret, in Cœnobio omnia in turri æra, nullo manum admovente, concrepuere. Ex quo intellectum, id miraculo factum eſſe, ubi de morte Maroldi cognitum eſt. Ergo tota Religioſorum illic Sodalitas ſupplicabunda ad locum crucis & defuncti proceſſit, humerisque ſacrum Fratris pignus domum retulit, & ad S. Nicolai aram, qui honos nec Præpoſitis ipſis, nec Conditoribus Cœnobii ante illum diem habitus eſt unquam, ſepelivit: ita Beatus juxta Beatos erat collocandus, cum de illius Sanctitate nemo dubitaret, præſertim, quod dum viveret, in miſeros ita eſſet affectus, uti vicem illorum & egeſtatem magnopere doleret, & quibus poſſet auxiliis levaret. Deferebat olim elephantiacis aliquot panis cruſtula, & non nihil de vini latice, occurrensque forte ſuo Præſidi (ad quem jam alias de nimia in pauperes liberalitate delatus erat) veluti deprehenſus, & ſeverius objurgatus, rogatusque quid portaret, affirmavit ſe lignum & lixivium ferre, factumque momento temporis uti menſa, quam ferebat in materiam & lixivii liquorem, obſtupeſcente Præſule, verteretur, ipſeque, quo tendebat, abire juberetur. Hæc de Maroldo habet cit. Raderus, quibus addo pauculos verſus in grangio hujus Cœnobii hoc tenore legendos.

Ad tua dicta Ceres lignum eſt; lixivia vinum,
Quid portes rudis noſcere Præſul avet.
Dumque ſilent homines, non motæ in morte loquuntur
Campanæ, ad Cœlos teque migraſſe docent.

VI. BERCHTOLDUS, ab officio Decanatus ad Prælaturam elevatus anno 1195. in maxima annonæ caritate ad tres annos durante, nihilominus locum ſibi commiſſum optime gubernavit, ac tandem in fata conceſſit anno 1206.

VII. FRIDERICUS eodem adhuc anno, defuncto Anteceſſori canonice ſuffectus obiit 23. Februarii anno 1221. Sepulturam accepit in Capitulo.

VIII. HEN-

VIII. HENRICUS hujus nominis Secundus anno 1221. electus, huic ab Innocentio Pontifice Maximo conceſſum eſt, ut terræ mandetur corpus Ottonis Palatini ob Romanorum Regem Philippum a ſe Bambergæ occiſum prope Abach in Oberndorff ad Danubium a Papenheimio capite truncati, quod hactenus ſolum dolio incluſum, in Capitulo Collegii longo tempore aſſervatum fuerat. Tandem optimus hic Præſul diuturna infirmitate confectus, vivere deſiit anno 1240. die 18. Julii.

IX. WERNERUS Vir doctus, & humilis, & hinc Prælaturæ, ad quam anno 1240. fuerat promotus, præ cæteris dignus: Vir erat tantæ affabilitatis, ut multos attraxerit Collegii ſui Benefactores, tandem anno 1247. obiit 18. Febr.

X. CONRADUS eodem, quo Anteceſſor ejus deceſſerat, anno electus, & demum anno 1264. 13. Maji defunctus in Capitulo ſepelitur.

XI. UDALRICUS regimen ſuum anno 1264. ea dexteritate exorſus, quæ non modica Collegio ſuo ſpondebat rei domeſticæ incrementa. At optimus hujus Præſulis conatus hebetavit incendium famuli cujusdam incuria injectum, quo non tam totius Domus ſtructura quam pretioſa quæque mobilia damno irreparabili in cineres abiere, in quos paulo poſt & ipſe, haud dubie multis curis mortem accelerantibus redactus eſt

XII. HENRICUS III. anno 1273. ad faſtigium Prælaturæ evectus, Collegium ſuum hactenus inter ruinas non ſat miſerandas ſepultum, ad eum quoque Selectioris ſtructuræ ſplendorem evexit, quem ea tunc ferebant tempora. Eum in regimine ſecutus eſt

XIII. GODEFRIDUS, de quo præter obitum ad annum 1305. in actis notatum nihil reperitur.

XIV. CONRADUS II. Vir tantæ prudentiæ, ut a Ludovico IV. Imperatore in Conſiliarium intimum fuerit adſcitus, integro Semiſæculo præfuit, & profuit, & tandem pie in Domino obiit anno 1355.

XV. UDALRICUS II. obiit anno 1373.

XVI. UDALRICUS III. obiit anno 1389.

XVII. PETRUS cognomento Frieſs. Obiit 1415.

XVIII. ERHARDUS cognomento Rotthuet, hic in Concilio Baſileenſi jus utendi Inſignia Pontificalia pro ſe & Succeſſoribus mediante Romanorum Imperatore Sigismundo primus obtinuit, vitamque ſuo honore dignam cum morte mutavit 1442.

XIX. JOANNES I. ejusdem cum Anteceſſore cognominis, nec minoris prudentiæ & in adminiſtranda Prælatura induſtriæ, quæ tantam etiam apud Principes ei conciliarunt authoritatem, ut a Sereniſſimo Duce Bavariæ Alberto I. quem pium cognominabant, in Politicum ſecretioris conſilii, imo & Sacrum Conſcientiæ Arbitrum fuerit adlectus. Quas omnes dignitates una cum vita anno 1470. depoſuit.

XX. UDALRICUS IV. cognomento Schirm, vitam finiit anno 1479.

XXI. UDALRICUS V. Mamendorffer cognomine, e vivis exceſſit 1495.

XXII. AUGUSTINUS Dachauer vivere deſiit anno 1505.

XXIII. SEBASTIANUS de Schongau. Obiit 1524.

XXIV. SERVATIUS Waltenhoffer in Domino defunctus anno 1537.

XXV. AMBROSIUS Kazbeck, fatalem habuit annum 1546.

XXVI. PAULUS Krez obiit 1575.

XXVII. ALBERTUS Eiſenreich, Collegii ſui renovator ſatis induſtrius multis tamen, quod acta memorant, ærumnis confectus, poſt decennalem Prælaturam e vivis ſublatus eſt die 26. Decembr. anno 1585.

XXVIII. JOANNES II. Aigele cognominatus, ex Parochiarum externarum adminiſtratore zeloſiſſimo in Præpoſitum electus anno 1586. quem zelum dehinc in ſelectiſſimis Eccleſiæ ſuæ ornamentis ingenti pretio apparandis magis exhibuit, ac tandem ad plures abiit die 5. Febr. anno 1604.

XXIX. CASPARUS Schlaich, multis ædificiis vel reparatis, vel e fundamento erectis, regimen anno 1604. ſuſceptum in manus Capituli ſui anno 1618. reſignans ad Collegium Rottenbuechenſe ſe contulit, indeque poſt aliquot annos ad propria reverſus vivere deſiit anno 1655. die 23. Januar.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XXX. WOLFGANGUS Carl, Vir insignis Litteraturæ, raræque in tractandis Instrumentis Musicis peritiæ. Officiis Magistri Novitiorum, Cellarii, & Sub-Decani in proprio suo Collegio aliquamdiu laude administratis, tandem in Decanum Schlechdorffensem, & Præpositum Dietramszellensem est postulatus: inde ad vacantem ex resignatione Caspari Schleich Præposituram Undenstorffensem revocatus tanta optimi & zelosissimi Antistitis mox dedit indicia, ut a Reverendissimo Episcopo Frisingensi in universalem Canonici Ordinis per Diœcesin Frisingensem Visitatorem fuerit deputatus. Varia tum intra, tum extra Claustrum excitavit ædificia, pretiosaque suppellectile Ecclesiam suam, cujus decorem impense dilexerat, ditavit. Nimiis tandem doloribus & solicitudinibus pæne fractus, honori simul & oneri cessit anno 1631. ac residuum vitæ ad annum 1638. protractæ in sancta contemplationis quiete religiose consumpsit.

XXXI. BENEDICTUS Mayr, anno 1631. electus, regimen suum qua decebat Vigilantis Pastoris industria est orditus, idemque procul dubio pari sollicitudine fuisset prosecutus, nisi una cum commisso sibi grege, ovili suo, à Suecis per universam Bavariam hostiliter grassantibus, deturbatus, Monachii, in domo Undenstorffensi vitam ærumnis bellicis abbreviatam finiisset anno 1640. die 12. Sept. Cadaver ad Collegium reductum in Ecclesia sua inter consueta funeralia deposuere devotissimi tanto Præsuli Canonici.

XXXII. MARTINUS Riegg, Vix Ordinem Presbyteratus attigit, cum illico mandante Reverendissimo Ordinario Frisingensi, Collegio Schlechdorffensi in Decanum datus, munus isthoc uti & Parochi & Concionatoris, ea sedulitate per annos aliquot exercuit, ut Con-Canonici sui Undenstorffenses eum vacante Prælatura judicarint dignissimum. Nec fefellit eos concepta existimatio, is quippe Collegii sui, Sueca hostilitate prope collapsi, ruinas plus quam paterna solicitudine restauravit, pristinæque integritati, & felicitati restituit. At cum ædificia Cœnobii restaurat, moles corporis sui fatiscere inchoat: Quæ etiam diuturna infirmitate urgente collapsa est die 5. Decemb. Anni 1662.

XXXIII. JACOBUS Küpferle, eodem adhuc anno electus, cum prius Parochi, Concionatoris, & Sub-Decani officio egregie fuisset perfunctus, regimen pro obligationis suæ exigentia ad decennium protraxit, & tandem anno 1672. morte præreptus deposuit.

XXXIV. GEORGIUS Mall è gremio hujus Ecclesiæ in Prælatum anno 1672. electus, inter alia præclarissime gesta, Incorporationem cum celeberrima Congregatione Canonicorum Regularium Lateranensium, & perpetuam Privilegiorum communicationem legitime obtinuit, prout monstrant Authenticæ Litteræ, à Reverendissimo & Illustrissimo DD. Ascanio Gozzio Veneto totius Lateranensis Congregationis Generali, ad eundem, & Capitulum Undenstorffense datæ die 1. Aprilis 1682. obiit anno 1693.

XXXV. DOMINICUS Vent, post laudabiliter gesta Parochi & Professoris officia, defuncto Georgio unanimi Capitularium calculo subrogatus, de quo sequentia memorant mortuales litteræ in hunc tenorem ad nos datæ: In munere Prælaturæ magna & laudabilia præstitit. Conventum auxit Religiosis, Monasterium proventibus, Bibliothecam Libris, Templum decore & ornamentis, iisque sane pretiosis & permultis. Rem Oeconomicam egregie promovit, exteriorem Collegii partem magna ex parte, interiorem Religiosorum Mansionem è Fundamentis extrui curavit. Religiosæ Disciplinæ constanter propapagandæ fuit Zelator insignis, in pauperes & egenos Beneficus &c. triennali tandem variorum morborum molestia defatigatus succubuit anno 1704.

XXXVI. GEORGIUS Riezinger, qui cum Sacratioris Curionis, Concionatorisque Zelosissimi munus insigniter prius obiisset, tandem Infula ornatus decoratus Canonicis Undensibus præesse jussus est. Vir Disciplinæ Regularis, in Pauperes Charitatis, erga suos amoris Studiosissimus. Tandem cum Canoniam suam ejusque Ecclesias Filiales picturis rarioribus exornasset ad Patres abiit optimus Pater, non tamen in Corona Fratrum suorum, sed extra domum, sed in Asceterio Benedictino Schyrensi, ubi apoplexia tactus, perceptis tamen omnibus à Reverendissimo Schyrensi Sacramentis pie in Domino obiit in die Virgineo 15. Octobris anno 1721. ætatis suæ 64. à Concionibus non nisi ad paucos vitæ annos abstinuit, præsertim in Laudes B. Virginis eloquentissimus Orator. Confessionale etiam Sedulus obivit jam Præpositi dignitate fulgens. In Collegii necessitatibus ac Belli temporibus sæpius pedestris, quam Curulis esse voluit. Deplorarunt Patrem pauperum greges, quibus quanto

plus

plus dabat, tanto magis abundabat, fuit hoſpitalis, temperans, ſibi auſterus, aliis benignus. In Capitularibus ſuis declamationibus nihil vehementius inclamabat, quam: Filioli mei diligite alterum & hoc ſufficit. Vixit ut homo annis ferme 64. ut Sacerdos 39. ut Decanus 8. ut Præpoſitus 17. ſupra memoravimus illum obiiſſe 15. Octobris die Virgineo, nempe Sanctæ Seraphicæ Virginis & Matris Thereſiæ, quam Sponſali ſemper cultu proſequebatur. Gaudeat nunc Sponſus ſuper Sponſam.

XXXVII. AQUILINUS Noder poſtquam Philoſophiæ, Theologiæ ac SS. Canonum Cathedras per complures annos in Studio Domeſtico Laudatiſſimo ac ſumme indefeſſo profectu decoraſſet, unanimi calculo ad ſummam Undenſis Canoniæ Cathedram eſt evectus anno 1721. die 17. Novembris. Præfuit & profuit ſenis annis cum dimidio & fatis conceſſit 17. Maij anno 1728. Sex horis ante loquelæ ceſſationem inter alia memoratu digna altum ſuſpirans hæc verba prolocutus eſt: *Beati immaculati in via. Orate ut impleatur voluntas Divina.*

XXXVIII. INNOCENTIUS. Innocens re & nomine. Burghuſii natus, Oettingæ vero educatus fuit. Primas Litteras & Muſicæ rudimenta in Canonia Garſenſi humaniores Muſas Monachii abſolvit. Altiora Studia jam habitum Canonicum indutus partim Ingolſtadii partim Dilingæ abſolvit. Domum reverſus curam animarum fere in omnibus Undenſi Collegio incorporatis geſſit. Primo Sub-Decanum, poſtea Decanum, tandem Abbatem egit, charitate ſemper ſuper alias virtutes eminente. Laudari nunquam voluit, Laudabilia ſemper præſtitit. Eccleſias Alderſpacenſem, ac Ottmarſchafftianam de novo reædificavit, Pretioſis veſtibus ornavit Collegiatam ſuam, maximis autem virtutibus animam, quam Creatori ſuo reddidit anno 1748. Octobris die decimo quarto, nunc Innocens manibus ac mundo corde ſtabit in loco ſancto Ejus.

XXXIX. GELASIUS Succeſſor Innocentii meritiſſimus. Floreat, Regnet diu feliciter!

Anno 1751. die 14. Aprilis diem ſupremum clauſit hujus Canoniæ totiusque Canonici Ordinis decus, P. R. ac Clar. D. AUGUSTINUS LIEBHARDUS MICHL, SS. Theologiæ & Juris utriusque Doctor. *Scribebat Libros & docebat indoctos*, commune hoc habet cum SS. noſtro Legislatore Auguſtino Auguſtinus iſte elogium, quod ex Poſſidonio deſumptum Confratri ac Concanonico ſuo Undenſes Canonici non denegarunt. Monachium genuit, Ingolſtadium erudiit, Orbis Litterarius ut Civem non honorarium, ſed natum ſuſpexit. Non tantum Libros, ſed volumina ſcripſit. Sed ubi Librorum editorum Catalogus? utinam! Undenſes, qui illi ex Poſſidonio ſcripſere elogium, etiam cum S. Poſſidonio (hoc enim Auguſtino Hipponenſi præſtitit) addidiſſent in Litteris Encyclicis Operum Auguſtini accuratum Indiculum, qui Hiſtoriæ Litterariæ Scriptoribus olim fuiſſet utilis, ac Ordini Canonico honorificus.

Quinque Electionibus Domeſticis Auguſtinus interfuit, ſed ad Summos Canoniæ honores ac dignitates fortuna defuit, non virtutes. Oportuit, ſic volente Cælo, ut etiam doceret indoctos, quos in pago Undenſi Canonia vicino per ſolidos 50. annos inſtruxit, ac viam Salutis docuit. Tandem mors placidiſſimo ſomno ſimilis die ac anno præfato Muſis dolentibus vitam illi eripuit poſtquam annos vitæ complevit 90. ex quibus tanquam Vicarius in Aſpach 51. Deo & Eccleſiæ tanquam Religioſus 69. tanquam Sacerdos 64. adeoque ter Jubilæus impendit, Inſcribamus doctiſſimi Viri tumulo:

DoCtor MIChL
Requieſcat in Pace!

UNOLCURTENSE,

Oppidum Diœceſis Cameracenſis, in quo *S. Vindicianus Cameracenſis & Attrebatenſis Epiſcopus Monaſterium conſecravit ad laudem Dei & Venerationem S. Petri, ibique Clericos & Moniales conſtituit.* Molanus in Natalibus ad diem 11. Martii, & ex ipſo Pennottus lib. 2. cap. 38. num. 12.

VOLCERDINCKHUSANUM,

Seu Monaſterium S. Joannis Baptiſtæ in Volcerdinckhuſen à Miræo de Canonicis Regg. cap. 13. fol. 67. appellatum Aſceterium Congregationis Windeſimenſis adhuc durante Sæculo Milleſimo quingenteſimo Florentiſſimum ſub ditione Comitum (qui jam ab aliquot annis S. R. I. Principes inaudiunt) Waldeccenſium proprio ſuæ Fundationis Fundo conſtitutum, idque primum (quo tempore & anno nondum conſtat) pro Sanctimonialibus Canonico-Auguſtinianis fundatum & coordinatum, inde

tamen de meliori consilio Religiosis Viris paris instituti Professoribus & quidem de strenua reformatione Windesimensi desumptis anno 1465. traditum & assignatum, sequenti Sæculo rursum illis violenter ademptum alienis in prædam cessit, quando nimirum post avitam Patrum Religionem in toto etiam territorio Waldeccensi miserabiliter immutatam vix nomen Monasterii istius superat, cujus annuos reditus & proventus sacros modo ærarium Principis sæcularis devorat omnes & singulos vel olim refundendos tempore & anno, quod nemo novit nisi Filius (æterni Patris) & cui voluerit Filius revelare. Sed in antiquam Religiosæ Professionis memoriam juvat hic ad Posterorum memoriam recensere totam Translationis Volcerdinckhusanæ seriem in favorem memoratæ Congregationis Windesimensis authoritate factam, ratam & confirmatam per publicas litteras, quarum vidimatas copias e Canonia Bodecensi Diœcesis Paderbornensis supra recensita in rem præsentem ad nos transmissas sic accipe: Nos Simon de Lippia Dei & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Ecclesiæ Paderbornensis ad perpetuam rei memoriam. Quamvis Domini est terra, & plenitudo ejus, certa tamen loca pro cultu frequentiori Suæ Majestatis immensæ singularibus indiciis ipse plerumque conservare consuevit, quæ quanto majori temporis negliguntur incuria, tanto majori negligentes ipsi rei redduntur injuria, qui rursum a Deo neglecti, & in desideria cordis sui traditi non nunquam sic in vanitatibus suis evanescunt, quod loca & personæ Divinæ Justitiæ dispensante secreto contrectatione mutua tabescentes, ipsa cum personis loca vilescunt. Et quia deviis a tramite veritatis veritas dicit, aufferetur a vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus, ad honorem Nominis Divini plurimum cedere non ambigimus, si vepribus & spinis ab agro Dominico funditus extirpatis loca sancta inhabitantium culpa in desperationem deducta, novellis olivarum, quas in circuitu Mensæ Domini constitutas Propheta commemorat, studuerimus reformare. Cum igitur, uti nuper exhibita nobis pro parte Nobilis ac dilecti Nostri Ottonis Comitis de Waldeck petitio continebat, Monasterium Monialium in Volcerdinckhusen nostræ Diœcesis Ordinis S. Augustini ab antiquo satis provide fundatum & provisum possessionibus, agris, pratis, pascuisque & dotatum reditibus, partim negligentia præsidentium, partim casibus fortuitis & propter guerras terrarum sterilitates, & alios siniſtros eventus, qui partes illas hactenus afflixerunt, in suis etiam ædificiis, ut ad oculum est videre, vetustate fere consumptis, & possessionibus ac bonis plurima damna suscepit, ac detrimenta patiatur, & sic penitus desolatum esse conspicitur, quod ex omnibus a multis retro annis ibidem institutis vix duæ Personæ Professæ loci ipsius una cum duabus ex alio Monasterio mutuatis sub gravi paupertatis molestia inibi degant, & morentur, in Religionis opprobrium, suarum animarum periculum & pernitiosum exemplum, & scandalum plurimorum. Pro parte igitur Comitis nominati Nobis debita cum instantia fuit supplicatum, ut in præmissis oportune provisionis remedium adhibere curaremus. Nos igitur, cujus interest, ne in Monasteriis & locis, aliisque Ecclesiasticis Nostræ Diœcesis quibuslibet conventibus cultus Divinus in totum depereat, seu Monasteria ipsa & loca ad extremæ perducantur desolationis opprobrium, providere, & ad id opem & operam impendere efficacem, hujusmodi quoque postulationibus annuentes ad prædicta omnia pro Divini cultus augmentatione, pietate curæ Pastoralis allecti desideriis intensis aspirantes, ne ficulnea infructuosa rursus terram pernitiosius occupet, eundem locum sui qualitate temporis malitia & sexus fragilitate pensantes, non sub hujusmodi Monialium, per quas ut etiam ipsæ licet jam paucæ superstites attestantur, nulla spes est reformari statum, sed ejusdem Religionis titulo Sexu Virili, cujus Professores non solum carne sed & mente vigentes inter mundi pericula adversitatis turbo non terreat, nec arrisus fortunæ fallacis dissolvat, decrevimus reformare. Visis itaque documentis admissivis, nec non instrumentis sufficientibus a Nobis receptis, in quibus supradictæ Moniales seu Canonicæ pro se, & quarum vices supplebant, vel habebant, in manus nostras sponte & libere dictum Monasterium in Volcerdinckhusen resignarunt, & quælibet earum resignavit cum omnibus suis dignitatibus, beneficiis, officiis, libertatibus, juribus, privilegiis, nec non præbendis, reditibus, proventibus, & cum suis attinentiis universis, quibuscunque nominibus censeantur, animi nostri aciem ad Canonicorum Regularium antedictorum Beati Augustini, quatenus hoc ipsum in Volcerdinckhusen, Cœnobium derelictum, & quasi penitus desolatum Ordini & Capitulo suo Generali de Windesem Trajectensis Diœcesis uniendum & incorporandum susciperet, Fratres ejusdem Ordinis sanctæ observantiæ Viros devotos eo in loco instituere, & Religioni sui Monasterii conformes beati itineris duces ad gloriam Altissimi, & multorum Salutem. Qui Deum intuens in bona spe & fiducia Patrum Generalis Capituli sui antedicti vota nostræ suggestionis plenissime devotenus admisit, ipsiusque Nobilis Viri fidelis amici nostri Ottonis Comitis de Waldeck supra tacti ardenti affectu, dulcibus-

que

que monitis invitatus expetita, quanquam gravia de Altiſſimi confidens omnino ſubſidio, ſecundum Ordinis & Capituli ſui ſtatuta peragenda ſuſcepit. Nos igitur Simon antedictus Eccleſiæ Paderbornenſis Epiſcopus in Monaſterio Volcerdinckhuſen antedicto Religione & rebus temporalibus deſtituto, cum alias fieri non poſſe conſtet, & publice manifeſtum, ac de Statu Religioſo Monialium omnino deſperatum noſtra auctoritate Ordinaria ac ex debito Paſtoralis Officii cum Venerabilibus Viris Dominis Præpoſito, Decano & Capitulo Majoris Eccleſiæ noſtræ Paderbornenſis prætactæ, tractatu Capitulari & matura deliberatione præhabitis, & eorum accedente Conſenſu Singulis Dignitatum, Beneficiorum, & Officiorum titulis inibi penitus ſuppreſſis & extinctis, ipſique Monaſterio in Eccleſiam Canonicorum Regularium antedicti Ordinis S. Auguſtini eadem auctoritate translato, ipſamque Eccleſiam cum omnibus bonis, rebus & juribus à ſubjectione qualibet penitus exemptam & liberatam, præterquam à noſtra & Sui Ordinis Superiorum devotum inibi Canonicorum Regularium prætactorum Ordinem in Dei nomine inſtituimus, nec tamen Prælatus, qui Eccleſiæ in Volcerdinckhuſen ſæpedicta præfuerit, aut ſui Subditi coram alio, quam coram nobis aut noſtris Succeſſoribus Paderbornenſibus Epiſcopis, aut illo, cui nos aut Succeſſores noſtri per Patentes Litteras hoc ſpecialiter duxerimus committendum, vel ſaltem Sede vacante coram Capitulo Eccleſiæ noſtræ prædictæ, quovis modo valeat conveniri; volentes, ſtatuentes, & ordinantes ſacrum illum Ordinem perpetuis ibidem temporibus obſervari; ipſam etiam Eccleſiam cum omnibus ædificiis, prædiis, rebus, & bonis mobilibus & immobilibus, juribus, privilegiis, pertinentiis extantibus & futuris eadem auctoritate & conſenſu adhibitis Capituli noſtri, memorato Capitulo Generali Canonicorum Regularium in Windesheim plene & integraliter in nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis incorporavimus & univimus, prout incorporamus & unimus per præſentes decernendo inſuper ipſam Eccleſiam cum ſuis attinentiis, perſonis, & rebus perpetuis debere illi Capitulo ſubeſſe temporibus, ipſum quoque Capitulum in Windesheim habere & habere debere viſitationem, correctionem, & plenam Jurisdictionem in Eccleſiam & ejus locum præfatum, Canonicosque Regulares ac Familiares pro tempore inibi commorantes, ſecundum Ordinis & Capituli eorum ſtatuta & ordinationem, Prælatum quoque ſub nomine Prioris inſtituere ejusdem Ordinis & obſervantiæ diſtrictæ qui eandem Eccleſiam taliter erectam, & curam ejus Parochialem cum poſſeſſionibus, terris, domibus, rebus mobilibus & immobilibus, bonis, juribus, & obventionibus ſuis univerſis, quæcunque & qualiacunque fuerint, & in quibuscunque conſiſtant, pro uſu, habitatione, & ſuſtentatione hujusmodi Prioris & Canonicorum inibi inſtituendorum deputet, aptet, ac, ut videbitur, appropriet, & aſſignet. Verum ne Perſonæ ipſæ Profeſſæ in Monaſterio præfato Volcerdinckhuſano, & in eodem huc usque degentes in opprobrium Religionis, & vilipendium Cleri propter hujusmodi translationem & ſuam ſpontaneam pro honore Dei & qualiscunque proventus ſui reſignationem, detrimentum pati vel mendicare cogantur, unde tamen commodum & gratiarum exhibitiones omnino ſentire deberent, volumus & decernimus eisdem de fructibus, reditibus & proventibus Monaſterii ſæpedicti, quoad vixerint in annuis reditibus, perſonarum qualitatibus & Monaſterii facultatibus debite circa hoc penſatis per Nobilem Ottonem Comitem de Waldeck prædictum provideri, easque in alia Monaſteria, prout expedit utilius, collocari. In præmiſſorum omnium fidem, robur, & teſtimonium præſentes Litteras noſtri appenſione Sigilli fecimus communiri. Et Nos Præpoſitus, Decanus, & Capitulum Eccleſiæ Majoris Paderbornenſis antedictæ, quia præmiſſis ſuppreſſionibus, reſtitutionibus, incorporationibus, unionibus, ſubjectionibus, liberationibus omnibus & ſingulis poſitionibus, & Articulis ſupra narratis aſſenſum præbuimus, prout præbemus per præſentes, ideo ſimiliter etiam Noſtri Capituli majus Sigillum præſentibus duximus appendendum. Datum in Caſtro novo anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quinto, ipſo die Beati Dionyſii Epiſcopi & Martyris.

(L.S.) (L.S.)

Hujusmodi igitur translatione modo prædicto realiter peracta & pleniſſime conſummata Monaſterium iſtud ſub laudatiſſima Cann. Windeſimenſium cura & directione prudentiſſima cito citius mirabiles fecit progreſſus, & brevi temporis ſpatio Zelo inhabitantium quaſi in integrum feliciſſime reſtitutum poſt annos circiter viginti à dicta reformatione transactos, nova incrementa cæpit, novum Mæcenatem & piiſſimum Benefactorem illius ultro ſeſe præbente Illuſtriſſimo D. D. Ottone Seniore Comite de Waldeck datis in hunc finem litteris dictam dotationem comprobantibus, ut ſequitur:

Nos Otto Comes Senior de Waldeck notum facimus omnibus has Patentes Litteras viſuris vel Legi audituris. &c. Cum præteritis annis Monaſterium Volcerdinckhuſanum in Comitatu noſtro ab Officio Divino ad tantam inopiam dilapſum ſit, ut vix ærumnoſæ binæ Virgines ibidem ſubſiſtere poſſint; ſic auxilio Cognatorum noſtrorum Wolradi, Philippi, & alterius Philippi communicato conſilio & conſenſu Domini Simonis de Lippia, totiusque Capituli Paderbornenſis anno MCCCCLXV. Religioſos Dominos Ordinis Canonicorum Regularium ſerio ſtudio delegimus, & impetravimus, ut memoratum ad ſe locum ſuſciperent, eosque iis Privilegiis & Gratiis inſignivimus, prout teſtantur Litteræ, quæ ipſis à Nobis datæ & roboratæ ſunt. Quamvis vero ſupradicti Domini in Volcerdinckhuſen nullos inveniebant reditus, attamen induſtria ſua Monaſterium ita reſtauraverunt, ut cum Patriæ, Procerum, omniumque Incolarum communi plauſu ſecundum genuinam Canonici Ordinis formam diu noctuque Officium Divinum florere incipiat, nec minus manifeſta Dei Benedictione circumquaque Volcerdinckhuſen adſita oppida, pagi cum nomine Landaw, Frigenhagen, Dermehauſen, Warolderen, Eldrinkhauſen, Brunhauſen, oculo teſte taliter reſpirarunt, jamque de facto ad abunde conſulendum neceſſitatibus ſuis agros, montes, diſtrictus ſi colant, ut non amplius neceſſarium ſit paſcua in Volcerdinckhuſen quærere. Illa enim honeſtæ illorum vitæ vix paria, & Officio Divino, ſi ſubſiſtere ibidem velint, debeantque. Quare Nos Otto ſupra nominatus præmatura deliberatione præhabita, penſantes, qualiter Dei honor promoveatur ad Gloriam Dei, Conſilio & Conſenſu Subditorum noſtrorum tam Eccleſiaſticorum quam Sæcularium, ne inceptus Dei cultus in Volcerdinckhuſen obſoleſcat, pro Nobis Succeſſoribusque Noſtris & hæredibus humili Priori Domino Lamberto in hac cauſa Auctori, totique Conventui & Succeſſoribus ſuis in Volcerdinckhauſen omnino totaliter in virtute harum litterarum tradidimus, ceſſimus Dominatum noſtrum Wœſtedorb, Wellinckhauſen ad Dimulam, & Arcem Roden ſitum cum omni ſuo diſtrictu ſive nominato ſive non nominato, cum Sylvis, Agris, Aquis, Paſcuis, Pratis, cum omnibus Juribus & Pertinentiis cujuscunque demum nominis ne minimo quidem juxta Patriæ morem excepto, præterquam Piſcatione, & cum plenum Glaudemium in Sylvis noſtris Wellinckhauſanis fuerit. Quo propriæ Curiæ in Arce Roden uſi ſemper fuimus, in infra ſcripta meliori forma, qua poſſumus optime & poſſemus primo irrefragabiliter cum omnibus ex lapide ſtructuris, jure Parochiali & Eccleſia libere & proprietarie ad Monaſterii uſum ſine ullo onere, cujuscunque tituli aut nominis, ne minimo excepto ad optandum juxta placitum & commoditatem, ad fructificandum, evellendum, plantandum, & omnem noſtram jurisdictionem cujuscunque tituli abdicamus, & promittimus pro Nobis & hæredibus certam hujus loci proprietarii præſtituros Cautionem & Warandiam, ita, ut nominatus Pater Prior & ſupra dictus Conventus & Succeſſores ad meliorationem & ſtructuram hujus boni proprietarii in Volcerdinckhuſen unitum & diviſim pro oportunitate ſua trecentos quinquaginta aureos applicare poſſit. &c. Et nonnullis interjectis. Ut inceptum Officium Divinum in Volcerdinckhuſen continuare commodius poſſint, omnem his Litteris contentam Fundationem & Gratiam Nos Otto Comes in Waldeck ad Gloriam Dei ſtabilimus, in quorum fidem pro Nobis, noſtrisque Succeſſoribus & Hæredibus Sigillum noſtrum ſcienter affigi curavimus. Datæ anno Domini Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quinto in die S. Michaëlis Archangeli.

(L.S.)

VOLCKMARIENSE,

Pientiſſimum quoddam hujus nominis Sacrarum Virginum Regulæ Canonico-Auguſtinianæ Domicilium de Congregatione Windeſimenſi ſupra in deſcriptione Monaſterii Bodecenſis nominatum, in diſtrictu vero Archi-Diœceſis Colonienſis ſituatum, quod cum hodie haud amplius floreat, nec conſtet, ubi ubi tandem locorum exiſtentiam ſuam vel ſaltem habuerit, probabilis conjectura eſt, hoc ipſum jam dudum ab Hæreticis fuiſſe ſuppreſſum.

VORAVIENSE.

Antiquitus vero *Varowe* nuncupatum, inſigne prorſus Diœceſis Secovienſis in inferiori Styria Collegium Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini infra præcelſum (qui Styriam ab Auſtria dividit, unde & auram recentem ſanam, & perfrigidam locus percipit) montem *Wexel* appellatum, Græcio Provinciæ Metropoli ſex Millia-

Milliaribus, à confinibus vero Hungariæ non niſi tribus horis, & à plaga Auſtriaca pari ſpatio diſſitum: Cui inchoando ſeu noviter fundando in peramæno quodam (cui Voravium hoc Noſtrum hodiedum fortiter inædificatum perſtat, & ad radices illius in Meridiem fluviolus allambit *Vorau* dictus vicinum oppidum ad ſeptentrionem belle ſpectandum ſuo de nomine *Voravienſe* nuncupari faciens) colle ſuperna quædam viſio (juxta conſtantem traditionem) occaſionem præbuit Ottokaro Terræ Principi, ſeu Styriæ Marchioni ſubito repræſentata. Is enim dum iſthic loci inter venandum fugientem quendam miræ magnitudinis cervum inſequeretur, inter gemina feræ ex adverſo conſiſtentis cornua de repente velut alter Euſtachius, ſeu Placidus Nobilis ille Romanus Militum Magiſter, olim ſub Trajano Imperatore cum Uxore & Liberis Martyrium paſſus, fulgentem vidit Chriſti Domini Servatoris Noſtri è cruce pendentis imaginem: Qua clarius perſpecta mente turbatus Princeps alias vere pijſſimus, protinus ex equo deſiliens, & hujuscemodi crucem cœlitus objectam cernuus adorans firmiſſime ſecum ſtatuit, vovitque, ſeſe ſuum (quod jam ante Capellam habuit cum Crypta à Romano Gurcenſi Epiſcopo in honorem Divi Thomæ Apoſtoli 1149. dedicatam) Caſtrum *Varowe* dictum in memorato colle conſtitutum in perpetuam oblationem Superno Numini donaturum, atque ad hoc pijſſimum propoſitum ſuum realiter exequendum ipſe Dominus Ottokarus Marchio una cum Conjuge ſua Chunegunde Dieboldi ſeu Theobaldi Marchionis de Vogburg Filia apud Lazium de migrat. gentium lib. 7. fol. 285. nominata, fundum ſeu verius Caſtrum ſuum Voravienſe paulo ſupra memoratum Metropolitanæ Salisburgenſi (cujus pro tunc Summum Rectorem ſeu Archi-Epiſcopum egit S. Eberhardus Comes de Hiltpoldſtein de rara vitæ pietate ſummopere commendatus à R. P. Mathæo Radero Soc. JEſu in Bavaria Sancta Volum. 1. fol. 132. & Franciſco Dückhero in Chronico Salisburgenſi fol. 120. & ſeq.) Eccleſiæ pleno jure, ea conditione, tradidit, ut Canonicos Regulares de eodem Choro Salisburgenſi deſumptos, eosque ſub Regula S. P. Aurelij Auguſtini Deo militantes collocaret, qui tum pro ipſo Fundatore, tum pro Majoribus illius nunquam non devotas Deo preces perſolverent, prout fuſius explanant ipſæ Fundationis Litteræ, quarum copiam pro notitia Poſteris habenda hic apponimus ex ipſo Originali deſumptam in hæc verba: *In Nomine Sanctiſſimæ & Individuæ Trinitatis ego Ottocarus Divina pietate Styrenſis Marchio omnibus tam præſentibus quam futuris Salutem &c. Quia teſtante Sacra Scriptura Eleemoſynarum largitate peccata remittuntur fidelibus. Idcirco Nos Divini amoris & timoris intuitu pro ſalute noſtra & Dilectæ Conjugis noſtræ Chunegundis, nec non Chariſſimi Filii noſtri Ottocari & omnium Anteceſſorum noſtrorum, quoddam prædium noſtrum Varowe dictum ad Juvavienſem Sedem Poteſtativa manu tradidimus: & in eodem prædio Viros Religioſos ſecundum Regulam B. Auguſtini viventes jugiter ibidem permanſuros, auctoritate Domini noſtri Eberhardi Venerabilis Archi-Epiſcopi collocavimus: qui apud Omnipotentem Deum pro nobis & omnium Anteceſſorum noſtrorum peccatis aſſidue intercedant, & Orent.* Ad removendam autem omnem ambiguitatem terminos ejusdem prædii propriis nominibus exprimere dignum duximus: Ab aqua videlicet, quæ *Varowe* dicitur, usque ad aliam aquam, quæ Lavenz dicitur, quidquid inter duas iſtas aquas continetur, quod ad noſtrum ſpectat Dominicale ad præbendam Fratrum Voravienſium jure proprietatis pertinere volumus. Quidquid etiam inter eandem Lavenz, & Tucham minorem, item à capite rivuli, qui dicitur Sulzbach, & à capite rivuli, qui dicitur Zewerskevert, à capite etiam rivuli, qui dicitur Lengerskevert usque in Hungariam proprietatis habuimus, ſub eadem traditione continetur. Tradidimus etiam eis alpes usque in Cerewald prænominato prædio adjacentes. Ne autem malorum hominum incurſu pax Servorum Dei turbari poſſit, in futurum eandem Congregationem ab omni exactione liberam eſſe ſtatuimus, tali tenore, ut nullus Succeſſorum noſtrorum hæredum aliquod ſervitium jure Advocatiæ ab eis, vel ab eorum Colonis requirat, ſed ſolius Divini timoris intuitu, & pro futura retributione, ſub eorum Patrocinio & defenſione conſervetur. Statuimus etiam, ut per omne noſtrum prædium, & quocunque ditionis atque regiminis progreditur judicium, nullus mulctæ, ſeu vectigalium, ſeu etiam telonij exactiones, de rebus ad jam dictam Congregationem deputatis præſumat exigere, ſed eundi & redeundi ducendive vel emendi & vendendi ea, quæ ad neceſſitatem pertinent, Monaſterij Proviſores ejusdem liberam etiam habeant facultatem. Si vero quod abſit, aliquis Epiſcoporum, ſeu aliorum Prælatorum quiſpiam prædia jam ſæpius memorata à Monaſterio in Vorawe alienare aut in proprios uſus redigere quocunque modo præſumpſerit, omni altercatione ſemota in noſtram & Hæredum noſtrorum poteſtatem eadem prædia ex integro volumus redire. Ut autem hæc noſtræ traditionis Chartula firma permaneat, Sigilli noſtri impreſſione eam roborare decrevimus. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo centeſimo ſexageſimo tertio apud

Fiſchach annuente conſilio & aſſenſu Domini Eberhardi Venerabilis Juvavienſis Archi-Epiſcopi, anno Pontificatus ſui decimo ſexto præſente Venerabili Romano Gurcenſi Epiſcopo & aliis, quorum nomina ſubter annotavimus. Hujus rei teſtes ſunt Marquardus Nierenbergenſis, Gerhohus Richlſpergenſis, Wernherus Seccovienſis Præpoſiti Adalbertus de Berge, Adelwannus de Viler, Lantoldus de Hochenſtout: Henricus de Sterenberg: Gundaker de Steinbach: Rapoto de Pictens: Duringus de Wernen: Pabo de Turheim: Wilhelmus de Wagingeberg: Carolus Pincerna, Rudegerus Frater Marquardi Junioris; Godeſcalcus Spirlinck, & Frater ſuus Otto: Bernardus de Hachenta, Duringus de Starchenberg & Filius ejus Bertoldus & alij quam plures.

Dum itaque res hæc in deliberatione ſeu potius in proxima voti executione verſatur, Ottocarus Marchio fundator primarius ſimul & Eberhardus Archi-Epiſcopus antedicti præter ſpem in Domino demortui terris ambo defecerunt anno 1164. quare Ottaker junior idem poſtmodum a Friderico I. Cæſare Barbaroſſa primus Styriæ Dux creatus, uti paternarum ditionum, ita & virtutum quoque hæres, adito provinciæ ſeu Ducatus ſui regimine, mox in animum adduxit paternæ intentionis propoſitum ſeu mandatum realiter opere complere; quod & fecit, ex quo prius a Succeſſore Eberhardi Archi-Epiſcopi antedicti proximo, S. Leopoldi Marchionis Auſtriæ Filio, generatione Sexto, Conrado hujus nominis Secundo, ſupremo Antiſtite Salisburgenſi pleniſſimam paternæ fundationis confirmationem accepit, authoritate ordinaria datam & expeditam ſub hujusmodi tenore: Conradus Dei gratia Archi-Epiſcopus Salisburgenſis Eccleſiæ Luitpoldo Venerabili Voravienſi Præpoſito, Suisque Succeſſoribus canonice ſubſtituendis &c. &c. Quoniam veritate, quæ Deus eſt, atteſtante beatitudo de poſſidenda terra promiſſionis mitibus per ſpiritum pietatis opera miſericordiæ exercentibus promittitur, idcirco nos tum pro debito noſtri officii, tum etiam divini timoris intuitu, traditionem, quam chariſſimus filius noſter Ottocarus Styrenſis Marchio de prædio ſuo Vorawe dicto, ad Juvavienſem Sedem poteſtativa manu fecit, & in eodem prædio Viros Religioſos ſecundum Regulam B. Auguſtini viventes, jugiter ibidem permanſuros auctoritate felicis memoriæ Anteceſſoris noſtri Eberhardi Archi-Epiſcopi collocavit; quia idem Anteceſſor noſter morte præventus eandem traditionem ſuo privilegio confirmare non potuit; Nos, qui favente Domino in Sede Juvavienſi eidem ſucceſſimus noſtra auctoritate ratam habemus & confirmamus. Et ſicut præfatus Marchio ad removendam omnem impoſterum ambiguitatem, terminos ejusdem prædii propriis nominibus expreſſit, ita & Nos eosdem terminos ſub noſtram & Succeſſorum noſtrorum tuitionem ſuſceptos, eisdem nominibus exprimere dignum duximus: ab aqua videlicet, quæ Vorawe dicitur, usque ad aliam aquam, quæ Lavenz dicitur, & quidquid inter duas iſtas aquas continetur, quod ad ejusdem Marchionis ſpectabat Dominicale: quidquid & inter eandem Lavenz, & Tucham minorem item a capite rivuli, qui dicitur Sulzbach, & a capite rivuli, qui dicitur Zewerskevert, a capite etiam rivuli, qui dicitur Lengerskevert usque in Hungariam proprietatis habuit, cum alpibus usque in Herewald prænominato prædio adjacentibus; Nos ſecundum traditionem præfati Marchionis, ut in præbenda Fratrum Vorawienſium permaneant, noſtra auctoritate roboramus. Præterea bonum propoſitum ejusdem Marchionis & Hæredum ejus ad meliora provocare volentes pro remedio animæ noſtræ & omnium Anteceſſorum noſtrorum, ſicut Anteceſſor noſter verbo quidem fecerat, ſed ſuo Privilegio non confirmaverat, duas Parochias Vorawe videlicet & Teckantkirchen cum omni integritate & jure earum in uſus Fratrum ibidem Domino ſervientium, decimas etiam vini de quatuor vineis apud Hardberg, & de tribus apud Fiſchbach, quas in præſentiarum ijdem Fratres poſſident, eidem Eccleſiæ concedimus. Sane quotiescunque Archi-Diaconus vice noſtra pro debito Officii ſui placitum Chriſtianitatis habere voluerit, Vorawenſis Præpoſitus in una prædictarum plebium Teckantkirchen ſcilicet honeſte eum recipiat, & de his, quæ ad ſalutem animarum populi ejusdem plebis pertinent, devotus Cooperator exiſtat. Ne autem impoſterum de terminis Vorawenſis plebis quæſtio oriri poſſit, eosdem terminos propriis nominibus in præſenti Privilegio noſtro annotavimus à ſummitate montis, qui dicitur Maſinberg, & per ejus cacumen usque ad originem fluvii, qui dicitur Feiſtriz, & à capite rivuli, qui dicitur Wizilavenz usque dum rivulus in Schwarzilavenz defluit, quidquid autem intra hos terminos in præſentiarum cultum eſt, vel in futurum Domino favente coletur, Parochiali jure ad Præfatam Vorawienſem plebem pertineat. Siquis autem noſtro huic Privilegio auſu temerario contraire, & prædictæ Congregationi injuriam inferre tentaverit, ſemel atque iterum commonitus, ſi non reſipuerit, iram Omnipotentis Dei & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli incurrat, ſervantibus autem ea, quæ hic decrevimus, Salus, Pax, & Benedictio à Domino proveniat. Ut autem ea,

quæ

quæ in præsenti pagina continentur, firma & inconcussa permaneant, Sigilli nostri impressione roborare decrevimus. Hujus rei testes sunt Siboto majoris Ecclesiæ Præpositus, Meingotus Decanus, Gundaker Cellerarius, Wernherus Seccovienſis Præpositus: Henricus Garsenſis Præpositus, Albertus Ovenſis Præpositus: Henricus Abbas S. Petri. Siboto Prior ejusdem Monasterij. Luitoldus Abbas Admontenſis. Acta sunt hæc anno Millesimo centesimo sexagesimo octavo, Indictione secunda sexto Calendas Februarij Pontificatus nostri quarto. Apud Adimant feliciter.

Recensitæ huic eximiæ Marchionis Ottokari Patris munificentiæ succeſſit etiam præclara Filii Patri per omnia simillimi pia prodigalitas, seu liberalitas, qua videlicet is Priores Monasterii possessiones insigniter adauxit Ecclesiam Voravienſem amplius locupletans diversis aliquot prædiis in novam dotem superadditis, nec non certis quibusdam Privilegiis ac Juribus ad majus commodum & utilitatem spontanee collatis. Neque minor in instaurando hoc sacro contubernio fuit clementia duorum Archi-Episcoporum immediate sibi succedentium videlicet Conradi II. jam supra laudati, & alterius Alberti II. variis titulis uberrime demonstrata sane nunquam intermoritura sed albo debitissimæ gratitudinis calculo penes Voravienſes hodiedum annotata. Hoc proin Voravienſe Collegium taliter (ut audivimus) ab Ottocaro Marchione fundatum & instauratum assurgit in colle, quem præter circumjacentes agros & prata jucundum satis & amœnum reddunt, quæ & æstivos inter calores delicioſam umbram præbent tiliæ copioſæ suo Ordine strictissime plantatæ, atque per istas via patet ad exteriorem Collegii majorem portam, à qua Aquilonem versus inde ad Orientem triangulari figura declinans duarum condignationum structura receptioni hospitum accomodata convenienter excurrit, inde vero ad Occidentem equorum stabulum ac desuper granarium, ad Meridiem vero villa probe conspicitur mœniis ac tribus turribus contra hostiles incursus aptissime munita. Inter villam & excurrentem Orientem versus structuram media area ingens in longum latumque protenditur usque ad fossam, super quam per Pontem quater gemino arcui lapideo fortiter innitentem ad Prælaturam usque transitus aperitur. Intra fossam Hegumencharium tres in altitudinem numerantur contignationes: Quarum infima cellis, vinariis, media famulitio, suprema vero residentiæ Prælati deservit, ac inter duas quadratas turres sese simul ostentans continuato ædificio nectitur structuræ Collegij seu Dormitorij, quæ ab occidente in meridiem excurrens, & à meridie ad Orientem inde ad Septentrionem reflexa tribus angularibus turribus conspicua, trium etiam contignationum, & ad meridiem fere quatuor ob decliviorem situm ad splendorem alta templo sese conjungens quadraturam elegantem & ad omnes Artis Architectonicæ regulas apprime distributam, nulli facile (si magnitudinem excipias) secundam exhibet; nam si spectes & consideres per amplas & altas Religioſorum Canonicorum mansiones, si vero latas ac sublimes (è quibus jucundus in subjectas valles & circumfusos Hungariam versus in planitiem declinantes, ad Meridiem & Occidentem vero grata Sylvarum agrorumque varietate prospectus patet) Fenestras ordine pulcherrimo continuatas: sive tres superimpositos (qui interiorem structuræ Fabricam mirum in modum exornant) ambitus polito lapide stratos: sive Refectorium & Sacristiam utraque ista gypsato opere rarissimis picturis intermixto convenienter exornata, sive denique totam ac universam structuram & regularem, uti vocant, divisionem, omnia hæc quadratum Religioſissimi Collegij ædificium commendant. In media Domicilij Claustralis area marmoreus prostat puteus curandis morbis præsertim sanandis cæcutientium oculis longa experientia salutaris quot annis die Festo S. P. Augustini frequentari solitus etiam à populis venientibus de longinquo, qui aquas hauriunt, & in certissimam oculorum medicinam avidissime recipiunt. A Septentrione Dormitorij quadraturam claudit Ecclesia; quæ duas (quarum una & quidem dextera campanas majores quinque, altera vero minores duas & una simul horologium habet) inter turres sese convenienter attollens tum altitudine, tum latitudine quoque satis magnifica in Orientem sese protendit; per portam vero majorem ob declivitatem collis fit descensus per gradus sex marmoreos ad planum templi polito lapide stratum: In quo ex utroque latere Altaribus undique deauratis excultæ, ut & pavimento marmoreo decoratæ quatuor (præter duas alias Aræ Principi viciniores longitudine sua reliquis potiores) visuntur Capellæ, quarum prima in latere dextro Divæ Virgini Deiparæ Matri, secunda Ejusdem Almæ Matris Genitrici S. Annæ, tertia S. Mariæ Magdalenæ, quarta Glorioſissimo Cœlestis Militiæ Principi D. Michaëli Archangelo; in Siniſtro vero latere prima S. P. Aurelio Augustino, altera S. Sebastiano Martyri, tertia S. Beregiso Can. Reg. Abbati, & quarta demum S. Joanni itidem Can. Reg. consecrata manet. Altitudo & Latitudo Capellarum istarum omnino coæqualis longitudini & latitudini ambitus super Capellas ex utraque

Ecclesiæ parte excurrentis correspondet, qui ambitus ibidem ex utroque latere circumductus super Capellas elevatus mire superiorem templi structuram exornans accessum præbet ad Chorum sedilibus, seu ut vocant stallis, artificioseque organo insignem, dans simul etiam prospectum in universam interioris templi fabricam. Sæpedictas Capellas & ambitum illis superiorem distinquunt columnæ basibus lapideis innitentes, in altum erectæ imminentibus Epistiliis pulcherrimo ordine conspicuæ, quæ amplissimam Ecclesiæ testudinem sustentant; Has inter columnas duæ versus summam Aram depressiorem tribus pedibus infra testudinem arcum succollantes eminent cæteris: Post quem fornix Superior super testudinem ordinariam tribus orgiis elevatior, infra quem Summum Altare est collocatum, inter quatuor oblongas majores totidem desuper rotundas Fenestras Ecclesiæ Fabricam sane splendidissimam absolvit. Porro ædificium templi recensitum tum amplæ concinno ordine continuatæ Capellæ tum desuper ex utraque Ecclesiæ parte circumductus ambitus, tam spatiosa in longum latumque protensa testudo, tum tota Architectura adeo decora reddunt magnificum: tum Capellarum ambitusque superioris longitudinis & latitudinis æqualis Fenestræ maxime versus summam aram majores oblongæ 28. & dimidium, pedem in altitudine, octo vero & dimidium in latitudine numerantes illustre constituunt, ut universus Styriæ Ducatus numeret Ecclesias Voravienſi decora majestata vel paucas vel omnino nullas.

Cæterum hæc Ecclesia Voravienſis jam à prima Castri Vorawe erectione D. Apostolo Thomæ consecrata tanto concursu in Solennitatibus Domini majoribus, glorioſissimæque ejusdem Matris Mariæ ac D. Thomæ Apostoli hujus Patroni, maxima vero die D. Augustino Sacra in hodiernam diem frequentatur, ut concurrentis populi, Peregrinorumque multitudo sæpe duodecim millia excedat. Prælta mœnia *(die Ringsmauren)* robustissimis turribus præmunita, per quæ sub ambulacro ligneo ad Religiosorum spatiosum hortum muris undique cinctum gratioso arborum ordine, umbra, topiarioque opere jucundum accessus patet, cum fossa & profunda & lata adverso muro cincta, Hungariam versus rupi incisa Ecclesiam, Præposituram, Collegiumque circumcirca contra hostiles incursus & insultus defendunt. Præterea Ecclesiam Collegiatam Voravienſem Matrem venerantur Ecclesiæ Parochiales sequentes, eidem à Celsissimis Archi-Episcopis Salisburgenſibus plenario jure incorporatæ. Prima Ecclesia Parochialis Voravienſis in Oppido Vorau sita D. Ægydio dedicata. 2da Parochia ad S. Jacobum Apostolum in Civitate Fridtbergenſi. 3tia Parochia S. Stephani Proto-Martyris in Thekanskirchen. 4ta Ad S. Jacobum in Sylvis. 5ta Ad S. Margaretham Virginem in Parvis cellis. 6ta Parochia S. Laurentij infra Montem Wexel. 7tima Ad S. Georgium in Waldtbach, è quibus ultimæ quatuor olim tantum filiales, ad promovendam tamen Dei gloriam, animarumque salutem accedente etiam majore distantia, viarumque difficultate in Parochias erectæ per Vicarios Canonicos in hanc horam laudabiliter administrantur. Præter Capellas S. Joannis Baptistæ extra muros Voravienſes & Sanctissimam Crucis in Agro, Sanctique Udalrici in Rainberg Parochia etiam ad S. Petrum & Paulum in Minichwaldt Ecclesiam Voravienſem Matrem agnoscit ex Decreto Eberhardi Archi-Præsulis Salisburgenſis, quæ prænominata Parochia ad S. Petrum & Paulum alias Monasterio Ordinis S. Benedicti in Vornbach est incorporata. Hæc de Fundatione & structura Architectonica totius Collegij Voravienſis dicta sufficiant, sequitur jam

Ordo

Reverendissimorum DD. Præsulum Ecclesiæ Voravienſis Diœcesis Secovienſis in Styria.

I. LUITPOLDUS ex Metropolitano Collegio Salisburgenſi ad Sacros Canones Augustinianos id temporis strenue reformato authoritate Metropolitani seu Conradi Archi-Episcopi Salisburgenſis antedicti in primum Ecclesiæ hujus Voravienſis Præpositum 1163. ordinatus & confirmatus, idem quoque à Successore illius seu Adalberto II. fortiter adjutus novi templi fabricam variis cimeliis mirifice condecoravit: Vineam Domini recens plantatam novis reditibus insigniter adauxit, ac universim boni Pastoris titulum digniſſime promeritus optime præfuit, quo usque post annos sui Regiminis viginti duos summa virtutum laude pleniſſime consummatos, juxta quoque post Canonicos suos Claustrales numero duodecim ad omnem Religiosæ pietatis observantiam efformatos & ipse Canonicæ vitæ Canon absolutissimus de concredito sibi grege strenuissime promeritus ad præmia laborum suorum feliciter evolavit S. Praxedis Virginis Festo die 21. Julij anno 1185.

II.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

II. BERNARDUS Sanctis Prædeceſſoris ſui veſtigiis firmiter inſiſtens commiſſam, adnitente potiſſimum Ottocaro juniore ſupradicto adhuc terris ſuperſtite, ſibi Eccleſiam Voravienſem plurimis bonis tam ſpiritualibus, quam temporalibus inſigniter adauxit, quo usque multis laboribus ſucceſſive fractus, & ætate ſenecta feſſus in Domino requievit, ipſis Calendis Februarij anno 1202.

III. LEOTOLDUS poſt modicum interregni ſpatium in Regimine Prælaturæ ſubſtitutus meriſſimus per omnia æmulator, ſed & Eccleſiaſticæ libertatis propugnator acerrimus, poſt quascunque lites & controverſias Sacris Inquilinis Voravienſibus diverſimode ſuſcitatas rite ſopitas ſuadente debili ſenecta faſces ultro dimiſit anno 1217. tandem in propria Eccleſia ſua reconditus anno proxime ſequenti die 23. Januarij.

IV. HEINRICUS eximia congenitæ manſuetudinis laude præclarus potiſſimum templi ſui nobilius exornandi rationem habuit; unde & ſacris Altaribus novis & pretioſa ſupellectile argentea ſatis illud inſtruxit, varias itidem lites in cauſa bonorum temporalium emanatas feliciter extinxit, & demum fatis urgentibus in Domino requievit die 4. Februarij anno 1229.

V. BERNOLDUS ſuſcepti Regiminis triennio nondum finaliter expleto ut propriæ Saluti ſuæ magis conſuleret, jam ſenio gravis ſpontanea reſignatione onus Prælaturæ totum excuſſit ineunte anno 1232. poſt trimeſtre circiter ſpatium ad plures digreſſus, die 16. Aprilis.

VI. CONRADUS biennio Supremæ dictaturæ inter Aſcetas Voravienſes feliciter inchoatæ nedum abſoluto ad immortalitatem translatus die 28. Januarij anno 1234.

VII. MAINGOTTUS etſi plurimis Dynaſtarum male vicinorum injuriis oppido laceſſitus, juxta tamen inſigni prorſus pietate & prudentia moderatus habenas usque ad annum 1241. quo currente, dum caſuale incendium ædes Voravienſes adurit, & ipſe pretioſa quæque in Camera ſua Vulcano ſubtrahere laborioſe ſatagit propriam vitam perdidit, utpote flammis terribiliter obſtantibus effugere prohibitus, ſed fumo ſuffocatus in refrigerium emigravit corpore illius flexis genibus & extenſis in cœlum manibus inibi reperto.

VIII. GEBBINUS poſt integrum fere unius anni interregnum anno 1242. ad Voravienſem Eccleſiam è buſto ſuo reſuſcitandam vocatus optimi Patrisfamilias partes ſagaciter implevit, dum nempe ad ſarta tecta illius velociter reſtauranda, ipſos etiam (quos prius hoſtes & Adverſarios vel invitus pertulit) toparchas vicinos rara animi ſui manſuetudine, & grata oris facundia in partem ſuſceptæ reſtaurationis Coadjutores habere meruit, & dum poſt annos 25. omnis conſummationis finem vidit, collacrymantibus aliis ipſe ſolus gaudens oneri ceſſit ſimul & prælationis honori anno (quo eodem nondum elapſo) terris defecit 1267.

IX. BERNARDUS hujus nominis II. de gremio Metropolitani Capituli Salisburgenſis univoce poſtulatus per omnia ſolers admodum præfuit usque ad annum, quem vitæ habuit ultimum 1282. die 20. Novembris.

X. CONRADUS II. in faſtigio Prælaturæ pientiſſime traductis octodecim annis poſt reſignationem ſuam ob fractas corporis vires ultronee factam tandem iter æternitatis ingreſſus eſt anno Sæculari 1300.

XI. DIETRICUS gravi licet jam ſenio feſſus pro ſua qua præſtitit induſtria reditus temporales notabiliter augmentaſſe perhibetur, usque dum ſub initium anni ſupremæ dictaturæ quarti, Gratiæ vero Milleſimi trecenteſimi quarti mortalitatem exuit die 18. Januarij.

XII. HERTINDUS de Nopin, jam tertius de Choro Salisburgenſi poſtulatus admodum laudatur pro ſtabilienda Oeconomiæ melioratione plures acquiſiviſſe fundos emptitie comparatos, Necrologio Domeſtico inſcriptus die obitus ſui 26. Maij anno 1318.

XIII. OTTAHERUS modico unius ſolum anni Dominio clarus devixiſſe perhibetur die 30. Maij anno 1319.

XIV. ORTOLFUS de Paumburg felix Oeconomus multis bonis allodialibus diverſimode cöemptis albo induſtriæ calculo notatus emigravit die 28. Maij anno 1324.

XV. MARQUARDUS loci Decanus concordibus Capitularium Suffragiis Supremo Regimini Voravienſi præfectus poſt annos 19. relicta poſt ſe magni nominis Gloria in Pervigilio S. Thomæ (cui ut Voravienſium Patrono Tutelari ſpecialiter de-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

votus ſemper apparuit) ſpiritum vitæ mortalis poſuit anno 1343. quo eodem die mundum hunc terreſtrem olim intravit, exinde Beatæ immortalitati victurus in ſæcula.

XVI. LAURENTIUS de Hoffkürchen ſui Regiminis anno ſexto Gratiæ vero Humanatæ 1349. die 9. Julij vinculis carnis enodatus amplius præeſſe ſimul ac vivere deſiit.

XVII. UDALRICUS de Scheichenſtein ad triginta ſolum hebdomadas dictaturam geſſit, usque dum Lethalis Epidimiæ morbus ei compedes injecit, quibus præpeditus ipſe una cum pluribus Eccleſiæ ſuæ Canonicis hinc inde fovendæ Subditorum ac Parochianorum ſaluti deputatis in foveam mortis incidit die 4. Junij anno 1350.

XVIII. HENRICUS de Wildungsmaur unus præ omnibus longiori 32. annorum regimine clarus, ſed & magno ſatis laudis præconio in tabulis annotatus itidem peſte conſumptus obiit die 9. Decembris anno 1382.

XIX. CONRADUS III. Patria Neukirchenſis poſt longiorem octo menſium vacantiam plenum Eccleſiæ Voravienſis gubernium de poſthac gerere conſtitutus inter plurima, quæ conſtanti ſemper animo pertulit, adverſa nunquam non obſervantiæ Regulari addictiſſimus, ſereniore tandem tranquillitatis Phœbo clarius arridente, non animo ſed ſenecta fractus contradicentibus licet aliis pedum Paſtorale poſuit, brevique poſt vitam corruptibilem exuit anno 1397. dum ſuperioribus annis multas admodum & graves Principi Terræ ſeu Leopoldo tertio Auſtriaco cum Venetis & Rebellibus Helvetiis toto fere ſexennio arma conſerenti ſolvit exactiones ærario Voravienſi inde notabiliter exhauſto.

XX. JOANNES de Suevia communiter appellatus ex Cathedrali Collegio Seccovienſi deſumptus & Authoritate Apoſtolica Bonifacii Papæ noni per Gregorium Archi-Epiſcopum Salisburgenſem Sedem vacantem apud Voravienſes occupare conſtitutus rebus permultis diutino 23. annorum ſpatio præclare geſtis Luce Evangeliſtæ S. Lucæ ſacra lucem ultimam occiduam aſpexit anno 1420.

XXI. ERASMUS prius loci Decanus magna ſemper prudentia præditus citius præter ſpem accelerato fato ſublatus ante confirmationem ſuam extinctus prætacto anno 1420.

XXII. JOANNES Strausberger poteſtatem ſuam Authoritate Ordinaria de more confirmatam ultro reſignans, paulo poſt autem pœnitentia ductus pro ea utcunque recuperanda Romam appellans, dum novam in id commiſſionem impetrat, Paralyticus effectus Succeſſori vel invitus locum dat, tandem tumulo illatus menſe Jan. anno 1433.

XXIII. NICOLAUS Zinck poſt Reſignationem à Joanne Prædeceſſore anno 1430. factam Regimini Præfectus, Oeconomus illaudatus, ut ſibi melius conſuleret. Hortatu Conradi Epiſcopi Seccovienſis ultro ſe abdicat privata vita dehinc clarior emigrans tandem anno 1448.

XXIV. ANDREAS Pronbeck è Ducali Collegio Berchtoldsgadenſi ſupra recenſito Voravium evocatus, æs alienum ſubſidio Paternæ hæreditatis omnino diluit, oppignorata bona juſto pretio redemit, ædificiis vetuſtate ſua ruinoſis nova ſubſtituit, Diſciplinam Regularem utcunque temporum injuria labefactatam in integrum reſtituit, Parochias novas duas, unam ad S. Jacobum in Civitate Fridberg, & ad S. Laurentium alteram obtinuit, aliaque Religioſo Præſule digniſſima plurima glorioſe præſtitit, proin uti cunctis Prædeceſſoribus ſuis diverſitate ac pluralitate meritorum ſublimior, ita & honoribus amplioribus dignior à Nicolao V. uſu ac Privilegio mitræ Præſularis juſtiſſime decoratus, viceſimo tandem anno Regiminis inter uberrimas complorantium Religioſorum Confratrum & Filiorum lachrymas extinctus, vitæque meliori redditus Idibus Martij anno 1453.

XXV. LEONARDUS Sanctis laudatiſſimi Prædeceſſoris ſui veſtigiis firmiter inſiſtens annis quam cuncti reliqui Præpoſiti Voravienſes Ordine & ætate priores ſcilicet quadraginta variis titulis ſumme promeritus Clauſtralem manſionem ſuam contra frequentes vicinorum Hungarorum incurſus hoſtiles muris validiſſimis profundaque foſſa muniri fecit: Quibus aliisque laboribus feliciſſime conſummatis jubilæa quoque Feſtivitate mox recenſenda devotiſſime peracta vitam finiit temporalem, Jubilæum Eccleſiæ triumphantis de poſthac (uti pie ſperare juvat) feliciter exorſus in cœlis die 18. Martij anno 1493.

Porro ejusdem Leonardi noſtri temporibus Mathias Epiſcopus Seccovienſis ad Bullam Cruciatæ paſſim notam ab Innocentio Papa octavo anno 1489. (ob plurima mala

mala orbi Christiano quasi ex omni parte terribiliter jamjam imminentia, eaque publicis precibus irato Numini humillime fundendis procul avertenda) per universam Styriam rite promulgandam Commissarius authoritate Raymundi Geyrandi S. R. E. Tit. S. Mariæ novæ Card. & Episcopi Gurcensis Nuntii Apostolici, & in Germaniam, Daciam, & Sueciam Legati à Latere in Annalibus Ecclesiasticis Oderici Reynaldi tom. 19. anno 1495. anno 1500. & anno 1501. potissimum nominati specialiter constitutus glorioſa fama Collegii Voravienſis id temporis Religioſa pietate & doctrina celeberrimi persuasus in toto Ducatu Styriæ solam (præter Primariam Græcienſem) delegit Ecclesiam Voravienſem; in qua à Festo Epiphaniæ Domini (quo die anno 1490. Jubilæum hoc universale in secundis Vesperis initium sumpsit) usque ad Calendas Augusti ejusdem anni singulis fere diebus duæ habebantur conciones, una mane ante Missam solemnem ex more decantari solitam, post Vesperas altera, quam sequebatur solemnis Processio publice pœnitentium ad septem præfixas (ut in Alma Urbe) Stationes ea devotione ac fervore (semper etiam præsente Sub-Delegato Episcopali Commissario) ab innumerabili populi multitudine habita: Quorum Confessionibus auscultandis ægre suffecit totum licet Venerabile Collegium Voravienſe pro tunc viginti Religioſis Canonicis instructum, multis insuper aliis Sacerdotibus in partem pijssimi laboris & operis aliunde convocatis ob copioſam adeo Convenarum pœnitentium multitudinem aliquando ad ducenta millia & amplius extensam.

XXVI. MICHAEL Disciplinæ Canonicæ Singularis ubique Promotor, & Custos, Oeconomus item admodum celebris dum corpore infirmus fovendæ sanitati suæ remedia quærit, non nisi mortem invenit die 21. Novembris anno 1496. ob præclarissimum triennale solum licet Regimen vita longiori dignissimus.

XXVII. AMBROSIUS gente Austriacus die 1. Decembris prætacto anno 1496. jam gravi senio fessus ad Regimen tractus, & in legitimum Ecclesiæ Voravienſis Præpositum Canonice promotus, inde tamen post triduum omnimoda (ob vires corporis adeo imbecilles) inhabilitate ponderosis rationibus ubertim demonstrata, & sua à susceptο onere dimmissione per multas preces enixe postulata exauditus est pro sua reverentia.

XXVIII. UDALRICUS de Weiz electus die 1. Decembris anno 1496. post Prælaturæ triennium (quo currente communi bono in spiritualibus æque ac temporalibus magis & magis adaugendo pro viribus potenter allaboravit) feliciter absolutum de prævio consensu Metropolitani ultro cedit, tum anno proxime sequenti 1501. ad Jubilæum Universale digressus, indeque multis Gratiis & Privilegiis Apostolicis in singularem Ecclesiæ Voravienſis utilitatem & decorem multifariam impetratis & acceptis sospes & incolumis reversus ad propria tandem dormivit cum Patribus suis anno & die non notato.

XXIX. VIRGILIUS cognomine Gämbs electus die 22. Junij anno 1499. & Authoritate Metropolitani rite confirmatus sat bene per omnia promeritus rebus præfuit usque ad annum 1508. quo currente Successori sponte locum dans onus excussit, ac demum cum Patribus suis requievit, tempore vel anno nobis nondum revelato.

XXX. COLOMANNUS expleto Prælaturæ decennio in bona senectute plenus meritis tumulo illatus circa finem Martij anno 1518.

XXXI. JOANNES electus die 7. Aprilis anno 1518. vix delibatis honorum fastigiis tota dignitate sua rursum immaturo fato dejectus mense Junio ejusdem anni.

XXXII. STEPHANUS Feldner post electionem suam anno 1518. à Leonardo Archi-Episcopo Salisburgensi de more confirmatus inter gravissimas licet calumnitates publicas unico Voravienſis Ecclesiæ suæ commodo & tranquillitati pro viribus intentus juxta tamen malis undique passim accrescentibus indolens Pater & Pastor Optimus mœrore consumitur annos æternos auspicatus meliores, deserens temporalem principiantem 1534.

XXXIII. AUGUSTINUS Geyer SS. Theologiæ Doctor sub initium anni 1534. electus, & à Metropolitano Mathæo Langio S. R. E. Cardinali & Archi-Episcopo Salisburgensi die 28. Februarij de more confirmatus Scientia, quam Oeconomia clarior unice studuit Fidei Orthodoxæ contra novam Hæresin Lutheranam tum temporis in partes Styriæ sensim irrepentem, saltem inter Parochianos & Subditos suos Voravienſes illibate servandæ deditissimus quousque vita simul & Prælatura defecit circa finem anni 1543.

XXXIV. WOLFGANGUS Praittenhofer, Patria Pollavienſis electus die 24. Aprilis anno 1544. dum in aditu Regiminis Collegium suum enormiter ubique læsum de-

deprehendit, ut puta bonis pluribus exutum, atque ære alieno ſummopere gravatum, dignitatem & titulum Præpoſiti omnino renuit ac Superioris ſolum nomine ad annum usque 1551. rebus præfuit, cui tamen vel invito ob præclara merita Metropolitanus ſeu Archi-Præſul Salisburgenſis Erneſtus uſum mitræ & Pedi Præſularis gratioſe contulit præfato anno 1551. ex quo tempore faſces quinquennio adhuc tenuit, tum oneri ſimul & honori ceſſit, tandem ad plures emigrans die & anno nondum per nos inquiſito.

XXXV. OSWALDUS à Raibenſtein anno 1556. Idibus Novembris Inſigniis Pontificalibus inauguratus 29. annis præſtitit, quo toto tempore miro Religionis Zelo jugiter Hæreticos fuit inſectatus, quo usque vita terreſtri defecit anno 1585. die 9. Junij.

XXXVI. ZACHARIAS Haiden eodem anno 1585. vi votorum Capitularium Canonice promotus, & authoritate Metropolitani legitime confirmatus magna cum pietate ſimul & utilitate Collegium ſuum Voravienſe rexit usque ad finem anni 1593. quo deſinente vitam finiit temporalem, auſpicatus æternam.

XXXVII. BENEDICTUS à Perfall è Ducali Collegio Berchtoldsgadenſi poſtulatus & in Præpoſitum Voravienſem authentice confirmatus Eccleſiæ ſuæ (poſt Hæreticos auxilio Brachij Sæcularis fortiſſime debellatos) pro viribus exornandæ, ac bonis illius injuria temporum diſtractis utcunque reparandis ſolerter intentus Paſtor Optimus gregi ſuo maximopere dolenti ſubtractus animam egit anno 1615. die 28. Aprilis.

XXXVIII. DANIEL Gundau è Marchia Brandenburgenſi natus, loci Decanus à Marco Sittico Archi-Antiſtite Salisburgenſi poſt electionem Canonice factam confirmatus & in propria Eccleſia ſua Voravienſi initiatore Jacobo Epiſcopo Seccovienſi mitra Præſulari decoratus toto Regiminis ſui tempore Diſciplinam Canonicam Sacroſanctam integerrime ſervavit, Collegium ſuum durante Bello Turcico graviſſimis licet hoſtilis invaſionis periculis expoſitum ſola prudentia, & eximia rerum gerendarum peritia fortiſſime defendit, quævis ædificia materialia ſplendidiſſime reſtituit nomen ac titulum Confundatoris ex omnium ſententia juſtiſſime promeritus, cujus tandem imenſis quaſi laboribus pallida mors metam poſuit die 26. Junij anno Regiminis 34. ætatis 65. Gratiæ vero humanatæ 1649.

XXXIX. MATHIAS Singer natus Voravienſis authoritate Metropolitani legitime confirmatus & à Marco Epiſcopo Seccovienſi ornamentis Pontificalibus de more ſolenniter inveſtitus nunquam non immenſo quaſi flagravit animarum Zelo apud Parochianos, & Subditos uberrime demonſtrato. Perſtat hodiedum Eccleſia Voravienſis rara ſane & magnifica magnis ſumptibus per ipſum excitata & à fundamentis erecta, magnis quoque ac multis Sacris Indulgentiis ab Alexandro Papa VII. (ſatagente Præſule illius Mathia) clementiſſime privilegiata. Deceſſit die 2. Julij Deiparæ Virgini Eliſabeth viſitanti ſacra anno 1662.

XL. MICHAEL Toll ex Alſatia natus, poſt electionem & acceptam confirmationem ſuam anno 1662. de ſpeciali conſenſu & authoritate Metropolitani per Marcum Epiſcopum Seccovienſem antedictum ſub finem Octobris Inſigniis Pontificalibus inauguratus continuo novam Eccleſiam ſuam per Ordinarium antedictum die 29. Octobris, quæ fuit Dominica 23. poſt Pentecoſten una cum quinque Altaribus ritu ſolemni conſecrari fecit, ac ſacris Cimeliis multis & pretioſis plurimum exornavit. Et quod res eſt virtus & Religio Reverendiſſimi Præſulis iſtius Michaëlis tanta ſemper fuit, ut his ſatius exprimendis calamus deficiat, ſiquidem preces ſuas & orationes alias ſolitas ad aliquot horas protraxit, jejunia ſine omni cibo & potu ad triduum usque continuavit, vigilias itidem obſervavit longiſſimas, quibus aliisque Religioſiſſimæ pietatis operibus ac laboribus exhauſtus, ſed & acutiſſimis Podagræ moleſtiis in annum usque decimum tertium irremiſibiliter vexatus & moleſtatus, dum reſolutionem ſui corporis propius imminere deprehenderet, ſpectabili ac Veneranda Religioſorum Confratrum ac Filiorum (quos omnes ad virtutem tanquam certum Patrimonium fuit cohortatus) corona coram adſtante inter dulciſſimos Crucifixi affatus ſimul & amplexus infectas humanæ carnis exuvias deſerens lætus abiit die 20. Martij anno 1681.

XLI. GEORGIUS Chriſtophorus Pratſch Carantanus jam in priore Reverendiſſimi Prædeceſſoris ſui electione a magna ſuffragantium parte deſideratus, modo poſt ejusdem obitum unanimi Capitularium calculo Sedi vacanti pro meritis impoſitus, ac brevi poſt die 6. Julii anno 1681. Græcii in Templo Aulico a Celſiſſimo S. R. I. Principe ac Domino D. Joanne Erneſto ex S. R. I. Comitibus de Thun Epiſcopo Secovienſi inter feſtiviſſimos applauſus ſolemniter inauguratus, præfuit tam virtutum laude,

de, ut non tantum a plebe, verum & a Nobilitate Styriaca vix non pro Sancto fuerit proclamatus, quam sanctitatis opinionem conciliavere, præter virtutes cæteras, profundissima humilitas, cum infirmos subditos, etiam extreme medicos neutiquam dedignabatur visitare, ac cum propriam mensam convivas admittere; maxima insuper erga calumnitates munificentia, quorum calumnias beneficiis recompensare solebat, sæpius illud repetens Matth. 5. *si enim diligitis, qui vos diligunt, quam mercedem habebitur? nonne & publicani hoc faciunt.* Denique mansueta erga omnes affabilitas, a cujus alloquio nullus unquam tristis recessit. Uno verbo, verbo & exemplo optimi Abbatis & Patris adimplevit munus, in hoc tamen infelix, quod infelicissimis temporibus inter ingentia Ecclesiæ Voravienſis infortunia præfuerit, ob quæ debita contrahere fuit coactus. Tandem pro Canonia optime meritus, & postquam suis annos 10. menses 3. dies 23. præfuit, etiam desiit 11. Sept. anno 1691.

XLII. JOANNES Philippus, Patria Græcensis, cujus insignia in celeberrimum alias hoc Voravienſe Collegium prolixum a nobis, nisi præfixæ libri hujus angustiæ retraherent, sibi deposcerent elogium. Tam sublimen quippe scientiæ tum Scholasticæ tum Asceticæ gradum attigit, ut utriusque passim oraculum audierit, unde & plerosque suorum voluit esse supremis Theologiæ gradibus insignes, selectissimisque, quæ pro Regularis Observantiæ incremento noviter induxerat, statutis ad omnem Asceseos ammussim voluit esse excultos. Præjactis tam solidis fundamentis, mirum est, quam admiranda succesſerint rei tam sacræ quam domesticæ incrementa. Præsule hoc satagente Collegiata Ecclesia tantum accepit ædificii splendorem, quem tota hodie miratur Styria, inductis præterea binis Deiparæ Virginis Dolorosæ & Rosarianæ Sodalitiis: in omnes quoque incorporatas Parochiales Ecclesias munifica tanti Præsulis pietas se extendit. Ædificia Collegii partim innovavit, partim e fundamentis erexit, augmentato insuper Canonicorum numero, quibus ampliſſimam præter alia SS. Codicum suppellectilem suppeditavit. Is denique fuit, cujus insigni prudentiæ, Urbi & Orbi notæ, Augustissimus Imperator Josephus I. & Celsissimus Princeps & Archi-Episcopus Salisburgensis Franciscus Antonius plenariam Rottomannensis Canoniæ, nescio quo casu fatali sibimet soli tunc minime sufficientis administrationem, etiam hactenus ab ejus Illustrissimo Successore laudabilissime continuatam committendam censuerunt. Tandem vitam ad bimestre ultra 55. annos inter quotidiana Regularis observantiæ specimina protractam, apoplexia tactus pie condidit anno 1717. die 17. Martii, cui eo adhuc anno die 5. Julii suffectus est

XLIII. Reverendissimus & Illustrissimus D. Dominus FRANCISCUS SEBASTIANUS ex Comitibus de Weberſperg, quem boni Superi in seros annos hospitem servent & incolumem.

URATISLAVIENSE,

Vulgo Breslavienſe, in Ducatu Silesiæ, ter inclytum hodie Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis Collegium, in suburbio Civitatis Uratislaviæ, & in Insula, quam passim in arena indigitant, situatum. Primum fundatorem agnoscit Illustrissimum D. Petrum Wlast de Dacia, Silesiæ Comitem de Skrzgn, qui suæ, suorumque, Uxoris, Mariæ Ducissæ, & Sventoslai, ac Beatricis liberorum saluti consulturus, Monasterium in honorem B. V. fundare decrevit, variis hinc inde bonis, ac prædiis in executionem intentæ fundationis legitima donatione destinatis, qualia erant Castrum, seu Castellum in monte Sileni, seu silentii, olim Zobotta, nunc Zobbtenberg nuncupatum, Vratislavia quinque circiter milliaribus distans, & tota Insula Arena de ponte ad pontem in suburbio Uratislavienſi, eosque cum omnibus juribus, attinentiis, & fructibus. Piissimæ hujus intentionis, jam ab anno 1108. Dei nutu conceptæ executio ad annum usque 1410. dilecta fuit, quo tempore prima Monasterii fundamenta fuere posita in prædicto monte Sileni; ubi Canonici noviter inducti, sub successaneo trium Abbatum regimine triginta, & octo annis perdurarunt, diutiusque perdurassent, nisi maligna aëris intemperie sublimitatem illius montis hodiedum infestante, finem suæ habitationis, sedem ad pedem montis, in locum, qui Goreka communiter nominatur, transferre fuissent coacti. Translationis hujus author fuisse reperitur Arnolphus Quartus a prima Fundatione Abbas, anno circiter 1148. electus, qui tamen novum hoc suum Gorkense Domicilium cum suis non diu incoluit, sed, ed relicto, in ipsam civitatem Uratislavienſem, in locum ad S. Adalbertum nuncupatum secessit, ibique anno 1180. 23. Maji vitam finiit, succedente sibi Alardo, quinto Canonicorum Abbate, quique, nescio, qua ratione, Domicilium S. Adalberti RR. PP. Prædicatoribus S. Dominici cedens, finem, quem hodiedum obtinent, sibi suisque sedem

elegit in ſuburbio Uratislavienſi, in Inſula Arena, a piiſſimo fundatore, ut ſupra meminimus, Canonicorum ſuſtentationi primitus attributa. Hæc de prima Collegii hujus fundatione, variaque Illius translatione, quantum ex Actis, inde communicatis colligere licuit. Verum & de prima Canonicorum Colonia anno 1110. ibi inducta, pauca quædam meminiſſe conſultum judico.

Viguit olim, & etiamnum, favente Deo, viget in Belgio Aroaſienſis Canonicorum Regularium S. Auguſt. Congregatio, quam tres viri, apprime Religioſi, Heldemarus, & Conon (poſtea Epiſcopus Prænestinus, & S. R. E. Cardinalis, Legatus magnam undique famam collegit) Presbyteri, ac Rogenus laicus inſtituere circa annum 1090. in loco, Aroaſia dicto, unde ac nomen accepit; ſita eſt autem Aroaſia in Diœceſi Athebatenſi, altero lapide a Bapalma, Arteſiæ oppido, & gallice Arovage, vel Arovaiſe appellatur: ſed ſævientibus inter Belgas, & Francos bellis ſæpius everſo Monaſterio multum e priſtino ſplendore deſcivit. Commendatur hæc Aroaſienſium Congregatio a noſtro Jacobo de Vitriaco, vetuſto, & gravi ſcriptore, in Hiſtoria Occidentali cap. 23. & a Roberto de Monte, continuatore Sigeberti, ad annum 1114. Ea porro de Aroaſienſium virtute late vulgata erat fama, etiam ante horum ſcriptorum ætatem, ut S. Laurentius, Dublini Archi-Epiſcopus (quem idcirco inter Sanctos ſuos Officio Eccleſiaſtico venerantur Canonici Regulares) Eccleſiæ ſuæ ſæcularibus Canonicis id Inſtitutum perſuaſerit, ipſeque, qua licuit, ſuſceperit, ut in ejus vita refert author anonymus. Ex hoc itaque Aroaſienſi Cœnobio Duciſſa Franciæ ſupradicta cuidam Sileſiæ Duci nupta, Canonicum quemdam Regularem in Capellanum ſibi aſſumpſit, eumque ſecum in Sileſiam traduxit, qui laudabili ſua, & ad omnem obſervantiæ Religioſæ amuſſim exacta vivendi ratione omnium aſpectantium ſibi conciliavit ſtuporem, & affectum; quos inter erat ſupra laudatus Cœnobii hujus Uratislavienſis Fundator, D. Petrus Wlaſt, fama hujus viri, usque adeo Religioſi mire delectatus, ut hujusmodi Inſtituti Regularibus Canonicis fundationem, a ſe hactenus Religioſis quibusvis indeterminate deſtinatam, in ſpecie voluerit eſſe attributam; quas & opera prælaudati Canonici, Duciſſæ Capellani ab Abbate Aroaſianſi haud difficulter obtinuit, eosque in condito a ſe Cœnobio in monte Sileni dicto conſueta ſolemnitate locavit. In quibusdam autem Chronicis Poloniæ, & Sileſiæ legitur, ipſum Petrum Wlaſt, Sileſiæ Comitem, D. Mariam de Regno Galliæ cujusdam Ducis filiam, in uxorem ſibi duxiſſe, ſicque per Canonicum, quem Duciſſa de Monaſterio Aroaſienſi aſſumpſerat, modo dicto Ordinem Canonicorum Regularium Congregationis Aroaſienſis in partibus Sileſiæ propagaſſe; cui quidem traditioni conſonat ſcriptura, lapidi cuidam in Eccleſia Uratislavienſi ſupra oſtium, quo ex Eccleſia tranſitur ad Chorum, etiamnum ſuperſtite ſic inſculpta:

Has Matri Veniæ tibi do Maria Mariæ,
Has offert ædes Sventoslaus, mea proles.

Verum, quidquid demum ſit de diverſis iſtis relationibus, certum tamen manet, inclytum hoc Collegium Religioſiſſimæ Aroaſienſium Congregationi jam antiquitus fuiſſe incorporatum; cum ſignate ponatur in Catalogo Monaſteriorum Aroaſienſium, in Actis SS. Joannis Bollandi ad diem 13. Januarii, in vita B. Heldemari noſtri legendo; ubi inter 28. Monaſteria 16. ponitur *de Uratislavia in Polonia.*

Sunt & aliæ Eccleſiæ Canoniæ huic pleno Jure incorporatæ; ut Eccleſia S. Annæ in Arena, Præpoſitura S. Michaëlis 14. milliaribus hinc diſtans, Præpoſitura S. Spiritus (de qua plura infra in Catalogo Abbatum) in urbe Uratislavienſi, & Præpoſitura S. Georgii Ælsnæ, tribus hinc milliaribus; quorum locorum primi duo ſub Jurisdictione D. Abbatis in Arena actu perſeverant; cæteros duos hæretici tempore Lutheri vi raptos adhuc occupant.

Catalogus
DD. Prælatorum Areno-Vratislavienſium.

I. OGGERUS, de cujus Actis nil extat, niſi, quod decem annis in monte Sileni vixerit, & pie in Domino obierit anno 1120. 4. Sept.

II. RUDOLPHUS, electus anno 1120. mortuus anno 1130. 19. Decembris, ſepultus in monte Sileni.

III. RUMPERTUS, electus anno 1130. mortuus anno 1148. 22. Febr. ſepultus in monte Sileni.

IV. ARNOLPHUS, ſub quo Canonici Regulares propter multa incommoda de monte deſcendentes aliquo tempore vixerunt in Præpoſitura Gorcenſi; poſtea dictus Wlaſt, Comes Sileſiæ fundationem tranſtulit ad Inſulam Arenæ Breslenſem, & ædificavit Eccleſiam parvam (quæ nunc pro Sacriſtia habetur, cujus dies Dedicationis Dominica in Albis celebratur) & Monaſterium in honorem B. V. dotatum cum tota Inſula de parte ad partes, ante, & circa dictum Monaſterium, cum macello, taberna &c. Confirmavit Urbanus III. & Eugenius IV. PP. Mortuus eſt Arnolphus anno 1190. 23. Maij.

V. ALARDUS, electus anno 1193. ſub quo pulſis Benedictinis, Præmonſtratenſes in ſuburbio Vratislaviæ, nunc Elbing dicto, ubi Templum S. Michaëlis, Monaſterium S. Vincentij obtinuere; mortuus eſt Alardus anno 1201. 5. Jan.

VI. WITOSLAUS, electus anno 1204. ſub quo anno 1209. Henricus primus, dictus Barbatus, Dux Sileſiæ, cum uxore, S. Hedwige, & Filio, Henrico ſecundo, nomine perpetui Teſtamenti contulit Canoniæ decem marcas argenti in moneta Vratislaviæ, & Jus Patronatus in Goglau. Confirmavit Innocentius IV. P. M. Anno 1214. donavit Canoniæ Præpoſituram, & Hoſpitale S. Spiritus in nova urbe Vratislaviæ, & ipſe in ſtructura utraque lapidem fundamenti poſuit, & Filius dictus aliis bonis dotavit. Anno 1222. idem Abbas reſignavit Epiſcopo Laurentio Eccleſiam S. Adalberti in hac urbe, cum villa Oltachiana, exceptis Decimis, quas hæc Eccleſia habuit antiquitus, & libera ſepultura; in recompenſam dedit Epiſcopus decem marcas argenti in dicta moneta, & octo modios Epiſcopalis annonæ frumenti in Olava, ut & PP. Prædicatores, Poſſeſſores hujus Eccleſiæ annuum cenſum Canoniæ huic pendere debent: Quæ omnia clare patent ex Privilegiis, deſuper datis anno 1227. dictus Epiſcopus & Jurisdictionem contulit, & incorporavit Eccleſiam Canoniæ Segonenſi. Tandem, cum annis 26. optime præfuit, mortuus eſt hic Præſul 1230. 1. Febr.

VII. ULRICUS electus anno 1231. pie obiit 1240. 1. Martij.

VIII. VINCENTIUS de Pogrell, ex Præpoſito Cammencenſi, quod Monaſterium huc pertinuit, Abbas electus eſt Arena-Breslenſis. Sub hoc Abbate anno ſalutis 1243. Idus Menſis Octobris S. Hedwigis Patrona Sileſiæ defuncta eſt, & anno 1240. Præſul hic reſignavit Epiſcopo nominato Cammencenſi, in quod dein Inſtitutum Ciſtercienſe fuit introductum. Pro recompenſa dedit Epiſcopus decem marcas, & Decimas in Peterwitz prope Franckſtein. Mortuus eſt denique Vincentius anno 1249. 5. Aprilis.

IX. STEPHANUS, electus anno 1250. eodem anno confirmatus ab Innocentio IV. P. M. ſub hoc translata etiam eſt S. Hedwigis anno 1268. Eodem anno emit bonum Buchvitz ab Henrico, & Ladislao Principibus; qui eodem anno donarunt Canoniæ bonum Crantz cum Sylva. Mortuus eſt anno 1276. 6. Maij.

X. PETRUS I. electus anno 1277. pie in Domino obiit 1280. 1. Junij.

XI. GOTTSCHALCUS electus 1280. judicaliter egit contra ſpolium, ab Henrico IV. factum. Hoc Abbate Epiſcopus Thomas II. tranſtulit Feſtum Dedicationis Eccleſiæ Breslenſis B. V. à Dominica poſt Nativitatem S. Joannis Baptiſtæ in Dominicam proximam poſt Feſtum S. Michaëlis. Obiit 1282. 1. Julij.

XII. NICOLAUS I. cognomine Quos, Sileſius Vratislavienſis, electus 1283. ſub quo D. Confratres Saganenſes occeperunt ſe ſubtrahere ab obedientia hujus Canoniæ. Anno 1286. fundata eſt Eccleſia S. Crucis in Canonicatu Vratislaviæ ab Henrico IV. Principe Sileſiæ. Obiit Nicolaus 1299. 1. Auguſti.

XIII. SWENTOSLAUS, ſub quo providus vir, Ulricus civis Vratislaviæ anno 1300. Allodium Schirtzig in Teſtamento legavit Canoniæ; hic autem Præſul humilis Dignitatem hanc reſignavit.

XIV. JOANNES I. cujus Electionis, & dies obitus non conſtant.

XV. PHILIPPUS I. electus anno 1309. digniſſimus; teſtibus Ejus geſtis; bona Canoniæ oppignorata, & alieno ære gravata plene liberavit, mortuus 1316. 1. Julij.

XVI. HENRICUS I. calvus, electus anno 1319.

XVII. MICHAEL I. electus 1324. confirmatus a Joanne XXII. P. M. anno 1325. comparavit *die Puſchmühl in Kreidel.*

XVIII. CONRADUS de Leslavia, electus anno 1329. rexit 36. annis, ex Eccleſia S. Spiritus in nova Urbe Vratislaviæ ductus proceſſionaliter cum pulſu campanarum in Abbatiam, & ſtatim e primo ſui Regiminis anno incepit extruere magnam

Eccleſiam, emit pagum Cheraslovitz. Sub hoc & Abbate incorporatum eſt Hoſpitale in Oëlsna; comparavit & pagum Siswinckel, emit telonium in Zobten, & Supremum Dominium, & Jurisdictionem Ducalem in multis bonis; ut legis in Privilegio Ducis Bulconis anno 1351. Sibi, & Succeſſoribus impetravit Inſulam perpetuam a Clemente VI. P. M. Eodem anno emit molendinum in Arena; & tandem plenus dierum pie in Domino obiit anno 1363. ſexto Idus Novembris.

XIX. JOANNES II. electus anno 1364. extruxit Chorum, decoravit Eccleſiam ex ſubſidiis permultis pro ſtructura Eccleſiæ illi oblatis, mortuus anno 1372. 25. Junij.

XX. PETRUS II. electus anno 1372. impetravit a Carolo Imperatore confirmationem, ut notabile ſuper hoc extat Privilegium, datum anno 1374. Eodem anno Ladislaus, Princeps Oppolij contulit Canoniæ Jus Patronatus, & Eccleſiam in oppido Roſenberg cum omnibus Juribus, Proventibus, & Pertinentiis ſuis, pro Præpoſito, & quatuor Fratribus, ibi conſtituendis. Confirmavit Epiſcopus Preceslaus anno 1375. quo & vivere deſiit hic Petrus 1. Decembris.

XXI. JOANNES III. Pragenſis, electus 1375. anno 1380. conſtruxit balneum, & domos in Arena, & Eccleſiam S. Annæ. Anno 1386. emit ſupremum Dominium in Bülau. Sub hoc Præſule Epiſcopus Wenceslaus incorporavit Eccleſiam in Conradivilla, confirmante Bonifacio VIII. P. M. Obiit anno 1386. 20. Aprilis, ſepultus in Eccleſia S. Annæ ante ſummam Aram.

XXII. HENRICUS II. electus anno 1386. 23. Aprilis, mortuus 1395.

XXIII. NICOLAUS II. electus anno 1395. extruxit Conventum, & Domum Abbatis, emit agrum Marxdorff, & Gulam anno 1396. obtinuit & Confirmationem a Rege Wenceslao anno 1399. & Jus Civitatis in Zobten; emit ſupremum Dominium in Strelitz anno 1405. mortuus in Præpoſitura Gorcenſi anno 1412. 1. Maij, ſepultus in Choro Vratislaviæ in Arena.

XXIV. JACOBUS Wiau vixit tantum quinque anni quartalia, ſub quo 1413. magna fuit peſtis in Sileſia, & vicinis Regionibus, qua triginta millia hominum, & ultra mortui ſunt, & ipſe Jacobus cum 19. Confratribus circa Feſtum S. Jacobi Apoſtoli.

XXV. PETRUS III. cognomine Zarchevitz, vixit biennio, & obiit anno 1415. Sub quo Henricus Dux Olavienſis ſpoliavit Zobten, & adjacentes pagos, & Tintz, & Prackau.

XXVI. JACOBUS II. cognomine Steiner, electus anno 1416. circa initium Januarij, mortuus necdum confirmatus 6. Martij 1416.

XXVII. MATHIAS Hering, electus anno 1416. Sub hoc, & Succeſſore anno 1428. usque ad annum 1435. deſtructa, depopulata, devaſtata, & incinerata eſt fere tota Sileſia, quod infortunium & Monaſteria involvit a nefandis Hæreticis, & Schismaticis, Wiclefitis, & Huſitis, e Regno Bohemiæ huc commeantibus, adeo, ut hujus deſolationis ſigna in multis adhuc locis appareant; tunc & bona hujus Canoniæ vix non omnia fuere incinerata, in quibuscunque hinc inde Ducatibus ſita. Anno ſcilicet 1428. tempore vernalis Jejunij poſt grandem illam ſtragem fidelium in ſuburbio Niſſenſis urbis factam, Præpoſitura Gorcenſis, oppidum Zobten, & cætera bona Canoniæ, circa montem ſita, & eodem anno poſt Paſcha, circa Feſtum SS. Philippi, & Jacobi Alodium Prokau, & reliqua in Diſtrictu Vratislaviæ ſita, devaſtata, & incinerata ſunt. En deſolationem, & deſtructionem Canoniæ! tandem ſub his tribulationibus 24. Octobris anno 1429. die B. Severini Confeſſoris Mathias Abbas mortuus ſepultus eſt in Choro, teſte oculari, hæc ſcribente Succeſſore.

XXVIII. JODOCUS de Ziegenhals, electus anno 1429. in Vigilia omnium Sanctorum, emit domum in urbe Svidnicenſi anno 1435. & ſupremum Dominium in Geraslevitz, impetravit incorporationem Eccleſiæ S. Jacobi in Zobten. Anno 1438. obtinuit a Rege Alberto confirmationem omnium bonorum; regnavit 18. annis, menſibus 5. mortuus anno 1447. 16. Februarij, ſepultus in Choro.

XXIX. NICOLAUS III. Schönborn, electus in Abbatem anno 1447. Hoc anno organum magnum fuit comparatum. Præfuit annis 16. Dein reſignavit Dignitatem 5. Maij anno 1462. & confirmato Succeſſore in Præpoſituram Oëlsnæ ſe contulit.

XXX. PAULUS Reichert, electus anno 1463. Anno altero peſtis Vratislaviæ ſolum viginti quatuor hominum millia abſtulit. Denique anno 1465. Canonia hæc plerumque lignea tota exuſta eſt, iterum extructa anno 1466. tandem Paulus Abbas tot ærumnis confectus obiit 1468. 13. Octobris.

XXXI.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XXXI. STANISLAUS, electus anno 1468. sub quo Chorus consummatus est. Mortuus est anno 1470. 20. Aprilis.

XXXII. BENEDICTUS Jonsdorff, electus anno 1470. 11. Maij, obiit 1503. 13. Julij, postquam laudabiliter rexit annis 33. & 2. Mensibus.

XXXIII. THOMAS Falckenstein, Decretorum Baccalaureus, electus anno 1503. 4. Augusti, obiit anno 1529. 18. Decembris.

XXXIV. JOANNES IV. electus anno 1530. 5. Januarij, mortuus 1536. 20. Septembris.

XXXV. ANDREAS Frebel, electus anno 1536. 5. Octobris, ab Episcopo Jacobo a Saltza confirmatus 16. Octobris, mortuus 1538. 7. Junij.

XXXVI. NICOLAUS IV. cognomine Littwitz, electus anno 1538. 11. Junij, ab eodem Episcopo confirmatus 14. Junij, cæpit extruere organum minus, obiit anno 1539.

XXXVII. DOMINICUS Gotthart, electus 1539. 6. Novembris, confirmatus ab Episcopo Balthasare e clarissima Promitziorum Familia, dictum organum consummavit, obiit anno 1540. 24. Julij.

XXXVIII. MATTHÆUS Kalman, electus 1540. confirmatus ab Eodem, obiit anno 1550.

XXXIX. ELIAS Schwanberg, electus anno 1550. 29. Octobris, confirmatus ab Eodem, obiit anno 1583.

XL. FRANCISCUS Kratzer, electus anno 1583. 24. Januarii, confirmatus ab Episcopo Martino Gerstman 26. Januarii, obiit 1584. 31. Martii.

XLI. MARTINUS Peckenfelder, electus anno 1584. 5. Aprilis, confirmatus ab eodem 7. Aprilis, obiit 1586. 8. Novembris.

XLII. ADAMUS Weiskopff, Suffraganeus Episcopi Vratislaviæ, postulatus anno 1586. 13. Novembr. resignavit anno 1599. 14. Maji.

XLIII. BALTHASAR I. Bitterhorn, electus anno 1599. 19. Maji, obiit 1601. 27. Junii.

XLIV. BARTHOLOMÆUS Fuchs, electus 1601. 3. Augusti, confirmatus ab Episcopo Joanne VI. 7. Augusti. Dilexit decorem Ecclesiæ, quam multum ornavit aureis calicibus, Pontificalibus, quæ omnia nefanda rebellio, & hæresis abstulere. Testantur & ornatus sacer, aræ S. Mariæ Magdalenæ, & S. Catharinæ; obiit anno 1620. 26. Januarii.

XLV. JACOBUS III. Strigner, electus anno 1620. rexit novem septimanis, obiit eodem anno 1. Aprilis; vacante interim sede Fridericus Preudo, Rex Bohemiæ Canoniæ thesaurum abstulit.

XLVI. GEORGIUS I. Steinborn, electus ex Præposito Kreidlemsi 1620. cujus memoria est ara S. Hedwigis. Obiit 1624. in Festo S. Matthæi.

XLVII. CASPARUS Jacobi, electus anno 1624. magnum organum comparavit, defunctus 1631. 31. Januarii.

XLVIII. MICHAEL II. Hibner, electus anno 1631. 6. Februarii, 4. Maji obiit.

XLIX. JOANNES V. Scherer, electus anno 1631. 8. Maji, sub quo thesaurus Ecclesiæ, & Privilegia Canoniæ per injuriosa tempora sunt amissa; procuravit parvam hierothecam Evchariſtiæ, & calicem aureum, celebravit secundas Primitias anno 1651. 1. Octobris in Dedicatione Ecclesiæ, quas dedicavit Ferdinando III. Cæsari, a quo & catena aurea, cum cruce Abbatum donatus fuit. Rexit 24. annis, 1. mense, & 22. diebus.

L. JOANNES VI. Weckerle, electus 1655. 17. Septembris, emit Sculteſiam in minore Tintz, & prædium fecit, ædificavit tabernam in Arena, obiit anno 1657. hydrope, medio nova vespertina tumulatus 16. Septembris.

LI. GEORGIUS II. Pohl Silesius Vratislavienſis, electus 1657. 19. Sept. confirmatus anno 1658. 27. Aprilis, infulatus 1665. Sub quo Canonia hæc Congregationi Lateranensi incorporata est. Jus supremum in majore, & minore Kreidel sopitum a Brigensi Principe redemit; summitatem turris, non tantum Arenæ, sed toti urbi Vratislaviæ ornamentum sumptibus magnis extrui fecit anno 1668. singularis

cultor crucifixi, in cujus latrevticam venerationem Sacellum S. Crucis in Eccleſia Canonica extruxit, ad quod ſucceſſive aureis, & argenteis pretioſiſſimis votis a piis mentibus refugium quærentibus, & invenientibus abunde exornatum confluit adhuc ingens populus, & exemplaris Magnatum devotio. Inſtituit & Sodalitatem S. Sebaſtiani; qui tandem in Domino obiit 1677. 6. Januarii, ſeptuagenarius: cujus imaginem vivus ſingulariter mente recoluit, ubi & corpus ſuum quieſcere petiit, ſepultus in Sacello S. Crucis.

LII. JOANNES VII. cognomento Sivert, natione Eisfeldiacus, electus anno 1677. a Leopoldo I. Cæſare confirmatus 15. Martii, & a Sereniſſimo Principe Landgravio Haſſiæ, Friderico, Eminentiſſimo S. R. E. Cardinali, & Epiſcopo Vratislaviæ 21. Junii anni ejusdem Infula decoratus. Pro majore ara argenteam crucem notabilis magnitudinis, & ſex candelabra argentea, cruci proportionata, & artificioſe elaborata procuravit, & argenteam lampadem plane magnificam, quinque ſtatuis, ex argento fuſis, prudentes Virgines repræſentantibus exornatam, & ampullas ex puriſſimo auro. In monte Sileno, vulgo Jobbtenberg, prima Canonicorum horum ſede, templum in honorem B. V. ædificavit, & emit ſcultetiam in Marxdorff, & Conradivillæ prædia in Strigelmühl. 1704. Jubilæus Presbyter in Feſto SS. Petri, & Pauli ſecundas celebravit Primitias coram Sereniſſimo Epiſcopo Vratislaviæ Franciſco Ludovico, concionante Reverendiſſimo DD. Michaële Fribiger, Prælato, & Magiſtro Ord. Milit. Crucigerorum, cum rubea ſella, ad S. Mathiam Vratislaviæ. Anno 1706. vitæ ſatur pie obiit, tumulatus ante aram S. Hedwigis, ubi vivus ſibi monumentum poſuit.

LIII. BALTHASAR II. Seidel, natione Sileſius, patria Capricollenſis, ex Præpoſito Kreidlenſi electus 1706. 13. Septembris, confirmatus a Joſepho I. Cæſare 6. Octobris, & a Sereniſſimo Epiſcopo Vratislaviæ 4. Octobris ejusdem anni, & 21. a Reverendiſſimo Vicario Generali, Eraſmo Reitlinger inſtallatus eſt. Hic neceſſe exiſtimo eſſe, laudes ejus ſtylo ferreo ſculpere in ſilice, quas etiamnum deprædicant perpetuo vix non duratura, poſteris relicta opera. In primis regnare cum Deo cœpit, & decorem Domus ejus ſingulariter diligere, quam ſplendidiſſimis novis aris, majore, lateralibus duabus egregia altitudinis, minoribus fere omnibus, & organo, opere ſtupendo, magnificentia, & ſono cætera Sileſiæ ſi non excedente, certe nulli cedente, & honeſtiſſimis ornatibus exornavit. Porro ædificium novi Collegii Canonici amplum, & magnificum funditus erigere intendit, & notabilem partem executioni mandavit, Prælaturam amplam, & commodiſſimam fratrum domum, intrinſeca excepta expolitione, quam præter alia plura videre licuiſſet, ni 1715. 29. Julii mors præmatura oculos clauſiſſet in laudabiliſſimo propoſito ab ingruentibus infortuniis, & damnis fulgurum, incendiorum, & armentorum ſtrage nunquam turbato, ſed omnia cœleſti Patri, omnium authori, committenti in cujus manus anno, & die dicto animam commendavit.

LIV. JOANNES VIII. Cramer, natione Sileſius, patria Galenſis, ex Diſtrictu Zoltenſi, 1715. 11. Septembris ex Præpoſito Kreidlenſi Infula coronatus a Carolo VI. 28. Decembris, & a Sereniſſimo Epiſcopo Vratislaviæ dicto confirmatus eſt; quem deſuper Reverendiſſimus D. Vicarius Generalis, Leopoldus Comes de Franckenberg inſtallavit, & Reverendiſſimus D. Elias de Sommerfeldt, Canonicus, & Suffraganeus Sereniſſimi Epiſcopi Vratislaviæ 1716. 19. Martii infulavit. Continuavit is bene cœptum ædificium, Prælaturam cum parte domus fratrum expoliit, & magnis expenſis reparavit partem Rippæ in mola, & alia ad illam pro fructu Canoniæ appertinentia. Sic & a noxio vicino, præterfluente Odera, cujus littus hortum ambit, non nihil vexatus, multis æque ſumptibus remunire conatus eſt. Eccleſiam magis exornandi nulla urgebat neceſſitas, defectum tamen minoris organi ſupplevit novo; pie demum in Domino obiit 1720. 1. Februarii.

LV. FRIDERICUS I. Lengsfeldt, ex Comitatu Glacenſi, patria Roſenthalenſis, ex Parocho Strelicenſi electus 1720. 21. Martii, omnibus viribus ſarcinam a movere conatus, ſed fruſtra, tandem ſuſcepit, confirmatus a Carolo VI. Cæſare 14. Junii, a Sereniſſimo Epiſcopo Vratislaviæ dicto 16. Maji ejusdem anni, inſtallatus a Reverendiſſimo D. Suffraganeo Elia dicto infulatus 1722. 4. Octobris. Damna littori dicto ab Odera illata perſæpe magnis expenſis reparavit. Collegium Canonicorum antequam continuaret ædificare, extra illud in territorio Arenenſi domos duas perutiles ſtruxit; imo, quod laudabiliſſimum, Canoniam, alieno ære gravatam plene liberavit, & dum majus ædificium proſequi cogitaret, longæva prius infirmitate probatus, pie in Domino obiit 1724. 10. Julii.

LVI.

LVI. SIGISMUNDUS I. Paſſonius, Sileſius Vratislavienſis, electus a potiore Canonicorum parte 1. Auguſti 1724. poteſtatem gubernandi in temporalibus extraditam accepit a Carolo VI. 27. Octobr. 1724. ſpiritualem impetravit a Sereniſſimo Electore Trevirorum, & Epiſcopo Vratislaviæ dicto 19. Octobris 1724. & ſic ex Parocho Conradivillæ omnium Parochiarum Arenenſium Parochus effectus eſt, dum Illum Reverendiſſimus D. Antonius, Comes ab Hatzfeldt, & Gleichen, Vicarius Generalis ad Collegiatam hanc D. V. Eccleſiam Feſto S. Andreæ ſolemniter inſtallavit. Anno 1725. 23. Martii a Reverendiſſimo D. Suffraganeo dicto infulatus eſt, cui merito ex hucusque laudabiliſſimis geſtis Elogium hoc conflari licet:

SIGISMUNDUS Vratislaviæ ex Canonicatu oriundus,
Canonicus Regularis factus,
& merito:
quia ad Ordinem, vitam mixtam profitentium,
Chorum, & Curam,
Pulpitum, & Cathedram
ſumme idoneus,
quo utroque ſibi injuncto, & bene probato,
ita fratrum animos connexuit,
ut in Feſto D. Petri ad vincula,
Collum ejus
ligaverint aureo vinculo.
Sed eſto:
tam ſit onus, quam honos,
quod vinculum hoc ſecum trahit,
SIGISMUNDUS,
Muſis dignus,
illud portandi capacitatem initio jam
comprobavit,
ſapientiam
dum amavit,
ſuos ſerio ad amplectenda ſtudia
exhortando, promovendo,
&, doctrinæ fontes quia libri ſunt,
liberum eam hauſturis ingreſſum
favet
ad Bibliothecam.
Prælaturam admirabilem adeo in modum exornavit,
ut & Succeſſoribus prodeſſe velit;
aſſertum probat magnifica non modo mente concepta,
ſed vere in opere comprehenſa Bibliotheca,
nec non alia,
tam pretioſa,
quam ſolida,
a vetuſtate, & edaci rerum tempore non facile conſumenda
ornamenta.
De quieto, quo de facto caret, Dormitorio ſolicitus,
partem ei annexuit templum verſus,
ſed particulari commodo publicam præferens utilitatem,

intentum abrupit;
maluit enim nocturnam ab exteris tolerare inquietem,
quam publici ſcandali occaſionem,
e ſuſpecta domo, in Arena ſita
emergentem.
Ut igitur lapis iſte offenſionis inoffenſo tranſiretur pede,
non reliquit lapidem ſuper lapidem,
ſed domo funditus
eradicata,
locum ejus
præclaro cohoneſtavit
ædificio.
Structuræ cæptæ, complendæ Prælaturæ, totiusque Collegii
Canonici ulteriorem proſecutionem,
cum hæc vetent tempora gravia, & annorum ſterilitas,
annonæ penuria ſat preſſum
ſubditum ne magis opprimat,
aliam, Dominio ut proſit, ſubito, ne obſit,
invenit methodum,
quando præter novam ædificatam in Arenæ ſuburbio,
urbanas complures magnificentia excedentem domum,
Scultetiam in Haltenborn,
tabernam annexo jure braxandi in Marxdorff,
juſto emptionis titulo,
expenſis permultis,
Canoniæ utilitati appropriavit.
Multa prætereo, quæ damna reparavit, non pridem illata
molæ, & littori ab aqua,
Tinenſi granario ab igne.
Plura ut videat benevolus Lector,
illum ad Inſigne Ejus, conctram, remitto;
apparebit in Oratorio ſplendido,
& pretioſiſſimo,
ad Pontificalia Miſſarum ſolemnia,
quo fas eſt,
apparatu.
Plurima dabit poſtera temporum longævitas,
quod ſuperorum faveat ſempiterna benignitas.
Parcæ igitur parcite, & vinculum ſupra datum
ne reſcindite;
donec nivea provectæ ætatis canitie
conſperſum caput,
Canoniæ
Regimen temporaneum
felix
mutet in ævum æternum.

VRE-

VREDENSWEGENSE,

Seu Vrensveghenſe prope Northornam in Weſtphalia Diœceſis Monaſterienſis, & Comitatus Bentemenſis Canonicorum Regularium S. Auguſtini Collegium fundatum 1394. opera, & conſilio Everhardi de Stelmelo, cujus fundationis ſeries in Chronico Montis S. Agnetis fol. 157. cap. 10. talis proſtat: Anno MCCCXCIV. circa Feſtum Purificatæ V. M. Fratres Clerici de Familia, & Congregatione Venerabilis D. & Magiſtri Everhardi de Stelmelo, Baccalaurei in Phyſica, ſeu Medicina, cœpere de voluntate, & conſilio ejus ædificare locum pro Monaſterio futuro in Vrenſsveghen ſuper hæreditatem dictam Enoldint, & obtenta licentia Epiſcopi Monaſterienſis, Reverendi D. Ottonis de Höye, & conſenſu Decani, Archi-Diaconi, & Capituli 1. Maji, poſtea in Adventu Domini die S. Thomæ Apoſtoli conſecratum fuit parvum Oratorium ibi, ubi nunc Eccleſia murata eſt, & nunc etiam die eodem quatuor Presbyteri de Familia D. Everardi ſunt ibi inveſtiti habitu Ordinis Canonicorum Regularium a D. Wenomaro Ordinis Fratrum Minorum, Epiſcopo Symbalienſi Generali Vicario in Pontificalibus D. Ottonis R. Epiſcopi Monaſterienſis; quorum hæc ſunt nomina; primus fuit D. Henricus Kyndeshoff de Daventria, D. Herpe de Lippia, D. Hermanus Plectenberich, D. Joannes de Juliano. Primus Prior electus D. Hermanus. Hi quatuor primi ſteterunt per ſe ſub Epiſcopo Monaſterienſi; quia fundatores eorum noluerunt eos ſubjici aliis: ſed anno MCCCC. incorporati ſunt Generali Capitulo in Windeſem in Diœceſi Trajectenſi prope Zwollas ad unum milliare ſito. Hæc Chronicon. Prolixiorem hujus Canoniæ narrationem profert Chronicon Windeſemenſe Libro 1. cap. 38. fol. 162. in hæc verba: *Anno Domini MCCCLXXXXIV. &c.*

Uberiorem hujus Canoniæ deſcriptionem, ex ipſo fonte deſumptam, ſeu a moderno loci Præpoſito gratioſe communicatam hic damus, ſimpliciter exaratam:

Anno gratiæ 1394. Divino favore, ſolicitantibus, & ſatagentibus piis viris, & DD. Venerabilibus, D. Henrico Crull, & Everardo de Eza, & Nobili Comite de Benthem Bernardo benefaciente, Monaſterium nemoris B. V. M. prope Northorn fundari cœptum eſt. In primis inclytus ille, ac Nobilis Comes Fratrum poſterior natu fuit, ſed animi virtute neutiquam ſegnior, Filius præclari Joannis Comitis de Bentheim, & Illuſtris Conjugis Eliſabeth, Filiæ magni, & Nobilis D. Simonis de Rippia. De his ergo natus Comes Bernardus poſt Fratres ſuperſtes, circa annum 1364. vitæ ſuæ 34. Comitatum Benthemenſem regendum accepit.

Interim poſt annos quinque, vel ſex, in Bello Ducis Brabantiæ, & Geldriæ ſuper Moſam in terra Juliacenſi miles factus, uxorem duxit Filiam præclari D. de Stenvordia Balduini Brunitam, quæ & ipſa facie decora, & omnibus acceptabilis, & gratioſa, improlis tamen. Bernardus in rebus militiæ, & Patria defendenda ſtrenuus, & Bellis victor, in Divinis Deo mirabilius devotus extitit; horas enim, quas de S. Cruce, B. V. & Paſſione Domini dicimus, quotidie legit, ſanctos ſibi ſpeciales, quos coleret, elegit, Miſſam quotidie audiit, vel, ſi ob negotia graviſſima impeditus fuit, ea die carnes non comedit. Omnes in menſa Religioſos ſuper ſe ſedere fecit, duodecim pauperes quotidie ad menſam pavit, unum & pro ſe quotidie jejunare fecit, Pſalterium pro ſe omni die ſemel, & Feriis ſextis ter legi diſpoſuit, in Profeſtis B. V. pane, & cereviſia contentus, quosvis Patronos ſuos prævio diei Feſti jejunio honoravit. Specialiter vero omni Feria quarta, quoad vixit, carnes guſtare renuit; &, quod res eſt, multa bona Allodialia, ac prædia Monaſterio in perpetuam Poſſeſſionem tradidit, ejusque ſemper in omnibus neceſſitatibus Fidelis Diſpenſator, & Tutor immobilis permanſit, adeo, ut quævis mala, unde unde tandem illata, plus ſibi, quam Monaſterio inferri peroptarit. Denique his, & aliis piis operibus devote, & laudabiliter intentus, poſt Monaſterii Fundationem pene 27. annis ſupervivens, ætate grandævus, peſte inguinum, & puſtula correptus in caſtro ſuo Benthem obiit 1421. ætatis 91. Vrendeswegiæ ante ſummam aram reconditus; cui ſuccedentibus annis appoſita fuit magna turba ex ſtirpe hac legaliter progenita. Porro tum Eccleſiam Scutorpienſem adminiſtravit Curatus quidam, & Paſtor, Henricus Crull, qui, quamvis carnis ſuæ nitela ſeductus, aliquando carnaliter vivens, tempus varie conſumeret, Divina tamen miſeratione converſus, non modo vitam in melius commutavit, ſed & mundum cum omnibus blandimentis ſuis deſerere, & in arctiore ſemita ſe pœnitentia caſtigare irrefragabiliter decrevit. Unde viſum eſt illi, ſecretiorem quemdam locum eligere, ubi ſolus, vel cum uno ſaltem Fratrum quietius Domino poſſet deſervire. Cum ergo circumiret, & aptum locum ſolicite quæreret, nec inveniret, tandem Comitem de Bentheim D. Bernardum dictum adiit, eique ſuum propoſitum aperuit; vir autem hic providus,

& prudens, bonum, & inopinum D. Henrici hujus propoſitum laudans quidem, intentionem vero de recluſione, & ſolitudine non approbavit; rationabiliter omnino diſuadens, reſpondit: D. Henrice! veſtra intentio nobis quidem grata eſt, propoſitum autem de incluſione non placet; nam ſalubrius mihi aliud occurrit, ſi tamen conſultum & vobis videatur; ut nempe novum ego, & vos Monaſterium condamus, ubi & plures vobiscum, imo & plurimi per multa Sæcula ſedulum Deo, ac fructuoſum famulatum exhibere poterunt; quamdam enim coloniam, ſeu prædium mei juris habeo in Parochia Northorn, & Berſcapio Vrelstrope, locum Monaſterio conſtruendo aptiſſimum; hunc ad Monaſterium, ſi placet, cum omnibus Attinentiis, & Requiſitis offero libentiſſime. At D. Henricus de præclari Comitis conſilio, & promiſſo, quaſi divinitus facto, gaviſus, & multum recreatus, cum gratiarum actione, decretum oblatum approbavit, & acceptavit.

Tum & vir quidam venerabilis erat, D. & Magiſter Everhardus de Eza, Eccleſiæ in Helmole Curatus, & Paſtor, qui diu probatam vitam duxit, & devotam in domo ſua Presbyterorum, Clericorum, & Laicorum Congregationem tenuit. Huic ergo infirmo decumbenti apparuit B. V. cum B. Paulo, & Auguſtino, ſignificantes, a Divina voluntate præviſum, & ordinatum eſſe, ut ipſe novum in finibus Weſtphaliæ, & Twertiæ Monaſterium conſtrueret; nam & S. Paulus, quaſi Dux Verbi, intulit: In mea Diœceſi conſtruere ſatages. Hujus Everardi Capellanus aliquando fuerat dictus D. Crull, qui accepto D. Comitis Bernardi propoſito de loco, & ſitu Monaſterii conſtruendi, altero die ad D. Everardum venit, omnia inſinuans; ut ad honorem Dei, & plurimorum ſalutem, dictum locum inviſeret, &, ſi aptum judicaret, cum eo ad Comitem pergere, & aſſumere dignaretur, ſupplicavit. Everardus D. Henrici verbis lubenter auditis, pro tota devotione ignitus, animo exhilaratus, promiſſum ſimul, ac denuntiationem cum oſtenſa ſibi viſione comparans, ſe gratanter omnia accipere, & fideliter exequi pollicitus eſt; cito igitur currum pariter aſcendentes, & locum inviſere, & Comitem conſulere profecti ſunt; quos & ille debito honore ſuſcipiens, & de Clauſtri exſtruendi deſiderio ſerioſius tractantes audiens, læto corde, ac devota mente, omnia promiſſa ſe pleniſſime daturum reſpondit, dicens: Non ſolum, ut promiſimus, locum Monaſterii conſtruendi voluntarie dabimus, ſed ope Dei gratiæ progreſſu temporis ampliora adijciemus, quod & poſtea magnifice adimpletum eſt. Anno igitur 1394. Bernardus hic pro animæ ſuæ, & parentum ſalute, de conſenſu Fratris ſui Chriſtiani, & Nepotis Arnoldi de Luterswick, locum, & prædium Egnoldinck in Parochia Northorn ſitum, cum omnibus, & ſingulis pertinentiis ſuis, & campum quemdam Scatencamp cum piſcatione ad fundationem Monaſterii in honorem Dei, & B. V. dictis DD. Henrico Crull, & Everardo de Eza ſimpliciter, & pure dedit, & omnino reſignavit; &, quod ore primum, & voto fecerat, manu, & litteris mox muniit, & confirmavit. Sacerdotes ergo illi cum gratiarum actione Comitis oblationem acceptantes, Divinam ordinationem non ſegniter executi ſunt; nam D. Everardus quosdam Familiæ ſuæ jam ſat inſtructos cum aliis quibusdam ad præparandum,& inhabitandum locum eo illico deſtinavit, qui & cum rebus, & utenſilibus neceſſariis venientes, pro viribus locum præparabant; licet enim locus prius a Deo electus, & præordinatus, incultus tamen erat, & ſpinis, & arboribus obſitus; quod contigua adhuc loca evidentius demonſtrant.

Denique potiſſimum adverte, quadraginta ante ædificationem loci annis multa, & mirabilia præcurriſſe ſigna, imo ipſum Monaſterium jam prius ſtare videbatur, campanæ pulſari, lucere luminaria, cantus, proceſſiones, Fratres in albis converſari, & multa alia mirabilia; quæ ita contigere: Habitavit ibi, ubi Monaſterium dein ædificatum eſt, homo quidam ſimplex, & Deo devotus, qui diu per ſingulas ſeptimanas bina vice faculas vidit flammantes quatuor, usque ad nubes protenſas, vidit non per ſomnia, ſed mentis omnino compos, ſtans, vigilans, dein proceſſionem valde magnam, cujus finem conſiderare vix poterat; procedebant autem bini, & bini, albis induti: Quos unus, cappam Choralem geſtans proſequi videbatur; voces etiam eorum mire, & dulce in excelſis reſonantes audiit: Unde præ nimio gaudio, & ſtupore in terram corruit. Simile alteri cuidam hujus loci colono viſum eſt; nocte enim quadam miram quamdam candidarum avium multitudinem adventare, locum undique occupare, & univerſa ad ipſum pertinentia abigere, & devaſtare conſpexit; ex qua viſione ille nimis conterritus, & de ſuarum rerum direptione anxius, uxori viſionem mox triſtis, & gemens manifeſtavit. Illa nocturnis his phantaſiis nullam fidem adhibendam aſſerens, maritum ſolatiis, quantum potuit, erexit. Sed quid? brevi Domicilium cum attinentiis pro uſu Monaſterii conſtruendi Comes erogavit. Hinc, cum in albis Fratres accedere conſpexit, mulier marito dixit: En aves candidæ, quas in viſione omnia tua occupare conſpexiſti.

Tandem

Tandem & ipsos Fundatores singulariter certificare dignatus est Deus; dum enim Venerabilis D. Everardus, & Henricus ad prædium adventassent, hæsitantes, ubi potissimum Ecclesiam, & Monasterium convenientius erigerent, ecce avicula subito, quasi a Deo missa, ante eos in carro sedentes, & mirantes descendit, temperatoque, & basso volatu præcessit, donec ad quoddam dumetum, densis spinis coopertum venirent; ubi residens præsaga voce, quasi rationalis ales mire, & solatiose modulans, creatori dulces cæpit resonare laudes. Demum, quasi clarius intimans, & fortius imprimens, hic, hic, hic vivaciter decantavit; quod D. Everardus cœleste miraculum animadvertens, ecce, ait, Fratres! hic est Locus, quem sibi Deus elegit, & nobis ad oculum designavit. Hi ergo de Episcopio, Territorio, circumscripto loco Fundatores divinitus admoniti, & certificati, in Dei nomine, & B. V. honore struere cæperunt Monasterium, & sanctuaria eo ipso in loco, ubi avicula deposuit, & chorum magnæ Ecclesiæ lapideæ posuerunt.

Extructo Monasterio mox Deus revelare dignatus est, quam ad ipsum locum gratiam haberet, quam revelationem devotæ cuidam fœminæ factam D. P. Henricus Kindeshoff, primus Canoniæ hujus Prior ita descripsit: Revelavit B. V. devotæ cuidam personæ, locum hunc pridem à Deo fuisse præordinatum, electum, & nunc valde dilectum. Inter cætera verba hæc dixit: An nescitis, non consideratis, quam mire Filius meus locum hunc ordinarit, & Fratres ibi direxerit? in omnibus plane pressuris, & tribulationibus eos consolabitur, & adjuvabit, ita, ut, si re vera totus ei se mundus objiceret, nil contra illos sit prævaliturus. Dein & ipsa B. V. piam opem, fidelem assistentiam, continuam protectionem, & perpetua suffragia promisit, dicens, omnibus loci hujus incolis in cunctis necessitatibus corporis, & spiritus, temporalibus, & æternis se refugium fore; si tamen sic in Religione pura, sine personarum acceptione, in spiritus exercitiis continuo proficere studerent, & cæptam devotionem, & reverentiam specialiter servarent. Hinc mirare tria notabiliter gratissima, Dei electionem, cœli, & B. V. protectionem, Religionis, & devotionis exactionem; quæ, ut hactenus sancte observata fuit, & quam sæpe B. V. locum protexerit, miris Chronici exemplis demonstratur. Sed brevitatis causa omissis his contexo Historiam.

Ædificiis igitur Religiosorum utcunque demum erectis, ex speciali Commissione D. Episcopi Monasterienſis, Ottonis Höga, primos quatuor Fratres habitu Canonicorum Regularium vestiit, D. Henricum Kindeshoff, D. Herponem Presbyteros, Hermanum Plettenberg, & Joannem Gulich, Clericos Venerabilis D. Wennemarus, Episcopus Cymbalienſis, Suffraganeus Monasterienſis, qui locum, & Oratorium consecravit, & vota horum Fratrum excepit. Dein eorum investitorum consilio, & consensu, & authoritate Episcopi D. Kindeshoff e Daventria in Rectorem primum ordinavit, & præfecit, & curam animarum, & temporalium administrationem eidem commisit; necdum enim Monasterium hoc sub Capitulo Generali fuit, sed immediate sub Episcopo Monasterii.

In magnis ergo angustiis aliquamdiu degebant Fratres sic constituti, tum propter rerum inopiam, tum invidorum petulantem insolentiam, ita, ut quidam Domum hanc aliquando consurgere, & proficere posse omnino desperarent; ipsimet Fratres pusillo animo jam fieri potuissent, ni in Christo, & B. V. Sponsionem de Fideli assistentia accepissent firmissimam; at Divino favore non solum numerus Fratrum admodum fuit adauctus, sed & Religio, & devotio, & victus competens per plures Benefactores liberalissime datus, quos inter specialiter numeratur inclytus Domicellus, Arnoldus de Guderswick, qui, quantum hunc cætum amarit, ex eo liquet, quod, cum a principio Fundationis locus fuit adhuc incultus, spinis densis obscurus, & ædium inops, ipse tamen Fratres invisere fuerit solitus, & ita dilexerit, ut sæpius diceret: Utinam Filius meus Everwinus ita annosus esset, ut Patriam regere posset; ego hic vobis cohabitare, & pulmenta vestra comedere vellem. Sed Dominus non omnino sprevit precem ejus; infirmus enim ita suos alloquebatur: Si ad Monasterium B. V. & hos Fratres me deferre non vultis, saltem cadaver meum ad manipulum textorum ligate, & in Vectam fluvium projicite, ut vel per defluentem aquam illuc deducar. Fuit hic Comitis Bernardi dicti ex Sorore Nepos, post mortem ad Monasterium honorifice depositus. Everwinus etiam optimæ indolis puer, & ipse a progenitorum favore non degenerans, nec corde duplici Canoniæ affectus, pro Ecclesia lapides frangendi libertatem concessit. Aliquando, cum Patrem Walramum, probitate vitæ sat eximium, & verecunda lenitate vidit esse conspicuum, sic ad eum Nobilis Princeps: Pater, vos in Choro, & Monasterio Prior sitis, ego foris ero, fidelitatem insinuans, ac promittens, ut & opus sat implevit, res, & causas Monasterii, ut proprias fideliſſime defendens. Tandem & hic egregius Benefactor ibi sepultus est anno 1454.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

D. Henricus de Crull, Paſtor in Scuttorp dictus, cum ad 30. usque fundatæ Canoniæ annum Fratribus in Sæculo utiliter deſerviſſet, Eccleſiam ſuam ſponte reſignavit, & relicto Sæculo ſe totum, & omnia ſua Deo obtulit, & Canoniæ, ubi in ſequeſtrata domo vivens, S. Scripturæ Lectionibus, & devotis Orationibus ſeſe continuo refecit, & ſic immolata quotidie S. Hoſtia tempus, in Sæculo amiſſum redimere, & S. Eccleſiam adjuvare circa ſeptennium diligentiſſime curavit, donec obiret 1423.

Porro cum inclyto D. Bernardo hoc Principales Benefactores, ſeu potius Confundatores Canoniæ hujus fuere Joannes de Beveren, cum Gertrude Uxore, quorum vitam, plane miram hic ponere nimis longum, & fors tædioſum foret. Hic Joannes e numero Curialium in Benthem Caſtellanus inclytus genere, & ſubſtantia locuples, primo quidem unice mundo deſerviebat, & vanitati; at per Gertrudem pijſſimam ex integro converſus, mundo valedixit: Inde Converſus Canoniæ Windeſemenſis factus, cum Sanctitatis opinione obiit 1408. Conjuge Moniali facta in Parthenone Depenvennenſi, ſupra dicto. Sequitur nunc

Catalogus

Reverendiſſimorum DD. Antiſtitum Canonicorum Regularium B. V. in Vrendewegen.

I. HENRICUS Kindeshoff, a juventute ſic præventus a Deo in Benedictionibus dulcedinis, ut humana lingua eloqui has vix poſſit; adoleſcens enim Deum timere, & per viam mandatorum ejus incedere cæpit, mundum, & ſe perfecte contemnens, continuo in fervore ſpiritus ambulavit, usque adeo illo accenſus, ut Daventriæ in Eccleſia Sæculares Canonicos, & alios pompatice, & veſtibus pretioſis incedentes fraterne corrigere, & arguere non ſit veritus. Dein a D. Florentio Congregationis Daventrienſis Patre, & Magiſtri Gerhardi de Groet diſcipulo receptus, quodam minus diſcreto fervore juvenilia membra vix non omnino debilitavit; ſed ad D. Everardum de Eza, Curatum, & Paſtorem in Helmole, corporum, & animarum medicum miſſus, priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt. Inde, digitis, & artubus jam præmortuis reconvaleſcentibus, officia ſua fecit, ad opera coquinæ deputatus, injuncta humili manſuetudine adimplevit. Quare D. Everardus eum in Presbyterum ordinari fecit, & tandem Zwollas verſus ad Congregationem Sororum Confeſſorem ablegavit; ubi, quia anima ejus totius decore virtutis radiabat, & animarum zelus mire flagrabat, pro viribus ad hæc ſe ſtudia convertit. Daventriam ad Ordines recipiendos miſſus, bona hoſpitia in Holten declinans, ad quemdam ſolitarium divertit, & in fervore ſpiritus per devotas collationes cum eo noctem deduxit inſomnem; &, quia in virtutibus, & ſignis primus extitit, etiam in regimine Prior factus eſt, & Prælatus: nec ſic quaſi poteſtate dominantem ſe oſtendit, ſed quaſi charitate ſervientem, priſtinam humilitatem, ſimplicitatem, obſequii alacritatem cuſtodiens, implevit ſcripturam: Rectorem te poſuerunt, eſto inter eos, quaſi unus ex eis. Erat plane pater Ille Venerabilis vir ſimplex, & rectus, & bonus, magnæ devotionis, & præcipue humilitatis, & iſtam Domum omni humilitate fundavit. Clericis, & Laicis Conſtitutiones præſcripſit, Horas B. V. teutonum lingua, *Septem Pſalmos Pœnitentiæ, Vigilias Defunctorum, Benedicite, Gratias* eosdem docuit, qui ad refectionem ſuam ſacram lectionem jugiter audiunt, circa quindenam Capitulum cogunt, toties confitentur, & infra annum ſacram Evchariſtiam crebro ſumunt. Modum ſalutandi invicem per nomen JEſus, & Maria, & ad horologii, & campanæ ſonum, & ingreſſum cellæ ſalutationem Angelicam dici ordinavit; fuit enim alacris valde in docendo, ſeverus in corripiendo, tentatis, & tribulatis multum benignus, efficax in conſolando, & his pene jugiter inſudabat. Tantus & ei inerat pro domo Dei, religione, animarum ſalute zelus, ut ſine diſcretione, & perſonarum acceptione quoscunque, & undecunque pro converſione animarum adventantes reciperet; licet tota Friſia, & Hollandia converſa ad eum veniſſet, volens omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem nominis Dei venire. Et, quamvis aliorum curam ageret, ſe tamen ipſum non negligebat, ſed in divina abſorptus, S. Martinum Patronum ſuum ſequens, oculis, & manibus in cœlum ſemper intentus, ab oratione non relaxabat, ita, ut ſub raſore ſedens, admonitus, ne læderetur novacula, vix ad modicum orare deſiſteret. Paupertatem cum eodem Martino in ſpiritu, & corpore, utenſilibus, ædificiis, & rebus omnibus, velut Chriſti amicam, & Religionis ſponſam colere curavit. Corpore quidem pauper, tenuis, & macilentus, ſed ſpiritu dives, & pinguis, ut ſpiritualia promoveret, temporalia non curavit.

Unde

Unde toto tempore Prioratus sui pene nil non attentavit; nec ædificiis ampliandis intentus fuit, excepta sola Ecclesia lignea, ab ipso inchoata, non tamen erecta, sed propter fratrum dissensionem de loco, in quo erigeretur, aliquamdiu in terra jacuit. Tanta denique innocentia vir hic claruit, ut nunquam criminale quid ab infantia commisse a Confessoribus perhiberetur, sicque factum est, ut labor, exhortatio ejus non esset inanis coram Deo, qualis enim pater, tales & filii erant effecti; obedientia enim in eis tanta emicuit, ut non solum laici ad opera gravia, & vilia essent parati, sed Fratres Canonici, & Clerici etiam laboribus gravissimis, & vilissimis, secandis lignis, operibus coquinæ, & aliis, pro mulsoribus mulgentes, vel scutellas, & fratrum vestes abluentes, ad tempora longa se exponerent obedientissime. Sed patientia eorum qui prædicabitur? quæ ab inexpertis vix credi potest; tanta & paupertas fuit, ut egerent pene omnibus. Dum in quadam magnæ festivitatis vigilia post jejuniorum inediam, pondus diei, & æstus ad bibendam collationem post vesperas fratres convenissent, non tantum cervisia, sed & tisana in Monasterio defuit. Coquus ergo vicinos adiit, & tisanam sibi commodari humiliter rogavit, & ad refocillandum conventum attulit. Quid familiares habere potuere, ubi tantum inopiam conventus sustinuit? & in his Venerandus P. Henricus Prior tanto patientiæ clypeo munitus, humano deficiente auxilio devotivo, & confidentius in orationibus Deo se, & suos commendabat, quibus & inopine, & quasi miraculose sæpe providit, ut exhilarati fratres etiam egentes patientissime de cætero perseverarent: ipse enim bonorum memoria dignus Joannes de Beveren, cum Monasterii indigentiam rescire posset, in frumento, brasio, & lardo in curribus liberalissime transmisit. Victualibus consumptis, cum & pecuniæ deessent, Prior currus, & carrucas sine pecuniis emittens, necessariis procuratis onustos recepit; eo autem tempore Conventum cum sex Fratribus, & uno Novitio, & quatuor Conversis tenebat. Cum itaque, ut dixi, hujus præclari P. tempore Ecclesia lignea ædificata fuisset, multis tamen diebus in terra jacuit, non erecta, eo quod de loco situs Fratres Capituli dissentirent. Sic factum, ut duo Fratres cum Novitio ob dissensionem discedentes aliud solemne Monasterium Regularium fundarint, nomine Gaesdonck prope Goch.

Prima vero hæc Capella lignea septennio stetit, secunda 44. annis, tertia nunc perseverat Ecclesia lapidea ad laudem Dei jugiter, ubi Deo in excelsis altithrono laudes resonant. Et, ut quid secreti de prima referatur, contigit, ut conversus quidam ab hoc Priore investitus, probationis suæ tempore graviter de deponendo habitu tentaretur, quem B. V. consolata est; in Festo enim SS. omnium in Matutinis sub *Te Deum laudamus* visa est Illi converso corona de sursum delata, & super Fratres in choro, Hymnum hunc ingenti devotione, & cordis alacritate decantantes expansa, in qua denique Virgo innixa apparuit pulcherrima, pluribus virtutibus Angelicis stipata; sed in versu ultimo: *In te, Domine, speravi*, Corona oculis ejus subtracta, & in cœlum recepta est; qua visione tentatus recreatus est, ut & vota gaudens profiteretur, & laudabili conversatione bonam, & longævam vitam dein duceret. P. Henricus, cum circa quinquennium laudabiliter præfuisset, & utiliter, sponte, & humiliter resignavit, & sic nacta majori quiete, & causa Deo vacandi, Lectionibus, Orationibus, Meditationibus, Exhortationibus, & piis Exercitiis intentus, peste septimo fundationis anno decessit, & more S. Patroni sui Martini, oculis, & manibus in cœlum intentus, Te Deum laudamus, Benedictus Dominus, Laudate Dominum de cœlis recitavit, & sic levi quodam sopore in pace in id ipsum visus est obdormire anno 1400.

II. HERMANNUS Plettenberg Prior creatus, vir per omnia Religionis aptus inventus, ad legendum, cantandum, scribendum, & interna sedulus, & fervidus, circa exteriora utilis, discretus, & providus; &, ut compendio laus ejus declaretur, eloquio dulcis, moribus modestus, corde, & opere justus, & pius, Deo, & hominibus dilectus fuit: factus autem Prior, tanquam fidelis servus, & prudens ad usque vitæ terminum Monasterii utrumque statum laudabiliter, & religiose gubernavit. Non diu tamen rexit, anno fundationis septimo peste discedens, habita prius hac visione: vigilantibus oculis miram nigerrimorum corvorum, ad eum concitato volatu properantium multitudinem conspexit, qui locum ægri decumbentis, parietenus undique occupabant, &, ne parietum albedinem discernere posset, suis umbraculis, pennis obtegebant. Visione hac terribili territus ad B. V. confugit, cujus imago mulieris, amictæ sole, & corona stellarum duodecim in capite ejus coram eo pendebat. Hac mox invocata omnis illa multitudo teterrima, quasi ad tonitrui vocem, tremebunda diffugit. Hac visione vir Dei probatus, & purgatus, & cœlesti demum visione recreatus, & liberatus, tum dein SS. Angelos, in albis ingredientes vidit, & ad ministrum dixit:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

qui ſunt hi ingredientes? miniſter advertens, quod viſionem videret, reſpondit, quid, Pater, videtis? reſpondit, quosdam in albis video, qui me veniunt conſolari. Sic convocato Conventu ſub Lytaniis ſuper ſe ipſum, & pro ſe ipſo in mortis hora cum flentibus flevit, cum legentibus legit, cum orantibus oravit. Sana igitur mente, ſano conſilio, coram poſitis fratribus, & orantibus, obdormiit in pace 1401.

Frater Herpo, primus Sub-Prior primi Prioris, P. Henrici Kindeshoff, cum eo inveſtitus, & promotus fuit; &, quomodo in vita ſua dilexerunt ſe, ita & in morte non ſunt ſeparati, die eadem invicem ſalutantes, valedicentes, & decedentes cœli præmiis remunerati ſunt. Hic F. Herpo homo modeſtus, ſimplex, & rectus fuit, qui, Chriſti vivifica, & Divina Sacramenta conficiens, & offerens, hac cœli viſione demonſtratus eſt: Virgo quædam maximam Angelorum, & SS. multitudinem ei aſſiſtere vidit, quorum aſpectu miro gaudio repleta, & recreata fuit. Ex miris autem operibus, quæ Virgo vidit, & quibus intenta fuit, cum legeretur Evangelium, nec legere poterat, nec orare. In elevatione Dominici Corporis, & pretioſi Sanguinis vidit duos Angelos celebrantis brachia ſuſtentare, & cum elevante reverenter valde elevare, dein ſumma reverentia complicatis manibus eos inclinare, & adorare conſpexit. B. V. celebranti pariter aſſiſtere vidit. Inter cætera vero valde mirabatur, quomodo præ multitudine Angelorum, & SS. ad Altare circumquaque confluentium, & in ara jam conſiſtentium, quibus undique circumventus, & compreſſus videbatur, ipſe celebrans movere ſe poſſet. Denique in fine Miſſæ Benedicto populo ſuper celebrantis caput pulcherrimum puerum cum Herpone pariter benedicere vigilantiſſime intendit.

Ut ne iſta correptio, qua Deus Monaſterium caſtigavit, ut peſte de Fratribus Clericis, & Laicis initio decem, & octo percelleret, ita, ut de Conventu unus tantum Fratrum cum Novitio ſupereſſet, Dei ira exiſtimaretur, in principio per B. V. viſitationem populum ſuum Deus conſolari dignatus eſt; cum enim in ipſa infirmaria in ſeptem lectulis ægri decumberent, juvenis quidam duodecim annorum, innocens, & purus, in lecto ſuo ſedens, veſtitus, & erectus, B. V. prope ipſum aſſiſtere vidit, eumque maternaliter conſolari. Dein B. V. per ordinem ad ſingulos infirmos tranſire, & viſitare, & recreare patenter aſpexit. Quam viſionem omnibus confidenter declaravit, & qua hora circum quemlibet conſtiterit, interrogantibus inſinuavit. Viſum eſt Priori Henrico, ut dein Domus illa Refectorium B. V. appellaretur.

Diricus Huxaria veſpere, nocte ea moriturus, admirabilem dealbatorum turbam ad ipſum venientem vidit, qui infirmi ſtratum ambientes, & ſinguli Codices in manibus tenentes, ut cœleſtes agentes exequias ſuper ipſum velut in procinctu jam migraturum Pſalmos lectitabant.

Henricus Poſteken Laicus familiaris, apoſtemate ſaucius, manifeſte D. JEſum quaſi præcedere, & SS. Paſſionis ſuæ Crucem bajulare, & cum quadam nimia corporis fatigatione, tanquam ſub cruce ruiturum miſerrime incedere vidit. Adverſo adeo tempore quidam fundatorum Monaſterii, & benefactores fratres viſitare, & conſolari ſtatuere; qui infirmariam introeuntes, & lectulis, ubi ægri reſpirabant, approximantes, mox quandam miri, & gratiſſimi odoris fragrantiam perſenſere, quæ omnium Apothecarum aromata, quæ ipſi unquam odorabantur, mira ſuavitate vincere putabatur; quo illi obſtupefacti miraculo gratiam Dei mirantes, multis annuntiarunt, quod ibi pro fœtore ſuavem odorem, & pro apoſtematum ſanie aromatum fumum comperiſſent reſperſum.

III. THEODORICUS de Vianen, peſte ceſſante a Capitulo Generali electus Prior, Vir humilis, & probus, ex Conventu Eymſtein 1401. ab adoleſcentia bonæ indolis, & ſpei juvenis adolevit, ut quoddam præſagium futuræ probitatis in ipſo radiaret. Factus ergo Regularis, virginalis, & ſobrius, & ſcriptor egregius. De Cathedra Scriptorum ad Paſtoris curam præter ſuam opinionem vocatus vir piiſſimus, prudens, humilis, pudicus, communi bono multum fidelis, & zeloſus, habitudine, & vultu religioſus, & verecundus, & ſermone temperatus, moribus diſciplinatus, & prudentia diſcretus, ut de eo pronuntiarunt, qui hominem altius conſiderarunt. Per hunc Deus electi Monaſterii ſui ſtatum quoad in- & exteriora mire ordinavit, per animarum lucrum, & temporalium augmentum in pecoribus, agris, pratis, redditibus, penſionibus, Grangiis, prædiis, Decimis, ædificiis, & foſſatis. Sategit demum, ut Monaſterium fieret Clauſtrum, & clauſum ſeptis foſſatis, portis, ſeris communiens. Molendinum pro uſu Monaſterii cum rivo a ſupra adducto, & inferius deducto ipſe fun-

fundavit, coquinam, pistrinum, & utrasque Domus Refectorii, & Dormitorii ordinavit, & construxit, omnes impensas, præsertim structurarum modico pretio consummavit, nunquam a bono vacans exercitio, vel legere, vel scribere, corrigere, imponere, pergamenum scribendis Libris formare diligentissime suetus. Dei cultum, Ceremonialia, & ritus, præsertim Psalmodiam, & Melodiam Religiosa quadam temperantia, & laudabili elegantia per Gradus, & tractus, & pausas decenter, & moderanter texit, & ordinavit. In his, & plerisque aliis Domus hæc quoad utrumque statum per hunc hominem Dei quatuordecim annis, Deo cooperante multum laudabiliter est provecta. Tandem pius Dominus libertati pristinæ eum restituere decernens, ab onere, & cura Pastoris absolvit; quod Is, ut ore proprio fateri voluit, diu desiderarat: Ut saltem sic intimius, & liberius ad Deum aliquantulum aspirare posset, diceretque cum Propheta: *Remitte mihi, ut refrigerer, priusquam abeam, & amplius non ero.* Demum anno 1431. obiit in pace, laborum præmia recipiens permansura.

IV. HENRICUS Lodder, Conventualis, & Sacrista Windesemensis, corpore robustus, natione Westphalus, opere Mechanicus, brevis Staturæ, humeris amplus, capite calvo, rubea carne, barba copiosa, facie lata, nare symus, ventre vastus, carne pinguis, tibiis gracilis, pedibus parvus, grossa voce, cute nervosa, fervoris, & charitatis Zelo proficiens, sub modio delitescere nequiit, sed supra candelabrum in officio Prioris positus, Monasterium in personis, temporalibus, & spiritualibus bonis promovit, & exaltavit, ut Gloria Ordinis fieret; nam in fervore spiritus primo omnium instituit, quod omnes sui Fratres humilia opera quotidie exercerent, venias peterent, quandoque cum osculo pedum humi comederent, Disciplinas reciperent, hospitum pedes abluerent, opera vilia non abhorrerent, humilitatem, & charitatem singulis exhiberent debitam, sine cibo, & potu ad portam venientem non abire permitterent, de cibo, & potu non murmurarent, de his vero, quæ habere poterant, comederent, & suo tempore bene dormirent, Horas B. V. septem Psalmos Pœnitentiæ, & Vigilias in laboribus simul legerent. Hæc, & alia plura in nulla Domo Capituli nostri tam stricte sunt observata, ut ibi inchoata referuntur; unde inde tam frequens veniarum petitio, & humilium exercitatio operum in plurima Capituli nostri Monasteria derivantur.

De illius temporalium moderata solicitudine sufficit dicere, quod solemnem Domum lapideam, nunc infirmorum, fundarit, prædia, & Domos agriculturæ ampliarit, & augmentarit. Quædam jam pono de Baerle, prædio, ut ibi tum erat: est Grangia, Monasterio vicina, a Fratribus Familiaribus devote, & disciplinate commanentibus pacifice possessa, ibi in Benedictione Domini sunt pecorum stabula, & caprarum greges, juga boum, saltus equorum, campi, & agri, sylvarum ligna. Re vera quasi regio circa Jordanem alendis pecoribus fertilis, & apta, & nemus adjacens aquarum inundatione Monasterio bonus, tutus, & necessarius recursus, & guerrarum tempore quasi urbs refugii, & murus securus. Plura alia prædia, & bona mobilia, & immobilia Monasterio tum accrevere, templi & altitudo ab ipso fundata est, duplex ædificatio, & excelsi parietes templi; nam Ecclesiæ lapideæ prima Fundamenta posuit, quæ novem annis post mortem ejus cum ingenti proventu consummata est ita, ut dein Conventus esset ditior. Sed & in diebus ejus emanarunt putei aquarum; cum & exteriora solicite procurarit, & Dei cultum summe promorit. Bibliothecam insignem, & copiosam providit, curavit gentem suam, & liberavit a perditione, cum virtutes, & virtuosos paterne foverit, defectus, & vitiosos districte exterminarit; hospitalis maxime peregrinorum, & hospitum pedes lavare suetus, recusantes exemplo Christi efficaciter induxit, & media nocte Venerabilibus Hospitibus excipiendis somnum frangere, & surgere non dubitavit, per diem eos per Monasterium deducens, negligentes, & non diligentes si invenerat Fratres, coram eisdem de industria sæpe corripuit, qui mox flexis genibus culpam suam confitebantur, humi permanentes, dum a Patre jussi cum osculo terræ exsurgerent. Unde Hospites valde ædificati Deum glorificabant, qui in diebus novissimis, & mundi finibus extremis antiquum Ægypti, Palestinæ, & Thebaidis Monachorum fervorem, & Ordinis Disciplinam in hoc nemore tam eleganter renovavit. Quare totus undique Westphalus orbis odore bono tam sanctæ vitæ valde recreatus, frequenter eos invisere, mores inspicere, & monita salutis pro remedio animarum expetere solicite curavit, & Deo tam ferventer famulantibus de omni sua facultate largiter contribuere. Ipse vero ab eis reciproce, a cunctis, ut Angelus Dei ingenti gaudio, & desiderio fuit receptus; magnam enim a Deo gratiam sibi datam reputabant, quod digni habiti sint, ut tanti nominis, & virtutis Prælatus ad eos dignatus sit declinare. Unde eum ut Patriæ Apostolum in suas singuli domos cum gaudio suscipientes, eo præsente valde delectati communem omnium Patrem vocabant. Cunctis bo-

nis Religiosis, & devotis murus fuit inexpugnabilis, & imperterritus, in omnibus tribulationibus Auxiliator, & Protector, malis, Deum non timentibus durus Adversarius, & gravis Expugnator, & timor irremediabilis; boni Patrem cordialiter diligebant, malis, & militaribus, & oppidanis formidini fuit. Patrem suum carnalem, vasallum, a mundi vanitate ad Deum convertit, qui suum fortilitium deseruit, & Deo in cruciferorum Monasterio circa Osnabrugum serviit. Fuit & Pater clemens, misericors, & præ omnibus, quos novimus, vel vidimus, manus ad dandum semper habens apertas, neminem unquam cujuscunque conditionis sine solatio dimisit; quo plus dabat, eo ultra centuplum plura recipiebat; pro uno floreno Rhenensi aureo, pauperi Religioso Sacerdoti dato centum recepit. Omitto reliqua. Denique eleemosynæ tam liberales erant, & promptæ, ut deficiente pecunia egentibus, & nudis, seu Discalceatis visis Sartoribus, & Sutoribus diceret, ut eis nova erogarent, queis fors dissimulantibus, ipse, quocum ab infantia crevit miseratio, & super afflictos pia gestans viscera, extrahens propria indumenta indigentibus elargiebatur. Hæc, & similia, & majora Pater pius sæpissime fecit, quæ commemorare non oportet omnia. Dum ergo his, & similibus virtutum studiis Deo cum magno fervore militaret, fama Illius longe, & late diffundebatur; unde plurimi bonæ voluntatis homines, in Sæculo potentes, corde compuncti, divinitus inspirati, Eum ad Monasteria antiqua reformanda, & nova instituenda Literis, & Veredariis Missis in Adjutorium requirere diligentissime cæpere; nam & humilibus devotis exercitiis Monasterium Ejus tum abundabat; sedecim enim inde Priores, aut Rectores Domorum Ordinis nostri cognovimus. Ad Eurum, & Nothum, Zephyrum, & Subsolanum, diversis in locis Monasteria reformavit, aut nova instruxit, & fundavit, dum ad vulturnum Saxoniam, ad corum Ostfrisiam, ad Africum ultra Coloniam cis Rhenum, ad circinum Bethaniam, Ordinis nostri Cœnobia ipse visitans perficeret; primus enim omnium in his locis Ordinis, & Capituli nostri Reformator, & Propugnator tum extitit, & Ezingen, Wittenberg, Richenberg, & Bodingen jam bene reformata, nostro Capitulo Generali solemniter incorporavit. Sic & cum Diœcesin Trajectensem guerræ, & tribulationes vastarent, & plurimos e suis Monasteriis fugere compellerent, Venerabilem Priorem Wilhelmum Vornken, & totum Conventum de Windesem obviis manibus, & corde magno, & animo volenti benigne suscepere Prior, & Fratres hi, humane pertractarunt, & cuncta necessaria victus, & habitaculorum gratiose ministrarunt, ita, ut de Dormitorio, & cellis, & aliis commodis suis exirent, & tam charis Hospitibus omnium devotorum susceptoribus libentissime loco cederent, & ipsi duo, & duo pariter ob loci angustiam in uno conclavi se sustinerent. Tanto denique charitatis Zelo fervebat, ut pro Gloria Dei, & oppressorum defensione, & animarum salute mori non pertimeret; contigit enim, quemdam Vasallum, Capitalem Prioris inimicum, ei sæpe comminantem, si posset ipsum unquam habere solum, statim vellet occidere, illi in sua carruca cum socio, & auriga sedenti, & per publicam viam in campo pergenti impetuose occurrere; videns autem Priorem, ira commotus infremuit, dicens, hic jam vitam amittes, & mortem, sæpius tibi a me intentatam incurres, quo audito Prior imperterritus, imo constantior factus, mox e carruca descendit, & pectus suum denudans ait, si audes, & prævales, veni, & interfice me! en paratus sum, pro Justitia, quam contra te habeo, mortem suscipere. Illico Tyrannus obstupuit, & Prioris constantiam videns, animum mutavit, & ex tunc in Pace eum semper dimisit. Tanta ergo Divinorum Charismatum abundantia in illo nemore B. V. redundavit, ut omnes Canonici, & Familiares uno spiritu fervoris, simplicitatis, humilitatis, & dilectionis viderentur perfusi, quod rebus, verbis, moribus, veste usque hodie ostendunt; ut viri, & fœminæ, Religiosi, & Sæculares illorum mores intus; & foris aspicientes plurimum ædificati, ipsos esse de Northorn optime recognoscerent; quia veram virtutem in singulis, & omnibus videre, audire, & imitari ubique potuere. Veste humili, grossa, & simplice, sermone modesto, & ædificante, humili corde, & devoto, quasi non de hoc, sed alio essent Sæculo, omnes incedere suevere. Sic ergo quotidie in bonis proficiens ipse, & aliqui visionibus, & revelationibus recreati sunt; nam B. V. illi apparuisse dicitur in veste, sanguine respersa, & significasse, quod quidam Laicus sæcularis nimis, & ad mundum reversurus mantellum Illius commacularit. Mathias etiam Clericus traditur vidisse Angelos, funeri obsequium exhibentes, cum Mater Sororum, circa Monasterium commanentium sepeliretur, audisse & ipsam B. V. promittentem, quod Monasterii perpetua esse vellet Protectrix, quamdiu Fratres ibi in humilitate, vilitate, & simplicitate perdurarent. Hic Prior quasi totius Westphaliæ, Saxoniæ, & Frisiæ Apostolus quodammodo fuit, qui ibi singulari Dispensatione præfuisse creditur, ut sit principale caput, & refugium omnium devotarum Congregationum utriusque sexus Westphaliæ, & alibi. Denique infirmitate tactus post Officium, 20. annis solicite exhibitum, resignato Prioratu obdormiit in pace 1439.

V.

V. WALRAMUS Francoms, omnium voce, una excepta, ex Officio Procuratoris electus; qui, dum esset Baccalaureus Coloniæ, ad virtutum officia strenue se dedit, & postea in pluribus officiis probatus est. Cum vidisset in Prioratu pacem, & quietem sibi deturbari, cedere utilius censuit, & resignavit, mox in Suppriorem electus. Tandem in Albergen, cum Regularium Ordinem acceptassent, Rector primus factus est; sed, cum iterum ad Conventum rediisset, in Monasterio Regularissarum Depenvenne prope Daventriam Rector constitutus est, ut semper videretur Gloria sequi fugitantem. Hic solitarius nunquam Daventriam intravit, annis pluribus Moniales suas ex facie non agnoscens, quas non vidisse dicitur, nisi in Sacramentorum administratione. Ibi in magna puritate senescens quievit in Domino, & dicitur revelatus in maxima Gloria. Obiit 1474.

VI. BALTHOLDUS Cuer in locum resignantis Walrami electus, jam Prior in Bœdingen creatus, ubi cum undecim annis sedisset, proprii Conventus Electione revocabatur; fuit enim prudens, & bene Religiosus, cujus solicitudine, & opera lapidea Ecclesia completa, & consecrata est anno 1445. in octava Apostolorum Petri, & Pauli a Venerabili D. Joanne, Episcopo Naturense, Suffraganeo D. Henrici de Mœrza Episcopi Monasterienſis, quo plusquam quatuor millia utriusque sexus hominum confluxere, de bonis Monasterii ultra multorum æstimationem saturati, & superfuit. Eodem anno Ecclesia Northornensis dedicata est. Hic Prior specie sat præstans, in Conversatione multum gratiosus, in suscipiendis Hospitibus valde benignus, hominum favorem obtinuit propensum, & fortunam propitiam, ut brevi ad Prioratus apicem in Bodingen sublimaretur; ubi, cum undecim annis præfuisset, honorificentius inde ad proprium Conventum assumptus est, & tandem post sexennium impropere nimis 58. ætatis, 19. Sacerdotii anno, multis Beneficiorum gradibus, & plenis velis ad vitæ terminum perductus est, quem subtractum necessarii sui planxere anno 1446.

VII. WILHELMUS Keppel a majore vocum parte electus, qui jam ex Suppriore electus in Bodingen fuerat post P. Bartholdum. Unde Bodingæ Fratres permoti, & contristati rogarunt, & sategere, & pariter cum ipsis cognati P. Wilhelmi, Officiales Ducis Juliæ, & Montium, & ipse Dux, ut illum tenere possent; quippe qui jam Lusantiam Patriæ, & Monasterii primum didicisset; causantes insuper, quod eodem modo ante breve tempus P. Bartholdus ablatus fuisset. Unde motus Conventus ad Priorem de Windesem misit, & se exoneravit; Ille vero Conventui, & Duci respondit: Adductus igitur vir gratus, & probus inthronizatus est. Sed non uno anno supervixit; sed de Illo contigit id tertii Regum Libri: *Nec mihi, nec tibi, sed dividatur.* Obiit 1447.

VIII. HUBERTUS Oudecœp e Trajecto inferiore oriundus, ab initio suæ conversionis Dei timorem ostendit, & ab hominibus abstractus, ad interiora se convertit studiose; talibus ergo, & aliis virtutum studiis deditus, ad Prioris officium provehi meruit, licet junior Sacerdos præ omnibus, uno dempto: Quod officium 40. annis strenue administravit, tanto moderatius, & uberius, quanto diutius; attendens enim, quod ut lucerna super candelabrum sit positus, ut luceret omnibus domi, exemplo, & verbo prodesse aggressus est, amplius abstractus, recollectus, & studiosus, brevis in verbis, in sententiis profundus, adulationes, oblocutiones, & levitates nec faciens, nec diligens, in veste vilitatem, in victu tenuitatem non sprevit, sic palatu domito, ut in mensa non tam saporem, quam refectionem requireret; de primum appositis suam sufficientiam accepit, terrenorum non valde cupidus, sed quasi incurius; dixit enim, si virtutes habemus ampliores, Deus utique de victu, & veste nobis providebit: De pauperibus valde solicitus, Officialibus præcepit, ne omnino negligerentur, in eleemosynis largus, ut & integros florenos aureos daret, imo integras summas. Contigit, ut quidam Clerici Osnabrugi Vicarius Monasterio magnam summam, mille, puto, florenos offerret dandos; sed responsum accepit, ut magis indigentibus donaret, cum hic jam victus, & vestitus competens habeatur. Testatur hoc Conventus in Osterberge, se ista summa sustentatum, & adjutum fassus. Fuit insuper sibi ipsi strenuus, & austerus, propria solatia non multum quæritans, tentatis vero, & afflictis consolatorius, & benignus, vitiorum durus expugnator, virtutes, & virtuosos paterne fovebat, magnæ super humanam æstimationem patientiæ vir; nam circa extrema sua, jam officio sponte, & cum precibus propter senium, & debilitatem resignato, paulatim gressus deficere cæpit, ut & vulnera pedum, crurum, & corporis fierent; tamen sic circa quadriennium a duobus Ministris levabatur, tractabatur, & deponebatur, ut nunquam murmuraret, reclamaret, sed semper gratus existeret. Unde sane liquet, Ipsum vel incomprehensibilem habuisse patientiam, vel membra magna ex parte præ-

mortua, quia ut lignum, contrectari potuit, alter quasi Joseph honoratus, Princeps Fratrum, Firmamentum gentis, Rector, & stabilimentum populi, & ossa Ipsius visitata sunt. Fuit denique homo corpulentus, statura magnus, ventre, & facie pinguis, grossis membris, vultu venerabili, & decoro, nigris superciliis, aspectu maturus, qui jam plus quam quinquagenarius in ordine usque ad canos pervenit. Tandem longa debilitate purgatus, & probatus, post Sacramenta percepta coram positis Fratribus, & orantibus dormiit cum Patribus suis, ingrediens in abundantia sepulchrum, ut infertur acervus tritici, anno 1491.

IX. GERHARDUS *von Dulcken*, obiit anno 1504. de quo nil Chronicon, nisi nomina assignat illorum, quos investiit. Hi sunt Priores de primo annorum centenario, ex Chronicis brevius extracti.

X. WILHELMUS de Embrica, simul in Dalheimb Prior, obiit anno 1513.

XI. WILHELMUS de Herenberg, obiit anno 1548.

XII. HENRICUS, seu Joannes Heeck prius 13. annis Procurator, & demum Prior; obiit 1562.

XIII. HERMANNUS Degnekamp.

XIV. JOANNES Fabritius ab Arnheimb, rexit 36. annis; circa, vel ante hunc Hæretici S. Christi, B. V. & SS. Imagines Canoniæ, ubi adhuc reservantur, truncare, manus, & pedes resecare, Libros Pergamenos Chori cultris inscindere non formidarunt, ut in margine notatur his verbis: *Hæ lacerationes sunt fructus Geuseorum, seu Hæreticorum, vel Calviniſtarum. Actum 1572.* quod & germanice extat. Nota, hoc anno magnam copiam Equitum, peditumque confluxisse, & ubique magnum damnum intulisse; ex quibus assiduis hostium incursionibus factum, ut Canonia ita affligeretur, ut, cum D. Fabritius debitis solvendis non sufficeret, a creditorum filiis captivatus fuerit, & hinc inde quibusdam occisis se transtulerit Oldensaliam cum Fratribus, unde repostulavit Eum Comes Bentemensis; ut patet ex Ejus Litteris ad Ipsum datis anno 1586. 19. Novemb. cujus Religiosi circa annum 1578. relicta Canonia, in oppidum Northorn ad commodam Domum a dictis Comitibus permutatione aliorum bonorum sibi comparatam se recepere; ubi post cæteros Fabritius anno 1611. obiit, relicto uno Conventuali, cui tunc a superioribus Ordinis (qui sine intermissione per se, & suos Delegatos ibi visitarunt) unus, & alius Religiosus pro Possessione Canoniæ, seu Domo refugii, in Burgo Northornensi servanda submissi Divina fecere, donec R. D. Quirinus Stegeman Prior ibi constitutus fuerit.

XV. QUIRINUS Stegeman, per 17. annos quondam Prior in Stralen, pro conservanda hac Canonia consideratis imminentibus periculis, & necessitate suprema, quæ Canoniæ Frenswegianæ a prima die ingressus Visitatorum a 13. Novembris, & deinceps 1626. a variis eidem intentari, & advenire propriis oculis vidit, attento quoque, quod Frenswegia in loco Hæretico existens, non nisi sub certi capitis Regimine, & Ordini, & Ecclesiæ conservari posset, sic defectu capitis (si forte nemo aliorum inter istas angustias se immissurus foret) reliqua ejusdem Canoniæ membra infirmiora reddi posse ad quorumcunque, invadere inhiantium temeritatem, & audaciam supprimendam, & tandem ad Laureolam S. Obedientiæ promerendam a nemine instigatus, aut coactus, sed pure propter Deum, & ad Ordinis, & Ecclesiæ S. profectum Prioratui jam optime constituto, & in temporalibus benedicto renuntians, Claves, & Sigilla Canoniæ Arenanæ in manus Reverendissimi P. & D. Joannis Scutrij ejusdem Ordinis, & Capituli Generalis ambabus manibus obtulit, & resignavit anno 1627. 30. Octobris, & ab eodem Generali, attendente super hoc filialem Venerabilis D. Quirini Stegeman subjectionem, considerata quoque Ipsius fidelitate, & in Ordinis, Religionisque profectum alacritate, & Zelo, in Priorem Frenswegiæ creatus, & confirmatus est 1628. 9. Aprilis. Huic ergo Priori Canonia debet, quod hactenus nobis, & Capitulo sit conservata; quam e faucibus Hæreticorum, ut bolum jam devorandum in loco hæretico fiducialiter, & constanter stans, & pugnans eripuit, ereptam, ut strenui militis normam tenere statuens, & stationem cum vitæ etiam discrimine junctam non deserens, ut Justitiæ Zelator pro ea proprio sanguine limina purpurare dignus inveniri cupiens defendit, & denique per nives, & algores fortissimos labore, molestiis, inedia, periculis captivationis, & mortis superatis strenue defensam D. Hermanno Raymundi, Procuratori suo conservandam reliquit. Strenuus ergo hic Canoniæ Defensor ad extrema veniens, propriis manibus sibi viaticum ministrans, peste obiit in Anniversario Professionis, & Primitiarum, & altera B. Quirini, Patroni sui die 1636. in Burgo Northornensi sepultus.

XVI.

XVI. HERMANNUS Raymundi, præclaris Prædeceſſoris veſtigiis ſtrenue inhærens, negotium Conventus ſui pro ſua dexteritate diſcreta optime compoſuit, & conſummavit, qui aliquando a Commiſſario Generali vocatus Zelator Ordinis, deſolatæ, & perviæ Eccleſiæ huic feneſtras dedit, hortos condidit, & de hac Canonia optime in omnibus meritus, denique totius Capituli Windeſemenſis Commiſſarius, & Progeneralis obiit anno 1654.

XVII. GODEFRIDUS a Bockoldt, Profeſſus in Viridi Valle prope Bruxellas, in Canonia Frenswegia iterum cæpit Novitios recipere, quorum primus eſt modernus Prior noſter, & quidam Rectores Sanctimonialium Ordinis S. Auguſtini in Diœceſi Monaſterienſi; a moderno Priore, ut Commiſſario, & Viſitatore Apoſtolico inſtituti ſunt. Hic Prior templum, ambitusque pervios a pecorum ſordibus purgari, ſummam aram Deo conſtrui, Organum, & ambonem fieri fecit, qui ſedecim annis Prioratus, quinto poſt Reſignationem in nativo Profeſſionis loco obiit 1676.

XVIII. JOANNES *von Vroonhoven*, a Capitularibus canonice electus, quatuordecim Fratribus ſuſceptis, 17. jam tum annis Canoniam hanc laudabiliter rexit, & adhuc regit.

Littera W.

WALDHAUSEN.

In Archi-Ducali Provincia ſuperioris Auſtriæ celeberrimum, & ex omnibus hactenus recenſitis nova Majeſtate ſua nulli ſecundum, præſtantiſſimum Canonicorum Regularium S. Auguſtini Collegium, Diœceſis Patavienſis S. Joanni Baptiſtæ, & Evangeliſtæ dedicatum, cujus Præpoſitus teſte Zeillero in Itinerario Germ. cap. 6. fol. 156. cum aliis ſupremis Statibus votum, & ſeſſionem habet in Comitiis Provinciæ. Fundationis Synopſin hanc nobis communicatam accipe: Comiti Conrado de Peylſtein erat Filius Regenbertus, poſtea Inſula Epiſcopali Paſſavienſi inſignitus, & Filia Jeatta, quam Conjugem duxit Otto Comes de Machland, abſolutus Dominus integri Provinciæ ſuperioris Auſtriæ quadrantis, vulgo *Machlandviertel* nuncupati, in quo Canonia hæc ſita eſt. Hic Comes, cujus pietas, & timor Domini individui comites erant, una tantum prole beatus maſculina, de pluribus procreandis ſpe cadens, potiorem partem de abundantia bonorum ſuorum ſingulari affectu, & devotione ductus, B. V. M. obtulit, ſuſcitans in Ejus honorem Eccleſiam cum contiguo Monaſterio *Baumgartenberg* vocato, quod pius Comes Alumnis S. Bernardi incolendum credidit anno 1143. Hoc ſancto opere tandem ſtabilito, unigenitus Comitis, unicus hæres fatis ceſſit. Orbatus ſic Pater baculo ſenectutis ſuæ, ultra progredi diffidens, & finem peregrinandi appropinquare advertens, ex inſtinctu S. Spiritus totam ſubſtantiam, uxore conſentiente, Deo, & S. Joanni Evangeliſtæ obtulit, & Regenberto dicto ſua bona tradidit, ut Eccleſiam, cum Cœnobio prope oppidum Walthauſen ædificari faciat, & in eo Canonicos Regulares S. Auguſtini, Deo jugiter laudes perſolventes conſiſtere curet; quod opus omni, qua par eſt, ſedulitate Regenbertus anno 1141. inchoavit, & cæptum quadriennio perfecit, perfectum Facultatibus auxit, varias conferens Parochias, & Beneficia. Perfecto ergo opere, anno 1147. Fundator primarius, Comes Otto quievit ab univerſo opere, & anno altero 1148. plenus dierum, & meritorum, requievit, tumulatus in dicto Monaſterio Ordinis Ciſter: Montis Pomarij, ſuſpenſis inverſo modo Inſigniis gentis; in illo enim defecit Illuſtriſſima Proſapia horum Comitum, cujus memoria in Benedictione eſt, & nomen vivet in æternum, affluentibus enim bonis, & divitiis cor non appoſuit, ſed ſic expoſuit, ut cum fenore recipiat cenſum in cœlis.

Syllabus

Reverendiſſimorum DD. Prælatorum Collegiatæ Eccleſiæ Waldhuſianæ in ſuperiore Auſtria Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini.

I. HENRICUS electus anno 1147. obiit 1151.

II. SALKERUS electus anno 1151. obiit anno 1162. &c.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

III. FRIDERICUS de Lüntz, electus anno 1162. rexit quinquennio, obiit 1167.

IV. ALBERTUS, electus 1168. rexit annis 11. obiit 1179.

V. HERTANDUS, electus 1180. rexit annis 12. obiit 1196.

VI. MANGOLDUS, electus 1196. rexit annis 4. obiit 1200.

VII. BERCHTOLDUS, electus 1200. rexit annis 6. obiit 1206.

VIII. MARSILIUS, electus anno 1206. rexit annis 18. obiit anno 1224.

IX. SIGHARDUS, electus 1224. rexit annis 3. obiit 1227.

X. HERRANDUS, electus anno 1227. rexit annis 5. obiit anno 1232.

XI. DIETMARUS, electus anno 1232. rexit annis 4. obiit anno 1236.

XII. ERTBICUS, electus anno 1236. rexit annis 6. obiit 1242. auxit Fundationem industria sua.

XIII. OTTO, electus 1242. rexit annis 11. obiit 1254. fato malo submersus.

XIV. EMBICUS, electus 1254. rexit 2. annis, 6. mens. obiit 1256.

XV. FRIDERICUS II. electus 1256. rexit 4. annis, obiit 1260.

XVI. PAULUS Rieder *von Ybs* inferioris Austriæ, electus anno 1260. rexit 4. annis, obiit 1264.

XVII. FRIDERICUS III. electus 1264. rexit 22. annis, obiit 1686.

XVIII. RUDIGERUS, electus 1286. rexit anno 1. obiit 1287.

XIX. JOANNES *von Weyden*, electus 1287. rexit annis 4. obiit 1291.

XX. BERCHTOLDUS II. electus 1291. rexit annis 16. obiit 1307.

XXI. HENRICUS II. electus 1307. rexit annis 3. obiit 1310.

XXII. GERUNGUS, electus 1310. rexit 7. annis, obiit 1317. resignavit 1317.

XXIII. UDALRICUS Pernauer, electus 1317. rexit anno 1. obiit 1318.

XXIV. WISENDO Stözendorffer, electus 1318. rexit annis 30. obiit 1348. fundationem auxit.

XXV. JOANNES Redlprunner, bene meritus de bono publico, electus 1348. rexit annis 15. obiit 1363.

XXVI. FRIDERICUS IV. electus anno 1363. rexit præclare annis 19. obiit 1382.

XXVII. RAMUNGUS Stainer, electus 1382. rexit annis 8. obiit 1390.

XXVIII. HENRICUS Schweinböckh, bene meritus, electus anno 1390. rexit annis 23. obiit 1413.

XXIX. JOANNES Nürnberger, electus 1413. rexit anno 1. obiit 1414.

XXX. OTTO Schweinböckh, electus 1414. rexit annis 29. obiit 1449. resignavit anno 1443. sub quo bis est diruta, & direpta Ecclesia per Husitas, hæreticos Bohemiæ.

XXXI. MARTINUS Leystenstreidt erector Collegii, electus anno 1443. rexit annis 14. obiit anno 1457. dirutæ Ecclesiæ suæ Resuscitator magnificus.

XXXII. HENRICUS Steinreutter, electus anno 1457. rexit annis 3. resignavit 1460. obiit anno 1463.

XXXIII. PAULUS II. electus anno 1460. rexit annis 4. obiit 1465. sub quo rursus Ecclesia militum furore ferme ruinam passa est; ideo tristi animo perpeti coactus præfuit.

XXXIV. ERHARDUS Meydthart, electus 1465. rexit annis 10. obiit 1475. exactionibus multis afflictus, eluctabatur tamen.

XXXV. ERHARDUS *Saumarckbter* Walthusianus electus anno 1475. rexit annis 13. obiit 1493. resignavit anno 1488. laboribus, & ætate fractus, obiit 1493.

XXXVI. JOANNES *Welser*, electus anno 1488. rexit annis 2. obiit 1490.

XXXVII. MARTINUS II. *Scheitzlach von Perg*, electus 1490. rexit annis 10. obiit 1500.

XXXVIII.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XXXVIII. CONRADUS I. Schrot de Steinwiſen, pluribus titulis ſpecialiter emeritus, electus 1500. rexit annis 30. obiit 1530.

XXXIX. CONRADUS II. *Weger von Sarmingſtein*, electus 1530. rexit annis 12. obiit 1542.

XL. MICHAEL *Sonleitner von Sarmingſtein*, electus anno 1542. rexit annis 19. obiit 1565. ætate factus cæcus reſignavit 1561.

XLI. ALEXANDER Puechner, electus anno 1561. poſt 18. menſes media nocte obiit anno 1562.

XLII. JOANNES IV. Kögl *von Pabneukirchen*, electus anno 1562. rexit annis 16. de equo dormiens cecidit in fauces mortis anno 1577.

XLIII. HERMANNUS Portenreuter *von Dimbach*, electus anno 1577. non ſolum de Collegio ſuo, ſed & tota Provincia, & communi Patriæ ſalute ſtrenue promeritus, ut in Actis publicis omnimode laudatur, rexit annis 35. obiit anno 1612.

XLIV. THOMAS Parſtorffer de Leobendorff, electus anno 1612. poſt menſes 18. obiit 1613.

XLV. MAXIMILIANUS Ratgeb de Sarmingſtein, Præſul induſtrius, & per omnia bene meritus juſtiſſime commendatur, electus anno 1613. rexit annis 33. obiit anno 1647.

XLVI. LAURENTIUS Vos Walthuſianus, Collegium in modernum poſuit decorem, & aliis muniit cenſibus, electus anno 1647. rexit annis 33. obiit 1680.

XLVII. MARCELLINUS *Wilhelm von Lüntz*, electus anno 1680. rexit annis 3. obiit 1684.

XLVIII. AUGUSTINUS de Sonnau Ungarus, electus anno 1684. ſecundas Primitias celebravit anno 1716. 14. Septembris &c.

XLIX. JOSEPHUS &c.

WALDSEENSE.

Celeberrimum noſtris temporibus ejusdem nominis oppido (cujus ſufficientem deſcriptionem habemus apud Zeillerum in Typographia Sueviæ folio 211.) Canonicum Auguſtinianorum Collegium Diœceſis Conſtantienſis in ſuperiore Suevia S. Petro, Apoſtolorum Principi dedicatum. Excitavit hoc anno 1181. fundavitque Cæſarea munificentia Fridericus I. cognomento Barbaroſſa, Romanorum Imperator, & Sueviæ Dux &c. factum etiam eſt ſtatim ab initio fundationis de conſilio, & conſenſu Hermanni II. hujus nominis, Epiſcopi Conſtantienſis, quod Præpoſitus Waldſeenſis cum univerſis ſubditis ſuis nulla teneantur obedientia, & ſubjectione Archi-Diaconis Diœceſanis, ſeu Decanis ſæcularibus præſtanda, ſed tantum obediant ſuis Epiſcopis &c. prout diſtincte cavetur in propriis hujus fundationis litteris, ad pleniorem rei geſtæ notitiam copialiter hic appoſitis, juxta hunc tenorem:

In nomine SS. & Individuæ Trinitatis.

FRIDERICUS divina favente Clementia Rom. Imper. Auguſtus.

Noverint omnes Imperii noſtri fideles, quod nos de Parochiali Eccleſia in Waldſee Collegium fecimus, & Conventum Fratrum de Regula S. Auguſtini ibi conſtituimus, cum hac libertate, ut, cum vacaverit Præpoſitura, plenam fratres poteſtatem habeant eligendi Præpoſitum, Deo, & hominibus complacentem; factum eſt etiam conſilio, & conſenſu Hermanni Conſtantienſis Epiſcopi, quod Præpoſitus loci illius, & ſubditi ſui nulla obedientia, & ſubjectione teneantur Archi-Diaconis, & Decanis; ſed tantum ſuis obediant Epiſcopis. Præpoſitus Præpoſituram de manu Ducis Suevorum recipiat, nec ullam habeat poteſtatem bona Eccleſiæ illius alienandi, vel obligandi: quod ſi fecerit in irritum reducatur. Dux Suevorum, & Præpoſitus Eccleſiæ in Waldſee ipſum locum, & bona ei attinentia manu teneant, & defendant. Item, ſi Miniſteriales corporis, & animi compotes fuerint, & prædia ſua, vel res mobiles Eidem Conventui concedere voluerint, licentia noſtra concedimus, & confirmamus, ni forte prolem legitimam habeant. Item Cenſualibus liberis, & hominibus cujusque conditionis hoc damus Privilegium, ut nullus hominum eos, qui ad ipſum locum pertinent, nomine beneficii vendicet. Volumus etiam, ut Miniſteriales hanc habeant poteſtatem, ut, ubicunque obierint, & ſepulturam expetierint, in eadem Eccleſia ſine contradictione obtineant. Notum etiam eſſe volumus,

quod Miniſteriales de Waldſee ad Ducatum pertinent, & de conditione ſui Juris nulli, niſi Duci Suevorum reſpondere debent. Item ſtatuimus, quod Præpoſitus ejusdem loci nec Jus, nec poteſtatem habeat, res, & bona Eccleſiæ diſtrahendi nomine pignoris, vel beneficii, vel venditionis. Ut igitur hæc omnia rata, & incommutabilia permaneant, præſentem paginam Imperiali ſigillo juſſimus inſigniri, & noſtræ Majeſtatis auctoritate corroborari, ſtatuentes, ut, qui præſenti Privilegio obviare attemptarit, L. libras auri pro ſatisfactione componat, dimidiam partem noſtræ Cameræ, reliquam ipſi Clauſtro aſſignaturus. Hujus rei teſtes ſunt Berchtoldus Epiſcopus Conſtantienſis, Everhardus de Waldſee, & Conradus, Berchtoldus Everhardi filius, Berchtoldus & Everhardus de Thanne, Berchtoldus de Nictertraue, Henricus de Winterſteden, & alii quamplures.

Signum Domini Friderici Romanorum Imperatoris Invictiſſimi.

Ego Godefridus Imperialis Aulæ Cancellarius vice Chriſtiani Moguntini Archi-Epiſcopi, & Archi-Cancellarii recognovi.

Acta ſunt hæc anno MCLXXXI. Indictione 4. Regnante Domino Friderico Rom. Imperatore Glorioſiſſimo anno Regni ejus 30. Imperii vero 27.

Datum Ulmæ 4. Idus Maji feliciter amen.

(L.S.)

Eandem fundationem Waldſeenſem referunt & Bruſchius de Monaſteriis Germaniæ folio mihi 179. Cruſius in Annalibus Sueviæ Parte 2. Libro 11. c. 122. Zeillerus in Chronico Sueviæ folio 666. & noviſſime Bucelinus in Germania Sacra Parte 2. folio 91. ubi & multos Barones, hodie Comites, Dapiferos de Waldburg in hoc Cœnobio ſepultos commemorat.

Taliter ergo Parochiali Eccleſiæ Waldſeenſi in Monaſterium cooptata, & Canonicis Auguſtinianis iſthuc loci ſolemniter inductis ſupremi Rectores, ſeu Præpoſiti, & Abbates eidem temporibus præſediſſe leguntur, infra ponendi poſt Privilegia.

Privilegium Apoſtolicum Alexandri IV. P. M.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis, Præpoſito, & Conventui in Waldſee Ordinis S. Auguſtini Conſtantienſis Diœceſis ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Veſtræ meritis devotionis inducimur, ut vos ſpeciali gratia proſequamur. Cum itaque Monaſterium veſtrum, ut accepimus, propter Guerrarum incurſus ſit in bonis temporalibus non modicum diminutum, Nos propter hoc veſtris ſupplicationibus annuentes, authoritate vobis præſentium indulgemus, ut ad receptionem, & proviſionem alicujus in penſionibus, vel Beneficiis Eccleſiaſticis non teneamini per Litteras Apoſtolicas, quæ de indulgentia hujusmodi plenam, & expreſſam non fecerint mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum noverit incurſurum. Datum Viterbii quinto Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno quarto.

Privilegium 2. ejusdem P. M.

Alexander Epiſcopus ſervorum Dei dilectis filiis, Præpoſito Monaſterii in Waldſee, ejusdem Fratribus tam præſentibus, quam futuris Regularem vitam profeſſis in perpetuam rei memoriam. Religioſam vitam eligentibus Apoſtolicum convenit adeſſe præſidium, ne forte cujuslibet incurſus eos a propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacræ Religionis infringat. Ea propter dilecti in Domino filii veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Monaſterium in Waldſee Conſtantienſis Diœceſis, in quo divino eſtis obſequio mancipati, ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti Privilegio communimus; in primis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo Canonicus, qui ſecundum Deum, & B. Auguſtini Regulam, & inſtitutionem Præmonſtratenſium fratrum in eodem Monaſterio inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibi temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quascunque poſſeſſiones, quæcunque bona idem Monaſterium in præſentiarum juſte, & Canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis, veſtrisque Succeſſoribus permaneant; liceat quoque vobis Clericos, vel Laicos liberos, & abſolutos, e ſæculo fugientes ad converſionem recipere,

pere, & absque contradictione retinere. Prohibemus insuper, ut nulli Fratrum vestrorum post factam in Monasterio vestro Professionem fas sit, sine Præpositi sui licentia, nisi arctioris Religionis obtentu, de eodem loco discedere, discedentem vero absque communium Litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis, & interdictis, non pulsatis campanis, dummodo causam non dederitis interdicto, suppressa voce divina officia celebrare; Chrysma vero, oleum sanctum, consecrationes Altarium, seu Basilicarum, Ordinationes Clericorum, qui ad Ordines fuerint promovendi, a Diœcesano suscipietis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam, & Communionem Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Probibemus insuper, ut infra fines Parochiæ Jure nullus sine assensu Diœcesani Episcopi, & vestro Capellam, seu Oratorium de novo construere audeat, salvis Privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hæc novas, & indebitas exactiones ab Archi Episcopis, Episcopis, Archi-Diaconis, seu Decanis, aliisque omnibus Ecclesiasticis, sæcularibusve personis a vobis fieri omnino probibemus; sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberarint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, aut etiam publice usurarii, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas præterea, & possessiones, ad jus Ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ a Laicis detinentur, redimendi, & legitime liberandi de manibus eorumdem, & ad Ecclesias, ad quas pertinent, libera sit vobis de nostra authoritate facultas; obeunte vero te nunc Præposito ejusdem loci, vel tuorum quolibet Successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum major pars consilii sanioris secundum Deum, & B. Augustini Regulam providerint eligendum; paci quoque, & tranquillitati vestræ paterna in posterum solicitudine providere volentes, authoritate Apostolica probibemus, ut infra clausuras locorum, seu grangiarum vestrarum nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem tenere capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Demum omnes libertates, & immunitates a Prædecessoribus nostris, Romanis Pontificibus Monasterio vestro concessas, nec non libertates, & exemptiones sæcularium exactionum, a Regibus, & Principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas Authoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti Privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorumque, pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ Authoritate, & Diœcesani Episcopi Canonica Justitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, vel sæcularis persona banc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo, vel tertio commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, & honoris sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore, & sanguine Dei aliena fiat, & in extremo examine districtæ subjaceat ultioni; cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen. ALLL *amen.*

Signum seu Sigillum: Suscipe, Domine servum in bonum; *S. Petrus, S. Paulus, Alexander Papa IV.*

Ego Alexander Ecclesiæ Catholicæ Episcopus.

Ego frater Joannes S. Laurentii in Lucin. Presbyter *Cardinalis,*
Ego frater Hugo &c. & S. Sabinæ Presbyter Cardinalis,
Ego Odo Tusculanensis Episcopus,
Ego Stephanus Prænestinus Episcopus,
Ego Riccardus S. Angeli Diaconus Cardinalis,
Ego Octavianus S. Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis,
Ego Petrus S. Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis,
Ego Joannes S. Nicolai in carcere Tullian. Diaconus Cardinalis.

Datum Viterbii per manum Magistri Jordani S. R. E. Notarii, & Vice-Cancellarii V. Kalendas Maji Indictione 1. anno MCCLVIII. Pontificatus D. Alexandri Papæ IV. quarto.

Litteræ Celsissimi, & Reverendissimi Principis D. Archi-Episcopi Cybo ad Reverendissimum Michaëlem, Abbatem Waldseensem sub dato 7. Aprilis anno 1685. directæ.

Reverendissime Pater!

„ Cum Monasterium, & Capitulum istud in Congregationem Lateranensem susci-
„ curavit, numquam cum Patre Abbate Antecessore Paternitatis vestræ Reve-
„ rendissimæ communicavi, sed totum negotium cum P. Michaële Angelo Capucino,
„ & ad ejus instantiam egi, nec est mirum, quod Patres præfati nil ad me scripserint,
„ sicuti superflua se reddit gratiarum actio, qua me prosequi dignati sunt. Verum
„ tanto majori vinculo obstrictum me fateor, quod uberioribus animi significationi-
„ bus compensare, quidquid a me in consecutione illius indulti actum est, voluerint,
„ ex quo nova mihi sese offert occasio, P. V. Reverendissimam, & Capitulum istud
„ certiorandi, me ad majora Ei etiam servitia præstanda promptum fore, quoties ab
„ eorum indigentiis requisitus ero, & P. V. Reverendissimam experiri non gravabi-
„ tur, sicuti Enixe exoro, dum remaneo

P. V. Reverendissimæ

studiosissimus semper

Odoardus Cybo Archi-Episcopus Seleuciæ.

Romæ 7. Aprilis 1685. superscriptio Litterarum: Reverendissimo P.P. Michaëli Abbati Can. Reg. Congreg. Lateranensis in Waldsee.

Litteræ Reverendissimi D. Abbatis Provincialis Generalis Pauli Æmilii Mavæi ad Reverendissimum Michaëlem Abbatem Waldseensem sub dato 12. Aprilis 1685. exaratæ.

Reverendissime D. Patrone Observandissime!

„ Redditæ mihi fuerunt litteræ a Dominatione tua Reverendissima, Antecessori meo
„ exaratæ; Missam B. V. pro Congregatione nostra cantatam uberrimum qui-
„ dem emolumentum, certificatio autem de persolutione tot tantisque humanis ver-
„ bis data, sicuti Dominationis tuæ Reverendissimæ, istiusque Venerabilis Capituli
„ summæ benevolentiæ pignus est evidens, ita adæquati amoris amplexus totius Con-
„ gregationis nomine iterare me devinctum fateor. Privilegiorum librum statim, ac
„ in lucem editum certior factus ero, huc mitti curabo. Precor interim altissimum,
„ ut Dominationi tuæ Reverendissimæ, & Venerabili Capitulo prosperitates sine ra-
„ dio accumulare non dedignetur, mihique opportunitatem demonstrandi, me esse
„ Dominationis tuæ devinctissimum servum D. Paulus Æmilius Maphæus Abb. Ge-
„ neralis. Romæ die 12. Aprilis 1685. superscriptio: Reverendissimo D. meo Patro-
„ no observandissimo P. Abbati Michaëli Cann. Reg. in Waldsee.

Series

Abbatum Can. Reg. Ord. S. Augustini ad Divum Petrum in Oppido Waldseensi ab anno 1181.

I. Præpositus BERTHOLDUS *e Familia Comitum de Monte Sancto*, & DD. sive Baronum de Waldsee anno 1181. quo hæc Canonia fundata est. De hujus diuturnitate Regiminis, & probatiore obitu ob temporum iniquitatem, & scriptorum silentium nil liquet.

II. RUDOLPHUS, Nobilis de Prato, de cujus monumentis, & præclare factis præter Familiam ad nostram memoriam nil uspiam hactenus venit, nisi, quod rexerit circa annum 1200. & supra.

III. HENRICUS I. sub quo 1258. gemino Diplomate Alexander IV. P. M. Canoniam Privilegiis amplissimis communiit, quorum in priore 5. Kalendas Aprilis dato Præpositum, & Canonicos ob damna per Guerrarum incursus Monasterio illata liberat, & eximit a Pensionibus, vel Beneficiis Ecclesiasticis persolvendis. Altero 5. Kalendas Maij consignato Collegium hoc suscipit sub Protectionem Sedis Apostolicæ,

alia-

aliaque plurima confert &c. Bulla Alexandri quarti hæc est: *Alexander Episcopus, servus servorum Dei, dilectis Filiis, Præposito & Conventui in Waldsee Ordinis S. Augustini Constantiensis Diœcesis Salutem, & Apostolicam Benedictionem* &c. ut supra.

IV. CONRADUS I. quamdiu regnarit, nil liquet.

V. HENRICUS II. promovit ætatem, & Regimen ad annum 1326.

VI. CONRADUS II. ex Familia Comitum de Sulgen, quousque provixerit, nil nobis monimenta exhibent.

VII. HENRICUS de Veringen Comes, tertius hujus nominis, sub hoc, morum integritate, & vitæ Sanctimonia claro anno 1351. vel 1381. Ecclesia in Reithen *in dem Haistergeu* omnimode Canoniæ huic incorporata est ab Udalrico Constantiensi Episcopo, pleno jure.

VIII. JACOBUS de Waldsee Baro, & D. de Waldsee, primus hujus nominis.

IX. HENRICUS IV. de Thann.

X. JOANNES de Monte Zürch, seu Monasterio S. Martini in monte urbis Tigurinæ apud Helveros postulatus.

XI. WOLFFARDUS, Nobilis de Wolffurth, Suevus.

XII. CONRADUS Wiser ex Imperii Oppido Wangen, vivere, & præesse desiit anno 1387.

XIII. JACOBUS II. Spet, Nobilis de Zwifalten, sub quo ita molestus erat Status Canoniæ, bonis, & prædiis ut plurimum alienatis, vel distractis illicite; unde, ut illa ad Jus, & proprietatem pristinam legitime revocarentur, Bonifacius IX. P. M. anno 1392. 11. Idibus Novembris, Pontificatus sui 4. speciali Diplomate id mandavit Perusii Cantori Ecclesiæ Collegiatæ S. Joannis Constantiæ.

XIV. JACOBUS III. Meterser, virtutum splendore, & rebus præclare, & utiliter gestis præstantissimus, de hac Canonia inter primos optime meritus, uti monumenta Waldseensia fusius docent, quibusdam Sororibus S. Francisci tertiæ Regulæ in Reithen pago, sibi, & Canoniæ subjecto, fundoque illis concesso Incluforium adornare, molirique ad instantiam Venerabilis D. Conradi Kigelin, hujus Canoniæ Canonici, & dictarum devotarum fœminarum Confessarii, & Promotoris ædificii concessit. Ut ergo hic Incluforium, & Fundum pro iis Virginibus annuit, ita hic Conradus omnem operam, ut secundarius Fundator impendit, & insumpsit, ut plenis quasi numeris absoluta esset. &c.

XV. CONRADUS Kigelin III. quem ob eximium Sanctimoniæ splendorem, & bonam Elisabetham, octam ex Waldsee, Virginem Venerabilem Ordinis S. Francisci vitæ Sanctitate, admiranda abstinentia, & prodigiis illustrem, Christo Evcharistico mire dilectam, & ejusdem patientis doloribus, & plagis in corpore insignitam, natam mundo anno 1386. cœlo anno 1420. quamque a primis adolescentiæ annis ad ipsa admirandæ, & supremæ Sanctitatis prodigia, & fastigia evexit, clarum, & memorandum habemus, præsertim quo amore efflagrarit in efformanda bona illa Reithensi diva, quantos consumpserit nervos, & labores, quam impense sudarit in extruendo illo Incluforio, quid operis, & sumptuum insumpserit in eruendo, & procurando fonte, quam fidelis adstiterit Curator, & Lucrator animarum, & conscientiarum Director, & Exhortator assiduus durarit in primis illis Sanctimonialibus Reithensibus, testatur ipsa Elisabetha Bona sub præfato, & nunquam sat laudato Præposito, a Summo Pontifice D. Martino quinto Mandatum Apostolicum in Concilio Constantiensi huic Canoniæ contra retentores bonorum, quæ illis Canonicis lupi rapaces abstulere. Cum itaque decennio præfuisset laudatissime Conradus, anno 1428. ipsis Kalendis Junij Filiæ suæ spirituali dictæ se sociavit in cœlis; illa vero obiit anno ætatis suæ 35. Thavmaturga Sueviæ communiter appellata, ante, & post mortem miraculis clara; cujus vitæ Historiam simpliciter, & fideliter, ut vidit, ad posterorum memoriam scriptis commendavit pijssimæ Virginis Magister dictus; quam dein terso, & polito Stylo coordinavit, & Ferdinando II. Romanorum Imperatori inscripsit, qui sub annum 1640. claruit, R. & Prænobilis D. Peregrinus a Pflaumeren, Canonicus Waldseensis.

XVI. PETRUS Mæchhaber ex Hopfenweiler, rexit laudabiliter 22. annis, de D. Petro, tutelari, & ejus Familia Canonica egregie mereri Studiosus.

XVII. HENRICUS quartus Fuchs ex Marckhdorff, felicissimus inter alios, & longe meritissimus, ob insignia, quæ Canoniæ sane vigilantissimus beneficia præstitit, 40. annis in Officio exactis obiit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XVIII. LUCAS Horber, Nobilis de Ringenberg, Commendator Maximiliani Rom. Regis Conſiliarius circa annum 1501. anno 10. Alexandri VI. P. M. Collegiatæ Eccleſiæ Novæ-Cellenſis, & Waldſeenſis arctius charitatis vinculo conſtrictos cupiens Sanctitatis Fœdus, quo vivi, & mortui de meritis, & operibus bonis utrinque perſolutis communicamus, intituit; anno 1503. pie obiit.

XIX. ADAM Molitor ex Wurzach, obiit anno 1523. 5. Maij, cum præfuiſſet annis 20. menſibus 3. diebus 12. Monaſteria duo recepit in Societatem Confraternitatis, Sorethanum, Ord. Præmonſtratenſium anno 1515. pridie Idus Septembris, alterum Chartuſianorum Aulæ B. V. in Buxheim, quorum ſimilem Confraternitatem ſancivit anno 1516. 17. Kalendas Junij ſub Priore Georgio Mentelin, olim Waldſeenſi Decano, & Con-Canonico, poſtea ibi Chartuſiano, ſanctæ vitæ homine &c.

XX. HIERONYMUS Schleich ex Haiſterkirch, electus 6. Maij anno 1523. aſſumptus poſtea in Pro-Epiſcopum Brixinenſem, & Concionatorem in Cathedrali, obiit 1550. 6. Maij. ſpeciali pietate, & doctrina clariſſimus, cujus vox, ut in tabulas relatum legimus, inſtar tubæ reſonabat; unde meritis auctus honoribus ibi diu pro ſacris dixit roſtris: Ut autem ſe & ad poſteros nobilitaret, inſigne volumen Concionum, ſuæ fructus doctrinæ reliquit, etiamnum aſſervatos in Bibliotheca Waldſeenſi, & tandem magni gloria nominis deceſſit anno 1550.

XXI. CHRISTOPHORUS Kloker ex Babenhauſen, obiit 1567. 5. Januarij, ab Henrico Pantaleone parte 3. ſub anno 1552. inter Viros Germaniæ Illuſtres numeratus.

XXII. MICHAEL Rubin I. ex Oppido Marckhdorff, obiit 1586. 7. Maij inſigniter meritus de hac Canonia; ſed nec hoc ſilendum, illum una cum Reverendiſſimo D. Hieronymo Wettenhuſano, & Antonio S. Crucis Auguſtæ Vindelicæ Præpoſitis Commentaria D. D. Hugonis noſtri S. Victoris, & Humberti, ex Ordine Prædicatorum Generalis ſuper Regulam noſtram anno 1581. Dilingæ ex prælo, multorum hodie uſui in lucem promoviſſe; recte enim ibi in Præfatione ita legimus: *Quare, ſi magnæ Reverendiſſimo D. Balthaſari, Abbati, & Principi Fuldæ, gratiæ a bonis habentur, quod ejus opera tam præclare ornata D. Benedicti Regula nuper prodierit, erit profecto & ſuus gratiæ habendæ locus RR. DD. Michaëli Waldſeenſi, Antonio S. Crucis Auguſtæ, & Hieronymo Wettenbuſano C. R. Præpoſitis, quorum ſtudio hoc opus e tenebris, & interitu prope vindicatum, in publicum commodum, & inſtitutionem profertur* &c. Interfuit & Synodo Conſtantiæ ſub Marco Sithico, Cardinale, & Epiſcopo habitæ anno 1567. unicus ex Ordinis Canonici Præpoſitis, excepto Abbate Wilhelmo Creuzlingenſi. &c. Vitæ laudes produnt hi Verſus:

Juſtitiæ cultor fuit, & pietatis amator,
Pectore verſavit Religionis opus.
Rebus in anguſtis miſeris ſuccurrere novit,
Illius ex oculis lætus abivit inops.
Conſilio valuit, juvit quoque ſæpe carentes,
Vix ſophia magna cuique ſecundus erat.
Sacratam multum pretioſis veſtibus ædem
Dotavit, pulchrisque auxit imaginibus.
Impenſis fieri curavit & organa magnis,
Pectora quæ ſurſum ad cœlica regna trahant.
Prædia culta dedit clauſtro, jure, atque labore
Parta, quibus multis eſſet ut auxilio.

XXIII. JACOBUS quartus Haine ex Eberhardszell ortus, obiit anno 1608. 17. Novembris. Multa inſignia geſta ſubticens, & hoc laudabile invenio, quod primus fuerit, qui de viris in omni Diſciplinarum, & Litterarum genere verſatiſſimis proſpiceret, & ad almam Epiſcopi Auguſtæ Academiam Dilingæ Clericos Canonicos Profeſſos mitteret &c.

XXIV. MICHAEL II. Spiegler ex Rauchenwis, ſucceſſit anno 1609. Vir in B. V. Studioſus, Oeconomus inſignis, obiit anno 1630. ſacratiori virtutum ſtudio deditiſſimus, & feliciſſimus.

XXV. *Abbas primus*, Pontificalibus ornatus MICHAEL tertius Geiger, ex Langenargen, anno 1617. de hac Facultate, & Dignitate ſibi proſpexit apud Ludovicum Nuntium Apoſtolicum, & tertio, quartoque poſt anno omni adniſu incubuit, ut

&

& ipsa Pontificalia largo Diplomate a SS. Paulo quinto, & mox eo ante expeditionem mortuo a Successore Gregorio 15. anno 1621. impetrarit. Diploma ipsum infra scribetur. Inter cætera præclara facinora omnium erat celeberrimus a splendido uno Reithensi Bonæ Bethæ templo ædificato, quod ita celebre ob præfatam D. V. ut adnotatum sit anno 1626. uno mense a Festo natæ B. V. in Septembri usque ad Festum S. Michaëlis confessione se expiasse, & ad Divinam accessisse mensam 1700. Divina Sacrificia ad aras facta 600. Resignavit sponte, paulo post morte succedente anno 1632. 5. Novembris.

Privilegium Gregorij XV. quo confert Præpositis Waldseensibus, nunc Abbatibus, Pontificalia.

„ Ad perpetuam rei memoriam. Æquum reputamus, & congruum, ut ea, quæ de
„ Romani Pontificis gratia processere, licet ejus superveniente obitu litteræ de-
„ super confectæ non fuerint, suum debitum consequantur effectum; dudum siqui-
„ dem felicis rec. Paulo P. P. 5. Prædecessori nostro pro parte dilectorum Filiorum,
„ Michaëlis Abbatis Præpositi nuncupati Monasterii Can. Reg. Ordinis S. Augustini
„ Oppidi Waldsee Constantiensis Diœcesis. Provinciæ Mogunt. exposito, quod cum
„ præfatum Monasterium sub Apostolicæ Sedis Protectione receptum magno numero
„ Religiosorum, in eo degentium, eorumque vita exemplari, & Regularis Disciplinæ
„ ibi observantia admodum insigne, illiusque Abbati Præposito nuncupato, pro tem-
„ pore existenti plures Parochiales Ecclesiæ, & non nulla alia loca subjecta existerent,
„ & in eadem expositione subjuncto, quodsi præfato Abbati usus Mitræ, & Baculi Pa-
„ storialium concederetur, sane decori dicti Monasterii plurimum consultum foret,
„ & exin Divinus cultus, & pietas fidelium incrementum susciperet. Quare pro
„ parte tam Venerabilis Fratris Jacobi, Episcopi Constantiensis dictæ Provinciæ, quam
„ Michaëlis Abbatis, & Conventus Præfatorum eidem Prædecessori humiliter supplicato, quatenus in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica digna-
„ retur, idem Prædecessor Michaëlem Abbatem, & Conventus singulares Personas
„ a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis
„ Sententiis, Censuris, & Pœnis, a Jure, vel homine quavis occasione, vel causa latis,
„ siquibus quomodolibet innodati existerent, ad effectum infra scriptorum duntaxat
„ consequendum absolvens, & absolutos fore censens, hujusmodi supplicationibus
„ tunc inclinatus, sub dat. ult. Quarto Calendas Octobris Pontificatus sui anno sexto
„ decimo, dicto Michaëli Abbati, & ejus Successoribus pro tempore existentibus, ut
„ Mitra, & Baculo Pastoralibus, Sandaliis, & Chirothecis, & aliis Pontificalibus In-
„ signiis uti, & ea deferre, & gestare, & in dicti Monasterii, & Prioratuum ab eo de-
„ pendentium, ac Parochialibus ei, ut ponitur, subjectis, nec non omnibus aliis Ec-
„ clesiis, & locis Ecclesiasticis, in quibus eum in Pontificalibus celebrare contigisset,
„ Benedictionem solemnem post Missarum, Matutinarum, Vesperarum, & aliorum
„ Divinorum Officiorum celebrationem super populum ibi interessentem, dummodo
„ alius Antistes, seu Sedis Apostolicæ Legatus ibi præsens non esset, &, si præsens
„ fuisset, ejus ad hoc accederet assensus, Apostolica authoritate elargitus est, nec non
„ quascunque cruces, pallas, vestes, capsulas, & alia ornamenta, & indumenta
„ Ecclesiastica, mappas, imagines, vasa, thuribula, tabernacula, etiam in quibus
„ Evchariſtiæ Sacramentum conservabatur, & Reliquiæ, exceptis tamen iis, in quibus
„ Sacri Olei, vel Chrismatis unctio requirebatur, pro Monasterio, Prioratibus, Paro-
„ chialibus, & aliis Ecclesiis, Capellis, & Altaribus prædicto Monasterio subjectis,
„ illorumque usu benedicere, & consecrare, nec non Ecclesias, & Cæmeteria, & alia
„ loca sacra, dicto Monasterio subjecta, injuria temporum, seu sanguinis, vel seminis
„ humani effusione, vel alias quomodolibet polluta per aquæ, prius ab aliquo Catho-
„ lico Antistite, gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentem, ut moris est,
„ benedictæ aspersionem, & aliis solitis solemnitatibus, & ceremoniis debite servatis
„ reconciliare libere, & licite posset, dicta Authoritate perpetuo concessit, eosque
„ super præmissis, & illorum occasione a quoquam directe, vel indirecte, quovis quæ-
„ sito colore, vel ingenio molestari, aut perturbari, vel inquietari nullatenus unquam
„ posse, irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam quavis authoritate,
„ scienter, vel ignoranter contingeret attentari, dicta authoritate decrevit, non ob-
„ stantibus præmissis, & piæ memoriæ Honorii tertii, & Alexandri quarti, & aliorum
„ Romanorum Pontificum, Prædecessorum nostrorum, & aliis Constitutionibus, &
„ Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Ne autem de
„ absolutione, elargitione, concessione, indulto, & Decreto prædictis, pro eo, quod
„ ipsius Pauli Prædecessoris ejus superveniente obitu litteræ desuper confectæ non

„ fuerunt, valeat quomodolibet hæſitari, dictique Michaël Abbas, & Conventus illo-
„ rum fruſtrentur effectu, volumus, & dicta Apoſtolica Authoritate decernimus, quod
„ abſolutio, elargitio, Conceſſio, Indultum, & Decretum Pauli Prædeceſſoris hujus-
„ modi ſuum ſortiantur effectum, perinde, acſi a die quarto Kalendas Octobris ſuper
„ illis ipſius Pauli Prædeceſſoris Litteræ ſub ejusdem diei dato confectæ fuiſſent, ut
„ ſuperius enarratur, quodque Patentes noſtræ Litteræ ad probandam plene abſolu-
„ tionem, elargitionem, Conceſſionem, Indultum, & Decretum Pauli Prædeceſſoris
„ hujusmodi ubique ſufficiant, nec ad id ulterius probationis adminiculum requiratur.
„ Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 14. Februarij anno 1621.
„ Pontificatus noſtri anno primo.

(L.S.)

XXVI. *Abbas II.* GREGORIUS Pfeiffer ex oppido Markdorff, reſignante ſua ſponte collaudato Anteceſſore Kalendis Octobris electus 1. Octobr. 1632. ob inſignia geſta a Sereniſſimo Leopoldo, primum Archi-Duce, dein & ipſius Illuſtriſſima Conjuge Claudia Conſiliarii intimi nomen impetravit. Reſignavit anno 1652. obiit anno 1661. laudatiſſimus.

XXVII. MELCHIOR Widenmann ex Weingarten, unanimi voce DD. Capitularium 15. Januarii 1652. ex Decano electus Religioſiſſimus ingentem ſummam debitorum invenit, Canonia omnibus redditibus deſtituta; hinc graviſſimæ, & multiplices curæ ab initio mox dolentiſſimum Præſulem exercebant, eluctantem tamen, prompta, ſedula manu uno, vel altero anno magnam ſummam debitorum perſolventem. Cum ergo paululum reſpiravit a pecuniariis oneribus, & agri excolebantur, redditus, & cenſus augebantur, mox & de reſtituendo Conventu, numero Canonicorum augendo, cultu Dei amplificando circumſpexit, & eousque deduxit, ut usquequaque ſatisfaceret Deo, & hominibus. Rexit ſecundarius Fundator laudabiliſſime, & piiſſime 28. annis; obiit 22. Maji 1680. ætatis ſuæ 76. nunquam ſat in terris laudatus.

XXVIII. BERNARDUS Claus ex Halberſtein prope Brigantium, rexit annis duobus cum dimidio; in Feſto B. V. præſentatæ anno 1683. 21. Novembris reſignavit ſponte ſua, ampliorem exoſus honorem; prius tamen Canoniam Congregationi Lateranenſi incorporari fecit litteris publicis ab eis, quorum in hoc negotio intereſſe potuit, & debuit, reſpective datis, & receptis his: „ Nos D. Aſcanius Gozzius Ve-
„ netus, Congregationis Canonicorum Reg. Salvatoris Lateranenſis Abbas Genera-
„ lis Reverendiſſimo Patri Bernardo, Abbati Canonicorum Regularium S. Auguſtini,
„ ejusque Venerabili Capitulo S. Petri in Waldſee Diœceſis Conſtantienſis, Provin-
„ ciæ Moguntinæ ſalutem in Domino perfectam. Quamquam indifferenter bonum
„ ſit ſui diffiſivum, & ſine acceptione perſonarum in alterutrum gratiam adminiſtra-
„ re debeamus, maxime, quod boni optemus inveniri diſpenſatores multiformis gra-
„ tiæ Dei, abundantius tamen illis viſcera charitatis aperimus, qui Congregationem
„ noſtram ſpeciali amoris ſtudio diligentes, ſpeciali etiam fiunt dilectionis prærogati-
„ va digniores. Eapropter, cum veſtrum in Congregationem noſtram devotionis
„ affectum, & ſumme nobis commendabilem profeſſionis paritatem vivo cordis oc-
„ curſu amplectamur, vos ideo in partem ſortis noſtræ conſcripturi, vos in commu-
„ nem omnium Indulgentiarum, Indultorum, Privilegiorum, Conceſſionum, Exem-
„ ptionum, ſpiritualium, & temporalium admittimus, & acceptamus, & omnium alia-
„ rum gratiarum, ſeu prærogativarum, a Summis Pontificibus, quibus Abbates, &
„ Canonici noſtri utuntur, potiuntur, & gaudent, uti, potiri, & gaudere poſſe liben-
„ ti animo vobis hac una injuncta conditione concedimus, ut ſingulo quovis trien-
„ nio unam Miſſam cantatam de B. V. celebretis, ejusque Sacrificium pro noſtra Con-
„ gregatione vos, & poſteri veſtri applicetis, & de applicatione tali nos, ſeu Succeſ-
„ ſores noſtros per litteras certiores reddatis; vos autem in fratres noſtros recipi-
„ mus, & adnotamus, vobis ex nunc Orationum, Miſſarum, Divinorum Officiorum,
„ jejuniorum, peregrinationum, ſpiritualium executionum, & bonorum omnium,
„ quæ Dei clementia per noſtras utriusque ſexus perſonas præſentes, & futuras ubi-
„ que terrarum dignabitur operari, participationem harum ſerie gratioſe impertimur,
„ Monaſterium veſtrum, tanquam ipſius noſtræ Congregationis germanum, ac de
„ gremio vos, tanquam fratres noſtros agnoſcimus, & facultate a Summis Pontifici-
„ bus conceſſa, illos nobis aggregandi, qui parem profitentur vivendi Regulam, vos
„ aggregamus ad præmiſſorum veram, realem participationem, uſum, & communio-
„ nem

„ nem unimus, præſenti quidem ſervata, & in futurum ſervanda regiminis Monaſte-
„ rii favorabili conſuetudine. Vos vero, quo uberioribus noſtræ Congregationis me-
„ ritis, & fructibus potiamini, hortamur in Domino ulterius, ut eadem ad ſui conſer-
„ vationem, & incrementum apud Deum veſtris quotidianis precibus adjuvetur. In
„ quorum fidem, & authenticam veritatem &c. Datum Mediolani ex Canonia no-
„ ſtra S. Mariæ Paſſionis 7. Januarii anno 1682.

D. Aſcanius Gozzius,
Abbas Generalis Lateranenſis.

(L.S.)

XXIX. MICHAEL IV. Guntz ex urbe Brigantina, 23. Nov. anno 1683. unanimi voce DD. Capitularium ex vigilantiſſimo Decano in digniſſimum Antiſtitem electus, poſt 13. Infulæ annos ſponte reſignavit ob infirmos 4. annos, apoplexia tactus, obiit 4. Auguſti 1699.

XXX. BALTHASAR Graf, natus anno 1655. 8. Septembris Waldſeæ, 37. annis præfuit, electus anno 1698. obiit anno 1737.

XXXI. IVO Bader, Immenſtadii ad Lacum Acronium natus 5. Octobr. 1672. a parentibus Nobilibus, Verbi divini fuit prorſus egregius. Philoſophiam intra domeſticos Parietes docuit, publice defendit. Magiſter Novitiorum inſtillandæ Aſceſeos erat peritiſſimus, expoſitus ſubin ad paræciam Reuthenſem ſeſe per omnia monſtrarit Operarium in Vinea Domini Zeloſiſſimum verbo, & exemplo potentem, Gloriæ Dei ſumme intentum. Anno 1735. electus ad Infulam, ſub illa ſplenduit ad Decorem, profuit ad incrementum, multum orans pro grege & populo ſibi concredito. Poſtquam 19. annis laudabiliſſime rexiſſet obiit anno ætatis ſuæ 82. anno 1754. Maji die 12.

XXXII. ANTONIUS Johler Gebrazhofii ex Parentibus Nobilibus natus, Dilingæ inter Muſas educatus, Waldſeæ inter Canonicos per Religioſam profeſſionem adoptatus, tandem per electionem ad Infulam evocatus fuit anno 1754. In brevi explevit tempora multa, major enim meritis quam annis mox anno 1757. 25. Martii humanjs ereptus ad cœleſtia tranſiit magnum poſt ſe relinquens deſiderium.

XXXIII. BALTHASAR modernus Reverendiſſimus Prælatus, qui feliciſſime Suis præeſt, natus eſt anno 1717. 12. Aprilis. Renatus Religioni Canonicæ per profeſſionem Religioſam 6. Januarii anno 1737. Sacerdos anno 1741. prima Octobris primam Deo litavit hoſtiam. Anno 1757. Aprilis 22. die communibus Electorum Calculis ad Mitram fuit vocatus, quam tot gemmis, quot virtutibus hactenus ornavit. Proſit ac præſit diu feliciter.

WALLINCKHUSANUM.

Sub limite Diœceſis Hildeſianæ in ſuperiore Saxonia Venerabile quondam Parthenæum Regulare, Inſtituti Canonici Auguſtiniani, communiter Wallinckhuſen nuncupatum, tempore, & authore non notato fundatum, olim per omnia florentiſſimum, dum decurrente ſæculo 16. in terris iſtis Lutherus invaluit, quo avita Patrum Religio, & una devotiſſimæ hæ Veſtales ſuum locum deſerere ſunt adactæ.

WANNENTHALENSE.

Devotiſſimum quondam Sacrarum Virginum domicilium Diœceſis Conſtantienſis, &, ut Cruſius in Annalibus Sueviæ Paralip. cap. 13. fol. 56. ſcribit, ruralis Decanatus Ebingenſis in Wirtenbergia ſub viſitatione Beurenſis, ſeu Buronenſis Præpoſiti olim conſtitutum inclytum, ſuperiore ſæculo diriſſimis hæreticorum calumniis penitus abrogatum primo ſui exordio Eremitorium, ſeu Incluſorium fuiſſe perhibetur Conradi cujusdam, & aliorum Conſodalium ſub incerta ibi Regula Deo famulantium, anno 1397. pie conditum a Friderico Comite Zollerano, Equite aurato, ut fuſius explanat libellus ſupplex, loci ordinario pro ſtatuenda novæ fundationis hujus confirmatione humiliter oblatus: „ Reverendo in Chriſto Patri DD. Burcardo, Dei, & Apoſtoli-
„ cæ Sedis gratia Epiſcopo Conſtantienſi, ſui devoti oratores, divina permiſſione Ab-
„ bas, & totus Conventus Monaſterii S. Georgii in nigra ſylva Ordinis S. Benedicti
„ ſuæ Conſtantienſis Diœceſis reverentiam in omnibus debitam, & condignam. No-

„ rit Paternitas veſtra Reverenda, cum pridem ſpectabilis DD. Fridericus, Comes, & „ Miles de Zolleren reſidens in Caſtro Schelzburg ad laudem, & gloriam Omnipo- „ tentis, & remedium animarum ſuorum progenitorum aream Heremitorii, quæ no- „ minatur Wannenthale ſub dicto Caſtro ſitam devotis ſuis Conrado, & cæteris fra- „ tribus, ibi degentibus titulo proprietatis contulerit, ipſique fratres in eadem area „ dicti D. Comitis ſuſtentatione Capellam conſtruxerint, & in honore S. Cru- „ cis, & S. Sebaſtiani, & omnium SS. conſecrari procurarint, & Comes, qui diſtri- „ ctus loci pro conſtruendis habitaculis ad fratrum dictorum neceſſitatem congruen- „ tibus nimis arctus videbatur ipſius loci terminis poſtea prorogavit in longum, & la- „ tum a dicta Capella circumquaque ad 50. cubitorum menſuram, & eundem locum „ ab omni exactione liberum omni tempore in dictorum S. Crucis &c. honorem vo- „ luerit, & velit permanere. Quare nos tunc de conſilio, & aſſenſu unanimi fratrum „ Conventualium Monaſterii noſtri prædicti, & diſcreti Viri Bertholdi Rectoris paro- „ chialis Eccleſiæ in Dürnwangen, infra cujus Parochiæ limites hoc Heremitorium „ eſt; cujus quidem Eccleſiæ Jus Patronatus, ſeu conferendi ad nos nomine dicti Mo- „ naſterii pleno jure dignoſcitur pertinere, Eremitorium, & ejus Capellam, & locum „ una cum fratribus præſentibus, & futuris ab omni ſubjectione, ſubjugatione, & „ obedientia parochialibus, & quorumlibet parochialium jurium ſolutione exemimus, „ & excluſimus, ac exemptos, & excluſos eſſe volumus, ut eſſe volumus, & perma- „ nere, ſalvo tamen, quod fratres de area ſingulis annis in Feſto B. Martini E. pro re- „ compenſa exemptionis, excluſionis, & cæterorum Jurium dimidiam libram ceræ „ ponderis conſueti, ac de omni agricultura decimam majorem dictæ Eccleſiæ paro- „ chiali perſolvere teneantur, ut hæc omnia in litteris, fratribus deſuper per nos con- „ ceſſis, & traditis, noſtrique Abbatis, & Conventus, ac Comitis, & Rectoris prædi- „ ctorum ſigillis pendentibus ſigillatis latius, & plenius adaperiuntur. Verum, quia „ præmiſſa, ut præfertur, per nos ſtatuta perſiſtere, aut in effectu permanere niſi ve- „ ſtris conſenſu, authoritate, & confirmatione accedentibus de jure non valent, nos „ Joannes Abbas, & Conventus, & Comes, & Bertholdus Rector hæc omnia, & ſin- „ gula, & uti præmittuntur, in quantum opus, ſeu utile eſt, præſentibus innovantes, „ & denuo facientes veſtræ Paternitati humiliter, & devote unanimiter ſupplicamus, „ ut omnibus, & ſingulis præmiſſis veſtrum conſenſum benevolum adhibentes eadem „ præmiſſa authoritate veſtra ordinaria gratioſe approbare, authorizare, & confirma- „ re dignemini, divinæ pietatis intuitu, & noſtræ ſupplicationis reſpectu. In quo- „ rum omnium teſtimonium ſigilla noſtrorum Abbatis, Comitis, & Auctoris præſen- „ tibus ſunt appenſa, nosque, quia ad præſens propter quarumdam clavium ad no- „ ſtrum ſigillum ſpectantium carentiam ipſum ſigillum habere nequivimus, his omni- „ bus uſitate ſuffragari ſub ſigillo D. noſtri Abbatis confitemur. Datum in Monaſte- „ rio ſupra tacto anno 1397. 5. Idus Julii Indictione 5.

Eodem anno, & menſe, die 14. ad inſtantiam dictorum novam fundationem iſtam authoritate Ordinaria ratam fuiſſe, & legitime comprobatam conſtat ex hoc Diplomate: „ Burcardus Dei gratia Epiſcopus Conſtantienſis omnibus præſentium inſpe- „ ctatoribus ſubſcriptorum notitiam cum ſalute. Noveritis, quod nos omnibus, & „ ſingulis in litteris, in quibus præſentes litteræ Epiſcopali pendente ſigillo exiſtunt, „ contentis, &, prout continentur in eisdem, & juxta ſupplicationem nobis per eas- „ dem factam conſenſum noſtrum benevolum adhibuimus, & præſentibus adhibe- „ mus, ipſaque in litteris contenta omnia, & ſingula authoritate noſtra ordinaria ap- „ probavimus, authorizavimus, & confirmavimus, & in Dei nomine ex certa ſcien- „ tia approbamus, authorizamus, & confirmamus præſentium per tenorem adhibitis „ in hac parte verborum, & geſtuum ſolemnitatibus debitis, & conſuetis. Et in ho- „ rum omnium teſtimonium noſtrum ſigillum Epiſcopale præſentibus eſt appenſum. „ Datum Conſtantiæ anno 1397. pridie Idus Julii Indictione 5.

Poſthæc memorati Eremitorii hujus inquilinis vertentibus annis utcunque inter ſe diſperſis, aut alio dilapſis locum intrarunt Religioſæ Virgines, tertiam Regulam S. P. Franciſci profitentes: Quæ tamen ipſa poſt aliquod tempus Authoritate Ordinaria, ut mos ætatis iſtius ferebat, diſpenſatæ ſunt ad Inſtitutum Canonico-Auguſtinianum, ipſisque in Rectorem ſpiritus, ut vocamus, Viſitatorem datus eſt Præpoſitus vicini Monaſterii Buronenſis hac Bulla deſuper confirmante expedita: *Otho, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Conſtantienſis dilectis in Chriſto Filiabus, Luciæ, & cæteris Sororibus tum incluſis Cellæ, ſeu Incluſorii annexi Eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ in Wannenthal Filiali Parochialis Eccleſiæ in Dürnwangen noſtræ Conſtantienſis Diœceſis ſalutem, & ſinceram in Domino charitatem. Exhibita nobis pro parte veſtra petitio*

con-

continebat, quod, licet tu, Lucia, cum quibusdam aliis Sororibus, tibi associatis, videlicet velatis, & perpetuo clausis in Cella tua, seu Inclusorio cum nonnullis aliis Sororibus vobis ministrantibus, & vestræ Cellæ negotia procurantibus in habitu, & secundum Regulam tertii Ordinis S. Francisci per nonnulla tempora desideraveritis famulari, inibique juxta gratiam vobis a Domino concessam vixeritis, sub Habitu, & Regula dictis, modo tamen de præsenti arctioris vitæ intuitu, sub qua saluti vestræ securius militantes pertingere valeatis, & adipisci matura deliberatione ad hoc, & tractatu inter vos habito ab observatione dictæ Regulæ absolvi, & ad Ordinem S. Augustini Canonicorum Regularium desiderabiliter transferri cupitis, & affectatis. Nos igitur, qui perpetuum sacræ Religionis profectum in omnibus, & maxime, quæ nobis Ordinario jure subsunt, Monasteriis, & Personis earum appertinentibus ferventer appetimus, vestris in hac parte supplicationibus merito inclinati propter rationabiles causas nobis expositas, nosque ad hoc inducentes, & commoventes, vos omnes, & singulas ab observantia tertiæ Regulæ S. Francisci Authoritate nostra Ordinaria tenore præsentium absolvimus, & absolutas declaramus, Vosque, & vestram Cellam, seu Inclusorium prædictum ad Ordinem, & Regulam B. Augustini memorata nostra authoritate transferimus, statuentes, ut de cætero in eodem vestro loco præfatus Canonicus Ordo, & Regula S. Augustini continuo firmiter observetur, ad quem observandum, & perpetuo tenendum Vobis, & Vobis succedentes in dicta Cella de vestra voluntate votiva in nomine D. N. J. C. adstringimus, & obligamus, & eidem Ordini, & Regulæ vos, & locum vestrum incorporamus per præsentes, concedentes vobis plenam, & liberam facultatem ibi Conventum faciendi, & quælibet Jura Conventualia exercendi, sic tamen, quod Conventus 13. Personarum velatarum, & inclusarum numerum non excedat, quæ quidem intra septa Ecclesiæ Cellæ perpetuo manere voto se adstringant. Et quia, ut vestra continebat petitio, dictæ Cellæ ædificia adhuc stricta dignoscuntur, quot oportet personis capaces, quodque Inclusorii septa ad præsens pro necessitate dictarum Inclusarum, & futurarum ibi recipiendarum sat ampla non existant, Vobis, ut juxta dictamen, moderationem, & sententiam Religiosi in Christo Præpositi Cœnobii in Beuren dicti Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium præfatæ Diœcesis pro tempore existentis, cui, ut subscribitur, perpetuo suberitis, Inclusorium hoc pro vestra necessitate, & septa vestra juxta ipsius directionis arbitrium ampliare, terminare, & describere possitis, præsentibus indulgemus. Et paulo post: *Præterea te Luciam, & Sorores tuas, vobisque succedentes præsentium tenore committimus Authoritate nostra Ordinaria Religiosis in Christo dilectis Præposito, & Fratribus Cœnobii in Beuren Ordinis, & Diœcesis prædictorum, qui vestras Professiones in manus suas recipiant, vos velent, includant, & alias regant, gubernent, & expediant in spiritualibus, & temporalibus juxta præfati Ordinis S. Augustini consuetudines, Privilegia, Concessiones, & Constitutiones. Insuper curam animarum vestrarum, & illorum hominum, qui se, & sua dicto loco vestro, & Ordini tradidere, Authoritate nostra suffulti gerant &c. &c. Datum Constantiæ 1426. 6. Septembris Indictione 4.*

Extant & aliæ Litteræ, unde clare dignoscitur Jurisdictio Ecclesiastica a dicto Præposito in has Canonissas exercita, taliter exaratæ: *Wür* JOANNES, *Probst des Ehrwürdigen Gottshaus Beuren, und Visitator des Closters Wannenthal &c. &c.* Et infra: *Daß Wür, als ein Versehen, und deme das berührte Closter Wannenthal ist zu versprechen* &c. &c. Quando autem Religiosa hæc Canonissarum Augustinianarum Congregatio secundum omnem Statum suum utcunque desierit, licet nil certi constet, videtur tamen sat probabile primo mox Lutheranæ defectionis in Ducatu Wirtenbergensi tempore, vel brevi post Parthenio Claustro hoc ab Hæreticis violenter occupato Religiosas quoque Domicellas has ad unam omnes loco cedere fuisse coactas.

Superioribus annis Reverendissimus D. Joannes Prælatus Buronensis multo labore, & magnis sat expensis apud inclytos S. C. Majestatis Commissarios a Ferdinando II. Augustissimo Cæsare ad executionem restitutionis Monasteriorum Germaniæ pro tunc Deputatos intensissime laboravit pro simili recuperatione Parthenonis hujus: Cujus tamen conatus omnis cur incassum abierit, nos omnino latet.

WARTENBERGENSE.

Celeberrimum Tyrolis Canonicorum Regularium Collegium, a Gabriele Pennoto in Historia Tripartita Libro 2. cap. 39. num. 2. perperam Tartobergense appellatum, jam vix nomine notum, pridem disparens; cujus illustre quondam sydus fuit, & exin toti Ecclesiæ plurimum illuxit Nicolaus de Cusa, a Patrio municipio dictus ad ripam Mosellæ in Archi-Diœcesi Trevirensi 1491. natus, ex Canonico Regulari S. R. E. Cardinalis Presbyter Tituli S. Petri ad Vincula 1448. & anno altero Episcopus

Brixienſis in Tyroli a Nicolao V. P. M. creatus, vir teſte Gulielmo Eiſengrein in Catalogo teſtium veritatis, magnarum virtutum, ſacrarum Litterarum ſtudiis doctus inprimis, & eruditus, Græcæ, Latinæ, & Hebrææ linguæ peritiſſimus, Philoſophus, Rhetor, Aſtronomus, Poëta, Muſicus, & Mathematicus abſolutiſſimus, Hiſtoricus celeberrimus &c. pro Sede Apoſtolica varias Legationes ſumma cum laude peregit; tandem Tuderti in Umbria obiit pridie Idus Auguſti anno 1464. ætatis 63. cadaver Romam relatum in Eccleſia ſua titulari ſepultum eſt, hoc adſcripto Epitaphio:

Qui jacet ante tuas Nicolaus, Petre, Catenas,
Hoc opus erexit; cætera marmor habet.

Meminit Ejusdem Hundius in Metropoli Tomo 1. folio 452.

WEICHENSTEPHANIUM.

S. Stephano Protomartyri conſecratum, vetuſtiſſimum prius Canonicorum Regularium Collegium, dein in Abbatiam Ordinis S. Benedicti mutatum, prope Friſingam, Bavariæ ſuperioris Oppidum, in excelſo monte. Eccleſiam hanc S. Stephano ſacram jam ante adventum S. Corbiniani, Friſingenſium primi Epiſcopi ex ejusdem ſancti vita ſat liquet ex Velſero Rerum Boicarum Libro 4. pag. 256. Radero in Bavaria ſancta Vol. 1. fol. 63. &c. ubi hæc legimus: *In colle ad urbem Eccleſia Stephano Martyri ſacrariam tum ſtabat, quam Corbinianus orationis cauſa viſere ſolitus: Eo cum aliquando occupatus, ſive negotiis, reliquum Clerum matutinas Deo laudes dicturum ablegaſſet, montem ſubeuntibus canentium chori clarius, & clarius ab Eccleſia auditi, & mirifici ſplendoris tecto, feneſtrisque emicantes viſi; introgreſſis lumen quidem evanuit, ſuaviſſimus vero late odor diffuſus, tertio demum die remiſit. Epiſcopus certior de oſtento factus (Clerici enim, qui ſacro horrore perculſi, pars ante veſtibulum, pars illo vix ſuperato exanimes concidere, ut ſibi quisque redditus ad eum recurrere) animum ad locum adjecit, & modicas, quas incoluerat, ædes Eccleſiæ conjunxit.* Inde primus locum hunc inſtauravit circa annum 830. Hitto Friſingæ Epiſcopus numero, & ordine ſextus, in eo Præpoſitum cum ſex Canonicis conſtituens, quos tamen Engelbertus Friſingenſis Eccleſiæ Antiſtes anno 1021. vel juxta alios paulo ſerius anno 1029. ad Eccleſiam S. Viti tranſtulit, & viciſſim Canonicorum Collegium hoc Benedictinis tradidit. Primos autem Canonicos ibi Regulares fuiſſe, ex Metropoli Salisburgenſi Tomo 2. fol. 281. liquet, ubi Hundius poſt multas diverſarum Religionum, & Ordinum immutationes in pluribus Monaſteriis, & Eccleſiis factas, prolixe recenſitas ſic ait: *Weichenſtephan olim Canonicorum Regularium, nunc Benedictinorum.* Vide & Tom. 3. fol. 455.

WENGA.

Hujus Canoniæ ulterior notitia habetur in fine hujus Tomi poſt Litteram Z.

WETENBURGENSE.

Diœceſis Ratisbonenſis, a S. Ruperto, Boiorum Apoſtolo circa annum 610. inædificatum primitus, cum adſpectante Eccleſia in honorem S. Georgii M. ſolemniter dedicatum. Hartwicus, Ratisbonenſis Epiſcopus I. hujus nominis, ordine 20. Nobili genere, & virtutibus præſtans Monachis Benedictinis deturbatis Canonicos adduxit Regulares S. Auguſtini ex Auſtria, S. Floriani Canonia vocatos; quo poſt quinquennium obeunte Succeſſor Churo Monachos Benedictinos denuo reſtituit, Canonicis abactis, teſte Hundio Tomo 1. fol. 196. & Tom. 3. fol. 480. Adelzreitero Parte 1. Libro 6. n. 25. & aliis.

WERDENSE.

Canonicorum Collegium Werdæ, Oppidi in Archi-Epiſcopatu Coloniæ ad Germanicam Rheni ripam, ejusdem brachio fluminis ab orientis latere præcinctum, nunc Cæſaris Inſula, vulgo *Kayſerswerd* dicitur, olim Inſula S. Sviberti nuncupabatur; nam Pipinus Potentiſſimus Francorum Dux S. Sviberto in littore locum hunc donavit; unde S. ibi Monaſterium ædificavit, ubi multis pro dilatanda fide Chriſti exantlatis laboribus fato pie defunctus eſt, & multis divinitus honoratus miraculis, cujus Diſciplina ad Sanctimoniam abſolutam conformatus ſcribitur S. Willeicus Presbyter, qui ei in Abbatia ſucceſſit, & colitur 6. nonas Martij, altero poſt magiſtrum die, quo & in plurimis Martyrologiis ante duo circiter Sæcula exaratis conſecrata ejus memoria eſt;

eſt; quorum non nulla Uſuardi nomine prætitulantur, paucula hæc de eo prædicantia: *Apud Werdam natale S. Willeici Confeſſoris, Presbyteri S. Sviberti.* Similia legis in Martyrologio Coloniæ anno 1490. excuſo, & Hermanni Greven Charthuſiani auctario, ad Uſuardum edito 25. poſt annos, uti & Joannis Molani, & Germanico Petri Caniſii. M. S. Florarium a Canonico Regulari Anonymo concinnatum hoc addit: *De Ordine Regularium.* Conſentit Conſtantinus Ghimius in Natalibus SS. Canonicorum. At Benedictini eum ſibi vendicant, teſte Trithemio de viris Illuſtribus Ord. S. Benedicti Libro 3. cap. 167. qui Wilicum eum appellat, ut & Franciſcus Haræus. Benedictinis quoque Eum adnumerat Arnoldus Wion, Hugo, Menardus, Benedictus Durganius, Gabriel Bucelinus &c. Hactenus fere Bollandus in Actis SS. Tomo 1. Martij die 2. in Hiſtoria S. Willeici §. 1. §. 2. ita ait ad finem: *An Werdæ Monachos, an Canonice viventes Clericos collegerit* S. Svibertus prædictus, *in ambiguo ſit, & inde ſtatuendum, an Monachus, an vero Canonicus fuerit S. Willeicus.* Canonicum fuiſſe S. Willeicum, & S. Svibertum, ſat probant Pennoti Notationes ad Officia propria Canonicorum Regularium Lateranenſium, Notatione 5. in Hiſtoriam S. Aquilini M. 29. Januarij, & Notatione 14. in Hiſtoriam S. Ludgeri 26. Martij.

WERDERENSE.

Alias communiter *Werder*, in *Mariæ-Werder* nuncupatum, in Ducatu Brunſuicenſi *(ubi ſummum ſemper B. V. colendæ ſtudium ſe prodidit) ejusdem honori, & nomini ſtructum Cœnobium uno, & dimidio ab Hannovera ſitum milliario, anno 1114. Sacris Deo Virginibus fundavit Comes de Roden, & Wunſtorff*, Gabriel Bucelinus in Germ. Sac. Part. 3. fol. 93. Catalogus vero, ſeu Chronicon Epiſcoporum Mindenſium in Sigewardo 23. Epiſcopo ait: *Tempore iſtius* Sigewardi *Moniales Ordinis S. Auguſtini locum Werder dictum propo oppidum Hannover intravrunt; antea enim locum inhabitabant quidam Canonici Regulares, propter vitam nimis ſingularem ejecti, & Moniales e Monaſterio Overenkerken per Comites Wunſtorpe & Leuwenrode die S. Catharinæ anno 1114. intravrunt.* De qua viciſſitudine Cranzius ita differit in ſua Metropoli Libro 6. cap. 37. *Tum quoque religioſum locum Werden intravrunt Moniales, quem dudum Canonici Regulares profanarunt. Vide verum, etiam in Religione viciſſitudinem. Illa ætate Moniales ſucceſſere Monachis ad reparationem Diſciplinæ regularis, & morum; nunc autem rebus converſis Regulares fratres, pulſis ob vitæ diſſolutionem Monialibus ad hoc pervenere, ut collapſa Monialium loca reparent in vitam regularem.*

WERNIENSE.

Venerabile Canonicarum Regularium S. Auguſtini Parthenæum ſuperiori ætate intra fines Diœceſis Mindenſis in Weſtphalia belle conſtitutum; hoc tamen de primæ fundationis tempore, & authore, hæreſi ibi fortiter obſiſtente non amplius requirendum; ex quo Religioſis Domicellis procul hinc exulare coactis omnem hunc locum cum appertinente Clauſtro Princeps terræ ad peregrinos uſus convertit.

WESELENSE.

Hujus Collegii nomen in *Catalogo M. S. Collegiorum Cann. Regularium*, qui in Bibliotheca Canoniæ S. Crucis Auguſtæ Vindelicorum aſſervatur, occurrit. Dicitur ſitum eſſe in Diœceſi Colonienſi. Nullam præterea notitiam habeo. Videtur mihi hoc Collegium prorſus jam antiquatum, hominumque memoriæ ſubtractum.

WESSOBRUNENSE.

B. Petro, Apoſtolorum Principi ſacrum fundatum legitur cum 7. aliis per Lanfridum, Elilandum, & Wadlramum fratres, Comites ab Antorff, & Logſa, circa annum 740. poſtea per Thaſſilonem, filium Utilonis, Bojorum Ducem, ampliatum, & inſtauratum anno 753. teſte Hundio in Metropoli Salisb. tomo 3. V. Weſſenbrun, Aventino L. 3. fol. 292. Auberto Miræo in Orig. Benedict. fol. 175. Bucelino parte 2. Germ. Sac. fol. 14. V. Beuren, & fol. 95. V. Weſſenbrunnen, Brunnero Annalib. Boic. L. 5. fol. 681. & pluribus aliis. Aliter tamen & alii Monaſterii hujus fundationis ſeriem recitant; &, omiſſis aliis priori contrariam vel potiſſimum tenent ipſi RR. DD. Religioſi Weſſenbrunnenſes, in rem præſentem monumentum quoddam adducentes manu ſcriptum Archivi ſui, inter antiqua reſervatum hoc: „ Anno „ DCCLIII. Thaſſilo, filius Ottilonis Ducis, & Hiltrude, ſororis Pipias, Patris Ma-

„ gni Caroli ſub Imperio ejusdem M. Caroli Dux Bojorum in Marchia Ducatus, tunc „ Regni Bojariorum, in ſaltu foreſti, qui Rottwald dicitur, inter duo flumina Apa- „ riam, & Hycum venationi operam dabat aprorum, &, dum per noctem juxta flu- „ vium, qui ejus nomine Theſſilsback dicitur, ſub tenterio dormiret, vidit inſomnis „ juxta fontem ejusdem foreſti per quatuor partes contra ſcatentem ſe aſtare, & exin „ contra meridianum ſcalam ad cœlos porrectam, & Angelos Dei aſcendentes, & de- „ ſcendentes per illam, S. autem Petrum innixum ſcalæ, & canentem ea, quæ in Of- „ ficio Dedicationis Communio cantari conſuevit, & venatorum Thaſſilonis alter „ Tharingeri, alter Weſſo dicebatur, quorum Weſſo fontem, qui hodie fons Weſ- „ ſonis dictus eſt, a ſe repertum in modum crucis e terra bullientem oſtendit. Ibi „ Rex Monaſterium nominis ejusdem, cooperante Bonifacio Epiſcopo, ædificavit, & „ poſſeſſionibus ampliavit, ubi primus Abbas Ilſungus Altachenſis Monachus, qui „ poſt XLI. annos Religioſis præfuit, 2. Idus Maji obiit, & in meridionali plaga Ec- „ cleſiæ ſepultus eſt; „ Ita monumentum domeſticum, & pace mea, ſeu hoc, ſeu modo priore, vel a tribus ſupradictis fratribus Comitibus Lanfrido, Elilando, & Wadl-ramo, vel denique a Thaſſilone, Bojorum Duce fundatum ſit Monaſterium Weſſo-brunnenſe, hoc ſaltem certum eſt, in optimo flore ſemper conſtitiſſe usque ad immaniſſimam Hunnorum irruptionem, qua ferocius ſæviente B. Thieno nonus ordine Abbas cum ſenis ſuis fratribus pro fide Chriſti ſacrilege trucidatus Martyrium paſſus eſt, & locus cum adjacente templo, & clauſtro abſorptus interiit, poſtea vero utcunque demum inſtauratus Canonicis Regularibus ceſſit, penes quos ſupra totum unius ſæculi decurſum, ab anno 955. ad annum usque 1065. centum, & decem annis permanſit; dum tandem Albertus, numero ſeptimus, Canonicorum Præpoſitus, abdicato Canonicorum Habitu cucullum induit anno 1065. a quo tempore hoc Cœnobium usque hodie incolas Domicellas non admittit, niſi Monaſticen Benedictinam profeſſos. Præpoſiti autem Canonicorum Regularium ibi habitantium recenſentur hi:

I. RICHARDUS,
II. GERMANUS,
III. GUNTHARDUS,
IV. HARTMANNUS,
V. ANSELMUS,
VI. SYMPERTUS,
VII. ALBERO Præpoſitus, & Abbas 46. annis præfuit.

WETTENHUSANUM.

Imperiale Collegium Diœceſis Auguſtanæ in Marchionatu Burgovienſi, medio ferme itinere binas inter ſumme præcipuas Sueviæ urbes, Auguſtam Vindelicorum, & Ulmam, ad Camlachium amnem inchoatum, ſeu fundatum eſt anno ſecundum Bruſchium de Monaſt. Germ. Cent. 1. fol. 180. 982. vel ſecundum Annales domeſticos integro uno ſæculo prius, anno 802. opera, & miniſterio Illuſtriſſimæ, & piiſſimæ D. Gertrudis Comitiſſæ de Roggenſtein viduæ; quæ, cum a duobus filiis ſuis, Conrado, & Wernhero, Comitibus de Roggenſtein, Equitibus Auratis ad locum aliquem Divino Numini ſacrandum, inſtanti petitione tantum agri ſibi conceſſum impetraſſet, quantum uno die circumarare poſſet, ipſa pio dolo commodum miræ parvitatis aratrum adornans, & e collo pendulum, & in ſinu ſuo reconditum geſtans, eosdem, qui adhuc Eccleſiæ huic parent, limites felici celeritate circumſcripſit, & in omnimodam proprietatem obtinuit; tum propria quadam Eccleſia in honorem B. V. & S. Georgii M. juxtim ædificata, & dedicata, certis bonis, & redditibus congruis in uſum perpetuum perfruendis dotata, una cum adjacente Clauſtro, & latifundio toto circum circa poſito illam pleno jure poſtea poſſidendam, & incolendam tradidit viris religioſis ſub felice auſpicio, & præſidio magni Præſulis, & Doctoris Eccleſiæ Aurelii Auguſtini devote militantibus prima horum paris pro tunc Ordinis, & Canonicæ profeſſionis colonia ex celeberrimo, & Imperiali itidem SS. Udalrici, & Afræ Monaſterio Auguſtano, hodie Monachis Benedictinis ſubdito, plenarie deſumpta: quibus & ipſa D. Fundatrix una cum his filiis perpetuo deinceps uſurpanda, & gentilitio ritu geſtanda dedit præclariſſima Illuſtriſſimæ Roggenſteinenſis Familiæ ſcuta, & Inſignia.

Eandem Domini Sabaoth vineam ab hac Gertrude plantatam liberaliter rigavit Bertha, ejus filia, Comitiſſa de Roggenſtein cum marito ſuo Winthero, Comite ab Ortenberg; cujus ſtemma genealogicum, & reſidentiam in Alſatia tum inclytam allegat

legat Cruſius in Annal. Suev. Parte 3. Libro 3. cap. 6. Horum proin fundatorum, & Benefactorum omnium, & ſingulorum grata memoria quotannis hodiedum ex antiqua conſuetudine ſolemnis habetur feria 3. poſt Dominicam Trinitatis, qua ſolemnibus exequiis in ſuffragium illorum rite perſolutis largiſſimæ quoque fiunt eleemoſynæ panis, vini, & pecuniæ in pauperes, magno numero concurſantes diſtribui ſolitæ. Porro Roggenſteinenſis, cujus gentilitium caſtrum patria voce *Roggenſtein* appellatum jam ab anno 1324. in ruderibus ſuis abſconditum, quantum jactus eſt lapidis, Wettenhuſio diſtat, proſapia priſcis ſæculis potens admodum inclaruit, ut famoſa: ad quam vertentibus annis totus & hæreditario jure Marchionatus Burgovienſis devenit, & hujus familiæ fuit ultimus Henricus quintus, cognomine *Probus*, anno 1310. Bruſchio ſecus 1283. terris defunctus, poſt mortem cum majoribus ſuis in templo Wettenhuſii reconditus: cui & aſſociata magna pars Nobilitatis Suevicæ: inter cujus potiores familias hac in parte facile primas tenet percelebris Baronum *a Rodt* appellata, olim in dicto Marchionatu Burgovienſi ſedibus, & quibus ſuis uti ditiſſima, ita & variarum ditionum, ſeu caſtrorum, oppidorum, & pagorum poſſeſſione frequentiſſima; tum plures aliæ de antiqua Nobilitate Suevica ſtirpes inclytæ, e quibus non omnes quidem, ſed certæ tantum perſonæ ſepulturam Wettenhuſii ſunt adeptæ, ſuis locis deſcriptæ hæ: Ab Alta Embs, ab Eichelberg de Berg, Burggravi de Burtenbach, ab Ellerbach, de Flachberg, Güſſii de Güſſenberg, Hainlin de Stauffenried, Halder de Cauzenberg, de Hammerſtetten, de Neideck, de Saxenhauſen, de Schwendi, Speten de Zwifalten, de Stein, Sturmfelder, de Weſternach, de Weſterſtetten &c. &c.

Præteritis ſeculis Imperii Canonia hæc a Sereniſſimis Principibus Auſtriæ, Marchionibus Burgoviæ &c. &c. donata, & cumulata eſt variis inſignibus, quibus adhuc ſecure gaudet, Juribus, & Privilegiis, in quorum recognitionem piis his Benefactorum manibus quotannis in Eccleſia hac grata memoria ſolemniter parentatur. Auguſtiſſimus Princeps Leopoldus I. Romanorum Imperator Archi-Dux Auſtriæ, Marchio Burgoviæ &c. &c. quascunque gratias, & donationes a dictis Prædeceſſoribus ſuis multifariam impertitas novo Diplomate clementiſſime ſtabiliit, & eas plurimum augmentavit; unde Collegium hoc amplius eſt illuſtratum, quod ſuperiore illo longævo Martis aquilonaris diſturbio mille diris afflictum, ut & continuis quaſi hoſtium, & militum direptionibus infeſtatum, imo penitus attritum, & ad incitas redactum tantum non omnino defecit, dum poſt redditam communem Patriæ pacem, tot, & tantis immanium perſecutionum tempeſtatibus undique ſedatis, faventibus ſuperis, ſerenior Phœbus arriſit, ubi ſuccedentibus annis pleniſſime gratiorem formam induit, omni ex parte reſtauratum, & excultum muris, & ædificiis ex fundamento novis: Quibus omnibus nobiliter anteſtat novum templum anno 1687. 27. Aprilis, Dominica 4. Paſchæ in honorem B. V. & S. Georgii M. initiatore Reverendiſſimo, & Illuſtriſſimo DD. Euſtachio Egolpho Barone a Weſternach, Epiſcopo Diocleenſi, Pro-Epiſcopo Auguſtano, & Cathedralis Eccleſiæ Canonico, & Cuſtode &c. &c. ritu ſolemni conſecratum, ad invidiam ſplendidum, & exornatum talem in ſuo frontiſpicio præſeferens inſcriptionem:

IN DEO MEO
D. C. M.

VIRGINI MATRI MARIÆ, ANGELIS, COELITIBUS &c. &c. BASILICAM HANC FUNDITUS ERECTAM SUMMO AFFECTU.

D. D. D.

DIONYSIUS EX LIB. BARON DE RHELINGEN DEI GRATIA S. R. I. PRÆLATUS ABBAS, S. C. M. CONSILIARIUS, & SACELLANUS.

ANNO MDCLXXXIII.

Memoriam æternam his, qui poſt me venturi ſunt, relinquam. Sap. 8. v. 13.

Syllabus

Reverendiſſimorum, Prænobilium ac Ampliſſimorum DD. Antiſtitum, Imperialis Canoniæ Wettenhuſanæ.

Primis tamen & Antiquioribus aliquot Illorum, quorum nomina vel injuria temporum, vel utcunque demum interierunt etiamnum deſideratis.

I. HENRICUS I. electus anno Chriſti 1113. perplures ſub ſuo Regimine habere meruit Perſonas Illuſtres ac Dynaſtas hinc inde in vicinia noſtra reſidentes gratioſo multifariæ beneficientiæ titulo de propria Eccleſia ſua Wettenhuſana ſtrenue promeritos; de quibus uberius agitur in Annalibus noſtris Domeſticis; Ipſe autem Henricus Præpoſitus dum annis 27. ad clavum ſedit, ſeu digne ac laudabiliter præſtitit, demum anno Salutis humanæ ſupra milleſimum centeſimum quadrageſimum ſupremum diem obiit pridie Calendas Octobris.

II. EGOLPHUS electus anno 1140. poſt octennium a Friderico, qui poſtmodum anno 1142. Romani Imperii culmen aſcendit) Duce Sueviæ cognomento Barbaroſſa ſibi ſeu Monaſterio ſuo clementiſſime donata impetravit diverſa bona ſeu allodia in pago Gundrimingen ſituata, atque iſta perpetuo quidem jure proprietatis deposthac libere poſſidenda, quæ tamen ſcimus poſtmodum anno 1545. majoris commoditatis gratia cum vicino Nobili Parthenone Edelſtettenſi fuiſſe commutata. Præfuit autem Egolphus iſte annis 20. ac ſenecta ætate grandævus, utpote Sacerdos jam Jubilæus requievit in Domino anno Salutis humanæ 1163. die 7. Februarii.

III. WORTWINUS Nobilis Suevus ab Hohenwang electus anno 1160. nominatur in actis cum Patre ſuo Wortwino Seniore Eccleſiæ noſtræ Wettenhuſanæ ad pias cauſas tradidiſſe unum in Vico Nornheim, & alium quemdam in Teffingen ſituatum. Memoratur itidem Wortwinus Præpoſitus iſte anno 1171. præſens adfuiſſe ſecundæ fundationi ſeu Collegiatæ Eccleſiæ Herbrechtingenſis in regulare Monaſterium transmutationi authoritate ipſiusmet primi Fundatoris Friderici Cæſaris antedicti feliciſſime factæ & conſummatæ. Porrò habuit idem Wortwinus Præpoſitus adeo munificos Cœnobii ſui Wettenhuſani Benefactores Vicinos Comites Albeccenſes, Kirchbergenſes, & Helfenſteinienſes: item alios quoque minores Regulos ſuis locis in actis fuſius explicatos. Præfuit usque ad annum 1185. quem vitæ ſuæ terreſtris habuit ultimum die 18. Aprilis, ſeu (uti memorat Vetuſtum Necrologium) die 12. Martii.

IV. PETRUS I. electus anno 1185. provixit in aſſumpto Prælaturæ ſuæ regimine usque ad finem anni 1212. de quo eodem Venerabili Antiſtite Annales noſtri Domeſtici quidquam aliud haud perhibent, quam quod ipſo rerum potito plures Eccleſiæ noſtræ obvenerint novæ fundationes ſeu donationes æque majores ac minores loco citato ſpecialiter enumeratæ. Deceſſit autem Petrus Præpoſitus iſte in pace anno 1225. die 29. Decembris.

V. SIFRIDUS Nobilis Suevus antiquo nomine *de Münſter* (ex qua eadem ſtirpe fuit etiam Henricus quidam Wolfardi Epiſcopi Auguſtani Vaſallus ſeu Miniſterialis itidem infra, & quidem cum titulo Beneficientiæ memorandus) appellari ſolitus: & is quidem electus 1226. die 9. Januarii impetravit brevi poſt ſolemnem inaugurationem ac confirmationem ſuam authoritate ordinaria factam a Gebhardo quodam Nobili Equite Jus Patronatus Eccleſiæ (quæ eſt filia Matricis noſtræ Wettenhuſanæ) ad S. Joannem Baptiſtam in Eberſpach ejusdemque incorporationem Monaſterio noſtro a Sede Apoſtolica clementiſſime conceſſam. Dormivit inde Sifridus iſte cum Patribus ſuis anno Chriſtiano 1245. die 20. Januarii.

VI. GERWICUS de Saxenhauſen (familiæ vel olim quidem inter Nobiles Suevos perinclytæ, verum hodie nobis vix de nomine ſuo notæ, & ſic quidem ex Annalibus Domeſticis, ubi ad annum 1243. inter potiſſimos tum temporis Eccleſiæ noſtræ Wettenhuſanæ Benefactores recenſetur Conradus quidam Nobilis Dynaſta de Saxenhauſen: item Diemarus de Saxenhauſen Plebanus Eccleſiæ in Binzwang inclytus) anno Chriſtiano 1245. Canonica Electione Prælaturæ faſces indeptus, uti & ſimul ab Epiſcopo Auguſtano confirmatus: a quo eodem Ordinario ſuo plenariam etiam obtinuit proprietatem ſeu remiſſionem juris feudalis in Decimas Hammerſtättienſes utcunque competentis. Obiit tandem Venerabilis ac Prænobilis Antiſtes iſte Gerwicus Sacerdotio

dotio ſuo Jubilæus, & ætate phyſica propemodum Octogenarius anno Salutis humanæ 1288. die 16. Novembris.

VII. BERTOLDUS I. Nobilis Suevus a Zimmeren electus 1288. ſimul & Authoritate Ordinaria confirmatus anno ſui Regiminis quinto ab Illuſtriſſimo Comite Helfenſteinio Udalrico in ſingularem Eccleſiæ ſuæ Wettenhuſanæ dotem accepit omnes & ſingulas (quasnam autem in ſpecie haud amplius bene conſtat) poſſeſſiones, quas idem Comes tum temporis in vicino pago Limbacenſi habuit proprias. Item a Nobili Viro Henrico de Münſter jam ſupra memorato gratioſæ itidem Donationis titulo acquiſivit Jus Patronatus, & certa quædam bona allodialia hodiedum nobis ex integro ſervata.

Anno 1310. idem Bertoldus Præpoſitus in propria ſua Eccleſia Wettenhuſana ſepulchro intulit Illuſtriſſimum Principem Henricum hujus nominis quintum cognomento Seniorem, alias etiam *Pium* nuncupari ſolitum ex Comitibus de Roggenſtein ultimum Marchionem Burgoviæ, contra ac plures Bruſchium de Monaſteriis Germaniæ Centuria 1. fol. 180. erronee ſecuti ſcripſerunt ipſum Henricum jam prius videlicet 1283. diem ſuum obiiſſe. Item 1318. cum Monaſterio Neresheimenſi Ord. S. Benedicti Diœceſis vero Auguſtanæ comutavit Curiam quandam ſeu prædium in vico Hausheim Palatinatus Neoburgici pro aliis quibusdam hujuscemodi fundis in Harthauſen, Remshart, Köz, & Schnuttenbach. Iſtis tamen omnibus jam pridem a Monaſterio noſtro utcunque diſtractis & abalientatis. Demum ipſe ſæpefatus D. Bertoldus Præpoſitus poſt præclara ſuæ Prælaturæ merita paſſim edita pacifice in Domino requievit anno 1324. die 26. Januarii.

VIII. CONRADUS electus anno 1324. emit in diebus ſuis a Nobili Domino Conrado a Rodt in vicino Caſtro Bühl reſidente villam noſtram Schönenbergenſem; hanc tamen id temporis Epiſcopatui Auguſtano jure feudali obſtrictam, & paulo poſt inde deobligatam ac liberatam, & ſic quidem ex gratioſa conceſſione Friderici Epiſcopi Auguſtani, qui eandem villam Sahönenbergenſem noſtro Monaſterio depoſthac omnino propriam ac liberam eſſe voluit, & ſancivit publicis litteris in perpetuam rei memoriam expeditis de dato 1330. in Vigilia omnium Sanctorum. Item idem Conradus Præpoſitus eodem anno prædicto a Burcardo Ellerbachio Nobiliſſimo Heroë (& quidem illo ipſo, qui ſub annum antedictum 1324. contra Ludovicum IV. cognomento Bavarum Romanorum Imperat. glorioſe ſuſtinuit famoſam illam a diverſis Scriptoribus recenſitam Burgoviæ obſidionem) ad pias cauſas gratioſe factam obtinuit donationem Juris Patronatus Eccleſiæ & Decimarum S. Martini Ep. & Conf. in Deupach, ut & incorporationem ejusdem Authoritate Apoſtolica Monaſterio noſtro factam, prout fuſius conſtat ex actis. Obiit autem Conradus Præpoſitus iſte anno Chriſti 1334. 10. Januarii.

IX. RUDOLPHUS electus 1334. præfuit usque ad annum 1343. quo decurrente a Nobili Viro Udalrico a Rodt coëmit duo prædia, unum in fundo Schwarzenbach appellato, alterum vero in pago Ettenbeuren ſituatum. Item ab Henrico de Knöringen, & Burcardo filio ejus prædium quoddam in Deupach, tum etiam Günzburgi certas quasdam Decimas a diverſis aliquot domibus, hortis & agris inibi exſolvendas. Deceſſit autem, & mortuis annumeratus haud amplius inter mortales comparuit Rudolphus iſte noſter ſui Regiminis Decennio propemodum abſoluto, gratiæ vero humanatæ prætacto anno 1343. die 17. Martii in ambitu terræ commendatus.

X. JOANNES electus 1343. Nobilis Familia Greckiorum ab Ulma progenitus primo ſtatim ſuæ Prælaturæ ingreſſu a Nobili Viro Henrico Schweins legitime coëmit inſigne quoddam prædium in minori Küſſendorff ſituatum, tum anno 1350. a Burcardo Halder Nobili Dynaſta ſuæ ſtirpis ultimo in vicino Caſtro Canzenberg prope Burgoviam reſidente in pretioſam Cœnobii ſui dotem accepit jus piſcationis in Camlachio amne ſecus pagum Beglingen depoſthac ſecundum præfixos terminos libere tenendum ac uſurpandum. Præfuit autem digniſſimus Præſul iſte Joannes univerſim annis de viginti duobus, & ad plures abiit tumulo illatus anno Gratiæ 1361. die 26. Januarii.

XI. HENRICUS II. Nobilis Suevus a Rodt electus 1361. tum poſt Electionem ſuam authoritate ordinaria factam cum Germano fratre ſuo Joanne a Rodt in vicina arce Rieden conſidente ſibi ac Conſanguineis ſuis fundavit Anniverſarium in Eccleſia noſtra Wettenhuſana quot annis ſolemniter celebrandum, pro qua fundatione ſeu obligatione dedit Monaſterio noſtro, & conſignavit Günzburgi ex certo quodam prædio

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quot annis ſolvendas tres Libras Hallenſes, item ſex ſolidos in frumento unum malterem ſiliginis & duo avenæ. Etiam emit a Nobili Wilhelmo a Rodt prædiolum quoddam in minori Anhauſen. Obiit demum, & in ſepulchro Patrum ſuorum intra Eccleſiam noſtram repoſitus fuit 1374. die 9. Februarii.

XII. BERTOLDUS II. cognomento Baur ſeu Ruſticus in litteris appellatus, qui tamen congenito ſtatu ſuo videtur nobis potius fuiſſe homo Liber & ingenuus. Cum nempe Parentes ipſius oppido ditati de propriis Facultatibus ſuis Monaſterio noſtro præter alia fundarint etiam ſeu donarint Decimas minores in Ochſenbron de more ſolvendas: quas tamen vel inviti ſcimus poſt expletum duorum Sæculorum proxime ſubſequentium decurſum fuiſſe denuo damnoſe perditas & abalienitas; ipſe autem Bertoldus 1374. in Præpoſitum Electus Matrici ſuæ Wettenhuſanæ feliciter aquiſivit ſolemnem Paræciæ Limbacenſis incorporationem authoritate ordinaria factam 1376. pridie Feſtum S. Viti Martyris. Impetravit etiam a Principe terræ ſeu Alberto III. Duce Auſtriæ, Marchione Burgoviæ Forenſem Jurisdictionem baſſam in cunctis locis alias præfato Monaſterio noſtro jure proprietatis ſubjectis libere & conſtanter exercendam; item a Prænobili Familia Ellerbacenſi 1341. obtinuit largiſſimam donationem ſeu fundationem reſpective Juris Patronatus & Decimarum tam majorum quam minorum in Ichenhauſen, Wattenweiler, Höslhurſt, Rhor, Beglingen, Keiſtlingen, Heiblſpurg & Widumſperg, tum etiam incorporationem Parochialis Eccleſiæ Ichenhuſanæ a Burcardo S. R. I. Principe & Epiſcopo Auguſtano authoritate ordinaria factam, ac eidem antedicto Monaſterio cum attinentiis ſuis in totum appropriatum. Obiit demum Bertoldus iſte de Cœnobio ſtrenue promeritus 1395. die 26. Januar.

XIII. HENRICUS III. cognomento Raunerus Patria Auguſtanus Electus 1395. mox in aditu Prælaturæ ſuæ nova alia fundatione Ellerbacenſi donatus ac honoratus fuit, videlicet Jure Patronatus Eccleſiæ (quæ eſt Filia Parochiæ Limbacenſis) S. Gangulphi Martyris ac omnium decimarum in Villa minori Anhauſen. Cæterum ipſe Henricus Præpoſitus iſte Mortilogio noſtro Domeſtico inſcriptus manet die 6. Septembris anni, quo ipſe fatis urgentibus ad plures abiit poſt partum Virgineum 1408.

XIV. PETRUS II. cognomento Biermann, Nobilis Patritius Ulmenſis, Electus 1408. multis precibus a Principe terræ ſeu Friderico Seniore Archi-Duce Auſtriæ hujus nominis quinto Marchione Burgoviæ feliciſſime conſecutus eſt & impetravit Privilegium Exemptionis a graviſſimo onere (plerumque titulo juris advocatiæ annexo) nutriendi ſeu paſcendi Venatores, Vernas ac Canes Venaticos, & hoc quidem publicis Litteris de dato Badæ Helvetiorum anno 1412. die 25. Maij in perpetuam rei memoriam ſolenniter expeditis. Porro idem Petrus Præpoſitus a Prænobili Familia Knöringerorum emptitiæ comparavit Jus Piſcationis in Camlachio amne ſecus pagum Beglingen deinceps perpetuo jure proprietatis tenendum & uſurpandum. Obiit tandem 1432. die 18. Januarij.

XV. STEPHANUS à Berg (quæ avita ſtirps olim inter Suevos Nobiliſſima terris defecit in Marquardo S. R. I. Principe & Epiſcopo Auguſtano ultimo illius ſurculo ſub annum 1592. die 16. Januarii Dilingæ terris defuncto) Electus anno 1430. toto perdurante ſui Regiminis decurſu Oeconomus apparuit Adm. induſtrius; ſiquidem à Joanne de Knöringen Seniore tum temporis Supremo Marchionatus Burgovienſis Præfecto legitime coëmit Villam Hamerſtettenſem jam ſupra memoratam cum attinentiis ſuis quibuscunque de poſthac plenarie poſſidendam; atque ab eodem Domino Venditore ſimul etiam pro Monaſterio ſuo in ſingularem dotem accepit Jus Patronatus Eccleſiæ ad B. V. in Anhauſen. Et cum hactenus memorata Villa Hamerſtettenſis Eccleſiam ſeu Capellam aliquam propriam non habuerit idem Stephanus Præpoſitus novum quoddam Sacellum propriis ſumptibus illic adſtrui fecit 1439. in honorem S. Nicolai Epiſcopi & Confeſſ. dicatum ſeu conſecratum: Cujus Feſtum Dedicationis quotannis agitur Dominica poſt Feſtum S. Michaëlis Archangeli proxima. Emit etiam Venerabilis ac Prænobilis iſte Stephanus Præpoſitus noſter Molendinum ibidem in Hamerſtetten cum attinentiis ſuis. Plura item Allodia in Villis & Pagis Ettenbeuren, Grünhoff, Hochenwang & Waldbach. Campanam etiam pro Eccleſia ſua Wettenhuſana tum temporis præ reliquis groſſiorem fecit, aliaque complura pro bono Publico & toto rei Familiaris augmento præclare geſſit. Fatalis obitus ipſius incidit in diem 2. Januarij anno 1455.

XVI. WERNHERUS Mack Ichenhuſanus anno 1455. die 14. Januarij Concordibus Capitularium Suffragantium votis Electus ac juxta morem Authoritate Ordinaria confirmatus præ cunctis aliis negotiis ex Officio pertractandis Forenſia Monaſterii

ſterii ſui Privilegia jam olim (uti ſupra dictum eſt) à Principe terræ ut puta Alberto III. Auſtriaco clementiſſime impertita à Sigismundo itidem Auſtriaco & Marchione Burgoviæ nova Confirmatione iterari fecit: Religioſam Confraternitatem cum Canonicis Regg. Monaſterii Herbrechtingenſis inſtituit: medietatem Decimarum in Elzee (altero dimidio illarum jam olim Fundatione Ellerbacenſi acquiſito) magno ſatis ære coëmit: Nec non etiam inſigne prædium Nuslach ſub limite Parochialis Eccleſiæ Anhuſanæ ſituatum; atque iſtud à Bartholomæo Greckio, Nobili Patritio Ulmenſi (ut ante diximus) inhabitatum: Quibus & aliis pluribus ſat bene geſtis ipſe Wernherus Præpoſitus tandem plenus dierum quievit in pace anno 1477. die 28. Martii.

XVII. LUDOVICUS Franck, itidem Ichenhuſanus Prædeceſſoris ſui ſeu Wernheri Venerabilis memoriæ Præpoſiti ex Sorore Nepos anno 1477. die nona Aprilis unanimi aſſenſu Capitularium Canonicorum ad commune Regimen aſſumptus & confirmatus primo ſtatim ſui Regiminis anno hoſpitio excepit Hieronymum Foro-Sempronienſem Epiſcopum Nuntium Apoſtolicum, pro tunc ad certas Germaniæ noſtræ Provincias Authoritate Apoſtolica ablegatum, à quo eodem nuntio ipſe Ludovicus Præpoſitus accepit Privilegium ad majorem Divini Officii ſplendorem geſtandi in Choro Almutias de pellibus Ferinorum confectas. Ex tunc anno 1480. à Georgio Abbate & Conventu Monaſterii Fultenbacenſis emit prædium quoddam in Hardberg, poſt biennium vero ab Henrico Truchſeſſio de Höfingen, Domino in Minſterhauſen Allodium Feudale in Haslach, vulgo *die Grueb* dictum. Anno 1489. à Marco Ridlero Patritio Auguſtano & Cohæredibus ejus emit pagum Kemnath cum Attinentiis ſuis ex integro poſſidendum, Decimis tamen majoribus usque hodie Monaſterio Urſpergenſi reſervatis. Item Anno 1493. à Nobili Domina Dorothea Haydin, Nicolai Beſſerer Patritii Ulmenſis Vidua, ac Cohæredibus illius emit duos pagos Wattenweiler & Höslhurſt cum aliquot aliis bonis ac redditibus in Elzee. Anno 1497. ſepulchro intulit Prænobilem ac Strenuum D. Georgium ab Ellerbach, qui de avita ac ingenua ſtirpe hac præ cunctis aliis (prout ex antecedentibus conſtat) in Monaſterium noſtrum adeo munifica omnium ultimus tumulum accepit intra Eccleſiam noſtram Wettenhuſanam, & quidem in Sacello S. Viti M. alias Ellerbacenſium dicto, jam ab anno 1206. usque id ævi conſtanter ipſis uſurpato. Anno 1505. ſui Regiminis 28. Ludovicus iſte Præpoſitus jam ſenio & labore feſſus quaſi fati ſui propius imminentis præſcius, ac dehinc bono Publico per omnia rite diſponere ſolicitus duos de Capitulo Clauſtrali aſſumpſit ſibi Coadjutores, penes quos totum rei Familiaris poſthac eſſe voluit Directorium: quibus proin etiam omnia ad manus proprias fideliter conſignavit. Quarta jam ægritudinis ſuæ ſeptimana admodum periculoſe decumbens ſacris omnibus rite munitus non ſine maximo Domeſticorum æque ac exterorum luctu mortem oppetiit temporalem prætacto anno 1505. die 23. Octobris ſub grandi Saxo (quod effigiem ejus ad vivum præſetulit) marmoreo conditus in Sacello, (quod S. Antonio Ægyptiaco Abbati Sacrum ſibi ac Succeſſoribus ſuis in novam Sepulturam apparavit) ad radices templi conſtructo, iſto tamen poſtmodum anno 1670. ad rectificandas Eccleſiæ noſtræ ſtructuras penitus abrogato.

XVIII. UDALRICUS I. cognomento Hieber ex tenui pago Höſelhurſtano ſecus vero (ut perperam adſtruit Bruſchius jam ſupra citatus) Ettenburano honeſtis Parentibus editus; tum adoleſcentior factus anno gratiæ 1477. ætatis decimo ſeptimo ad Religioſum Cætum noſtrum Wettenhuſanum Canonica Profeſſione ſuſceptus, atque anno 1481. Sabbato Sitientes Caractere Sacerdotali inſignitus brevi poſt primitus ſacrificavit proxime ſequenti Feria 2. Paſchæ. Anno 1497. ipſe Udalricus rerum Sacrarum Cuſtos deputatus id muneris continuo laudatiſſime geſſit quoadusque ſub annum 1505. die 28. Octobris Concordibus Suffragantium Capitularium votis in Præpoſitum Electus paulo poſt Auguſtæ Vindelicorum à Reverendiſſimo ac Illuſtriſſimo Principe ac DD. Henrico à Liechtenau S. R. I. Principe & Epiſcopo Auguſtano Authoritate Ordinaria de more confirmatus, eidem pro primis fructibus exolvit 100. Flor. nec non pro aliis Juribus, ſeu (uti vocant) conſuetis 30. Flor. anno - - - - Neo-Præſul noſter Udalricus certa quædam bona Allodialia in vicino pago Waldbach jam olim (uti ſupra dictum eſt) per Nobiles à Berg Monaſterio noſtro ad pias Cauſas oblata Prænobili ac Strenuo D. Philippo à Stein commutavit pro decimis tam majoribus quam minoribus ex certis quibusdam reſpective Domibus, Hortis, Pratis & Fundis de more ſolvendis. Anno 1508. idem Udalricus Oeconomus ſane prudentiſſimus præ cunctis aliis ſuis in Prælaturæ munere Prædeceſſoribus omnium primus Monaſterio ſuo coëmit proprias quasdam Vineas in Ducatu Wirtenbergico & Præfectura Schorendorffenſi ad pagum, uti vocant, majorem Heppach ſituatum: Quibus Succeſſu temporis pari ſtudio, & ſolerti poſterorum induſtria amplius augmentatis hodiedum

gaudere licet. Emit itidem eodem anno à Nobili viro Jacobo Gienger Patritio Ulmenſi pagum Underboichen iſtum tamen ſolummodo ad annum 1571. Cœnobio noſtro ſervatum, de quo ſuo loco pluribus agitur in Actis. Anno 1514. Udalricus noſter ritu ſolemni fundamenta ſeu primum lapidem poſuit novæ turris noſtræ Wettenhuſanæ, quam poſtmodum Anno 1520. videre licuit omnibus numeris abſolutam: in qua ſuſpendi fecit campanam hodiedum ſonoram, eamque præ reliquis groſſiorem, utpote 46. Centenariis ponderis Ulmenſis & amplius Conſtantem, Biberaci fuſam, & pro 500. Florenis coëmptam. Eodem anno Cæmeterio Wettenhuſano pro Parochianis Sæcularibus jam à prima Monaſterii Fundatione præ foribus templi conſtituto perpulchrum adeo ac gratioſum magnis impenſis adſtrui fecit montem, uti vocamus, Olivetanum opere ſculptili & ſatis eleganter apparatum, qui noviſſimis temporibus noſtris vetuſta renovatione conſpicuus hodiedum floret.

Anno 1516. Idem Udalricus Religioſam Fraternitatem inſtituit cum Canonicis Regularibus Monaſterii S. Michaëlis Diœceſis Tridentinæ cis Atheſin in Tyroli, item paulo poſt ſeu anno proxime ſequenti cum Pollingenſibus atque etiam Anno 1519. cum Bernriedenſibus, utrisque iſtis Diœceſis Auguſtanæ in ſuperiori Bavaria commorantibus.

Anno 1522. Sæpe fatus pientiſſimus Antiſtes noſter Udalricus initia fieri fecit, ejus, qui hodiedum (quamvis aliqualiter immutatus) perſtat Chori noſtri Wettenhuſani.

Anno 1524. Subditis Ruſticanis paſſim per univerſam Alſatiam, Franconiam, & Sueviam contra legitimam tam Eccleſiaſticorum quam Sæcularium poteſtatem inſano furore tumultuantibus, dum vicini ruricolæ Deffingenſes Monaſterium noſtrum violenter aggreſſi Bibliothecam fœde lacerarunt, & Cellam vinariam etiam in totum ſpoliaverunt ac devaſtaverunt Udalricus Præpoſitus in plures aliquot ſubditos ſuos æque Rebelles haud tamen omnes (potioribus nimirum antiquam fidelitatem ſincere præſtantibus) ſerio quidem animadvertit, juxta tamen pro congenita probitate, manſuetudine ac induſtria ſua illos in officio continuit, cæteris Rebellibus cum toto reliquorum agmine à Liga Suevica fugatis & ad internecionem deletis.

Anno 1524. Udalricus Paterfamilias ſane peregregius ſat magnum & oblongum in medio atrii exterioris conſtrui fecit ædificium, vulgo *das Stuckhaus* nuncupatum: Atque iſtud diverſis rei Familiaris uſibus ut puta Granariæ, Cellariæ, Piſtrinæ, ſervando itidem jumentorum pabulo ac ſtabulandis pecoribus deputatum: quod ipſum dum ſolitis œconomiæ uſibus ſat diu deſerviit, demum 1664. ſuperiore Bello Suecico miſerrime laceratum, ſed & juxta ſimul mole ac vetuſtate ſua oppido ruinoſum ad rectificandas alias Clauſtrales contiguas ſtructuras novas omnino fuit dirutum & abrogatum.

Anno 1532. Udalricus laudatiſſimus vere Præpoſitus de Monaſterio hactenus pluribus titulis ſat egregie promeritus die 24. Aprilis ſub medium noctis perſonante hora duodecima ipſo feſto S. Georgii Martyris Patroni Tutelaris Wettenhuſani pientiſſime in Domino requievit, idem eodem ipſo die poſt exequias ſolenniter celebratas in ſupramemorato Sacello Antoniano reconditus: cujus nomen apud omnes celebre fuiſſe ac magnum ſatis conſtat ex eo, quod ad diem depoſitionis ejus triceſimum (qui pro tunc incidit in diem 12. Maji Feria Sexta poſt Dominicam exaudi) indictum hinc inde convolarint Sacerdotes Sæculares octoginta, uti & copioſa pauperculorum caterva omnes & ſinguli lauto prandio refecti. Epitaphium illius pario marmore ſtatutum primitus in Choro juxta ſummum Altare in Cornu Epiſtolæ muro incluſum denuo anno 1672. in renovatione ejusdem Chori ſuo loco motum hodiedum proſtat in ambitu viſendum.

XIX. GEORGIUS I. cognomento Frey Günzburgenſis anno 1497. Dominica prima Adventus de more ſolemniter Profeſſus, inde poſt quadriennium proximum Neo-Myſta factus Sacerdotales Primitias celebravit die 26. Decembris in Feſto S. Stephani Proto-Martyris; tum anno 1513. in Vicarium Parochialis Eccleſiæ Limpacenſis nominatus, demum anno 1532. tertio Calendas Aprilis in Præpoſitum electus, uti & de more authoritate ordinaria confirmatus, poſtmodum anno 1545. prædia quædam & allodia in vicino pago Gundrimmingen, jam olim (ut ſupra dictum eſt) a Friderico Cæſare Barbaroſſa Monaſterio noſtro ad pias cauſas legata ſeu fundata majoris commoditatis ergo pro aliis bonis in Wattenweiler & majore Anhauſen commutavit Nobili Parthenoni Edelſtetenſi.

Anno

Anno 1551. menſe Februario Georgius Præpoſitus iſte urgente gravi corporis infirmitate ſuo Clauſtrali Regimini lubens in totum ceſſit, ſolique animæ ſuæ ſaluti ſecurus aſſequendæ depoſthac invigilans demum cum patribus ſuis requievit anno proxime ſequenti die 16. Januarii in Sacello S. Antonii reconditus.

XX. GEORGIUS II. cognomento Friz Ichenhuſanus anno 1547. die 2. Januar. profeſſus, atque anno proxime ſequenti menſe Decembri in Presbyterum ordinatus primitus ad aram ſtetit die 27. ejusdem menſis Decembris, tum anno 1551. die 4. Martii in Præpoſitum electus primo ſtatim ſui Regiminis anno Decimas in Widumſperg ſæpe memorata fundatione Ellerbacenſi aquiſitas, modo tamen iſtas a vicino homine inimico aliqualiter infeſtatas virili reſiſtentia Monaſterio ſuo ſervavit indemnes & illæſas.

Anno 1546. Decimas in Rhor itidem a Prænobili Familia Ellerbacenſium gratioſe donatas Venerabilis iſte Dominus Georgius Præpoſitus vel invitus quaſi commutavit Domino Georgio Beſſerer Patritio Ulmenſi pro aliis Decimis in pago Ochſenbronn, & ſic quidem non niſi ad placandum Dominum Beſſerer antedictum utpote ſuæ Religionis profeſſione Lutheranum, eumque pro tunc damnato illi fœderi Schmalcaldico id temporis potentiſſimo pertinaciter addictum. Deceſſit autem Venerabilis Antiſtes iſte Georgius homo ſincerus & candidus, imo & verus Iſraëlita ſine dolo toto perdurante Prælaturæ ſuæ Regimine nemini non charus admodum & dilectus adhuc in vigore virilis ætatis immaturo fato ſubreptus anno Chriſti 1559. ætatis 37. die 14. Julii in ſæpe dicto Sacello Antoniano tumulum nactus.

XXI. BARTHOLOMÆUS I. cognomento *Sutor* itidem Ichenhuſanus ante ingreſſum Religionis Clericus ac Sacerdos ſæcularis anno 1558. Dominica prima Adventus in Eccleſia noſtra Wettenhuſana Sacros Canones Auguſtinianos profeſſus, pauloque poſt in Vicarium patriæ Eccleſiæ ſuæ conſtitutus, ac demum anno 1559. die 5. Auguſti Prælaturæ Wettenhuſanæ Sedi vacanti Canonica electione impoſitus ſimul etiam in id authoritate ordinaria fuit confirmatus; quia tamen in dignitate triennio ſolum perſtitit, tum interea temporis numerum Clauſtralium Canonicorum ſuorum notabiliter adauxit, ſed vel maxime juribus ac privilegiis antiquis nunquam non ſarta tecta ſervandis conſtanter intendit, præſertim cum Supremum Marchionatus Burgovienſis Dicaſterium plusquam fortiter attentavit, & multimodis machinationibus arrogare ſibi præſumpſerit advocatiam depoſthac in ipſium Monaſterium noſtrum adminiſtrandam; contra ac generoſe vigilantiſſimus Antiſtes iſte Bartholomæus noſter usque in diem mortis ſuæ plusquam audacter reſtitit, & omnino prævaluit. Obiit autem ipſe anno 1562. eodem menſe ac die, quo ante triennium Prælaturæ Regimen adiit videlicet nonis Auguſti cum Prædeceſſoribus ſuis ultimioribus in Sacello S. Antonii Abbatis condigno honore reconditus.

XXII. MICHAEL Fabri ex Ottenbeuren, pago ſcilicet cognominis Abbatiæ Benedictinæ de Diœceſi Auguſtana in Algoja propius adſito honeſtis parentibus huic mundo natus anno 1562. die 13. Auguſti per Scrutinium electus & ab ordinario authentice confirmatus Prælaturam adiit ætate ſeu ſtatu ſuo adhuc quidem Juvenis, prudentia tamen ac doctrina longe maturus, utpote homo litterarum ſtudiis totus quantus immerſus, & ideo etiam litterarum Fautor ac Patronus pro toto poſſe omnino maximus; quique eapropter ſuos juniores Clericos (de quibus hactenus ſtudiorum cauſa plane nullus Monaſterio pedem extulit) ipſe omnium primus ad exteras Univerſitates & Academias publicas emiſit altioribus diſciplinis imbuendos; ſed & ipſe Michaël Præpoſitus ſingulari præpollens oris facundia paſſim apud omnes Cicero *Germanicus* æque ac *Latinus* inaudiit, unde & a forenſibus Marchionatus Burgovienſis conſtatibus ſpecialiter invitatus & exoratus ipſorum loco & nomine docto ſermone excepit ad partes noſtras, & ad ſuam Reſidentiam Günzburgenſem primitus adventantem Sereniſſimum Principem Ferdinandum Auſtriacum, Ferdinandi I. Romanorum Imperatoris filium Archi-Ducem Auſtriæ Marchionem Burgoviæ &c. &c. Vir (Michaël Præpoſitus iſte) tum vita, tum Prælatura longiori ſane digniſſimus, niſi adverſa fortuna utramque ipſi etiam præter ſpem citius ademiſſet. Ex cauſis ergo gravioribus ac ponderoſis animum ejus moventibus 1571. die 20. Maji ſpontanea reſignatione ſe abdicans, & eum poſtmodum 1576. Parochiam Günzburgenſem adminiſtraturus in procinctu ſtat, deſuper evocatus longinquæ Regioni alterius ſæculi appropinquat, videlicet anno 1576. die 24. Martii poſt mortem ſuam itidem ſæpefato Sacello Antoniano illatus.

XXIII. GEORGIUS III. Mennhofer, Ichenhuſanus anno 1554. die 22. Julii in Feſto S. Mariæ Magdalenæ profeſſus ac ſubinde anno 1557. poſt Presbyteratum in Angaria quadrageſimali ſuſceptum ſucceſſivis vicibus in Vicarium Parochialem Eccleſiarum Höſelhurſtanæ, Wattenweilerianæ, & Ichenhuſanæ conſtitutus taliter quæſtorem animarum egit, quousque demum anno 1571. die 16. Novembris Canonica Electione promotus Præpoſituram adiit, atque etiam in id Epiſcopalem confirmationem accepit. Qui tamen toto Regiminis ſui tempore ſeſe demonſtravit œconomum non niſi per omnia plane inutilem, unde poſt æs alienum magno numero contractum, juſte (etſi vir inculpatæ vitæ) exauthoratus menſe Auguſto Regimine cedens mox in Parochum Eccleſiæ in Ichenhauſen evaſit, ubi tamen locorum non niſi ad ſesqui annum amplius ſupervixit: cujus exanime corpus ad Eccleſiam noſtram Wettenhuſanam deportatum ſepulturam accepit in ſæpe memorato Sacello Antoniano 1577. die 16. Aprilis.

XXIV. HIERONYMUS Nobilis Suevus a Rodt, Illuſtris Viri Sebaſtiani Domini in Buſmanshauſen & Orvenhauſen filius anno 1547. Calendis Martii huic mundo natus, tum adoleſcens anno Chriſtiano die 29. Octobris Regulari Profeſſione ad gremium noſtrum Wettenhuſanum ſuſceptus, ſed & anno 1564. in Presbyterum ordinatus primam Miſſam ſolenniter celebravit anno 1571. die 24. Junii in Nativitate S. Joannis Baptiſtæ Præcurſoris Domini, item anno proxime ſequenti in Decanum conſtitutus atque anno 1575. in Præpoſitum electus, poſtmodum 1603. ad inſtantiam Ordinarii ſeu Henrici a Knöringen S. R. I. Principis & Epiſcopi Auguſtani præ cunctis Prædeceſſoribus ſuis ipſe omnium primus a Clemente Papa VIII. Mitra Præſulari & aliis Inſignibus Pontificalibus pro meritis honoratus eſt Initiatore ipſomet Reverendiſſimo ac Illuſtriſſimo Domino Ordinario antedicto. Deceſſit demum Auguſtæ Vindelicorum in Monaſterio S. Crucis ſub cura Medicorum detentus anno 1605. die 6. Februarii Dominica Septuageſimæ corpore mortali reſolutus. Fuit autem Digniſſimus Præſul iſte Hieronymus Cœnobii ſui in Spiritualibus æque ac temporalibus egregius illuſtrator, ac quaſi alter induſtrius Fundator, laudatiſſimus Regularis Diſciplinæ poſt abrogatam omnem proprietatem mirificus Zelator, reddituum temporalium inſignis Augmentator; ſed & Vir in Scripturis Sacris æque ac profanis longe peritiſſimus, doctiſſimus. Dehinc etiam trium Epiſcoporum Auguſtenſium, videlicet Marquardi, Joannis Ottonis, ac Henrici primum ante memorati Conſiliarius intimus, Monaſteriorum etiam Sequioris Ordinis Viſitator authoritate ordinaria conſtitutus, Aſceta perfectiſſimus, nunquam non ab omnibus magni habitus, Epitaphium illius oppido magnum præferens Chriſtum de Cruce depoſitum hodiedum aſpectatur in novo templo noſtro poſt organum in ſublimi ſuſpenſum.

XXV. JACOBUS Flechslin Dilinganus anno 1578. die 31. Julii Canonice profeſſus inde ſuo tempore primitias Sacerdotales celebravit 1602. die 1. Februarii, tum anno 1605. die 26. ejusdem menſis antedicti per Scrutinium in Præpoſitum electus Pontificialia Inſignia itidem accepit ab antedicto Reverendiſſimo ac Illuſtriſſimo Ordinario ſuo Henrico proxime ſequenti Dominica prima Quadrageſimæ. Anno 1610. in Synodo Diœceſana Auguſtæ Vindelicorum habita Jacobus Præpoſitus iſte noſter præ quibusvis aliis Prælatis Regularibus honoratus in Cathedrali Eccleſia Miſſam Solemnem in Pontificalibus celebravit, ubi & in Viſitatorem ſui Ordinis per Diœceſin Auguſtanam authoritate ordinaria conſtitutus hujuscemodi munus pluribus annis per omnia præclariſſime geſſit; unde & fama ipſius etiam apud exteros adeo inclaruit, dum ſcilicet anno 1613. ab Auguſtiſſimo Romanorum Imperatore Matthia in Præpoſitum Archi-Ducalis Canoniæ Clauſto-Neoburgenſis in inferiori Auſtria, ſed & una ſimul in communem ejusdem Ordinis ſui Viſitatorem, ſeu Reſtauratorem Auſtriæ, Styriæ, Moraviæ &c. &c. fuit intenſiſſime poſtulatus, a ſuis tamen Capitularibus Wettenhuſanis neutiquam dimiſſus ſane Regularis Antiſtes ob innatam quaſi rerum agendarum peritiam ubique locorum pretioſe habitus.

Anno 1608. Inſigne prorſus ædificium pro manſione hoſpitum magnis impenſis conſtrui fecit Jacobus Præpoſitus, quod ad annum usque 1683. integerrime perduravit, fundos item & agros alios atque alios, prata & ligneta quam plurima pro Monaſterio ſuo coëmit, ac dehinc redditus Camerales notabiliter adauxit. Ipſius autem præ reliquis opus eſt, quod etiamnum inhabitamus Clauſtrale Domicilium noſtrum anno 1616. cœptum ac intra biennium undequaque feliciter abſolutum. Tandem vero certis ex cauſis ipſe ſponte ceſſit, ac totum Prælaturæ Regimen ad manus Ordinarii pleniſſime reſignavit anno 1628. menſe Octobri, ex tunc in Franconiam digreſſus, ubi ultimis vitæ temporibus ſub limite Diœceſis Herbipolenſis Parochiam Goswer-

werſtenienſem annis 13. adminiſtravit ibidem loci (dum interea temporis in Suffraganeum Bambergenſem fuit quidem evocatus, neutiquam tamen in id perſuaſus) demum corpore mortali reſolutus anno 1640. die 6. Februarii.

XXVI. UDALRICUS II. cognomento Mack ex pago Waſſeralfingen ditionis Elvacenſis in inferiori Suevia à tenui quidem loco honeſtis tamen parentibus 1586. die 28. Decembris natus ad gremium vero noſtrum Wettenhuſanum anno 1613. die 4. Julii receptus, tum anno 1622. quæ fuit die 6. Martii Primitias Sacerdotales celebravit anno 1626. rei Familiari Præfectus ſeu in Cellarium & Granarium conſtitutus id muneris maxima ſedulitate geſſit. Anno 1628. die vigeſima prima Octobris per inſpirationem (ut vocant) ſeu communibus omnium Capitularium Suffragiis ad Prælaturam Electus, ac mox poſtridie à ſæpe fato Ordinario ſuo Henrico Reverendiſſimo ac Illuſtriſſimo Principe & Epiſcopo Auguſtano mitra Præſulari redimitus in ipſo ſtatim ſui Regiminis ingreſſu maxima quæque fuit molitus, atque inter hæc quidem grandem etiam ac novam Cellam vinariam cum perampla paris magnitudinis domo (vulgo *das Bindhauß*) deſuper inædificata, plura item œconomiæ ſumme neceſſaria ac utilia in opus deducere firmiſſime quidem ſtatuit, ſeu propoſuit, quæ tamen omnia peſſime ſubvertit Bellona Suecica id temporis univerſæ Patriæ noſtræ plusquam terribiliter illapſa; unde & optimus Præſul Udalricus nimio terrore ac timore conſumptus, ſeu unice præ triſtitia ac animi mœrore ſuffocatus, prius tamen ſacris omnibus præmunitus animam Creatori ſuo reddidit, idem poſt mortem ſuam communi ac graviſſimo omnium luctu in Sacello Prælatorum tumulatus anno 1632. die 8. Auguſti.

XXVII. ERHARDUS Spegele natus Elchingenſis Thomæ Abbatis ibidem ex Fratre Nepos cum eodem memorato Prædeceſſore ſuo Udalrico venerabilis memoriæ Præpoſito uno eodemque anno & die Profeſſus Sacerdotales inde Primitias habuit anno 1624. Dominica Septuageſimæ die 11. Februarii. Anno 1632. die 11. Auguſti in Præpoſitum electus, ac poſt etiam Authoritate Ordinaria confirmatus, item & Infulatus depoſthac toto perdurante Prælaturæ ſuæ decurſu non niſi pane tribulationis ſuſtentatus propemodum innumeras devoravit injurias ac pertulit calamitates, perſecutiones, fuſtigationes à Sueco milite, quas tamen inter nefandas hujusmodi miſerias etſi tot & tantas, ipſe Erhardus Præpoſitus nunquam animo fractus Monaſterium ſuum omnino ſervavit integrum, ut puta ſecundum antiquas Poſſeſſiones ſuas neutiquam diminutum aut laceratum, raro ſane id temporis Exemplo aliorum Monaſteriorum, quæ pariter longævo tempore diriſſimis exactionibus coanguſtata præter graviſſima, quæ hinc inde contraxerunt debita, complures divendere debuerunt fundos & agros, imo & pagos integros quam plures.

Anno 1652. Erhardus Præpoſitus iſte miſeriarum ſatur & laborum menſe Aprili ſpontanea reſignatione Poteſtati & Regimini ſuo in tot adverſis plusquam fortiter & conſtanter exantlato ſponte ceſſit ad Vicinam Paræciam Ichenhuſanam digreſſus: Cujus exinde curam laudatiſſime geſſit usque dum fatali morbo correptus terreſtri vita defecit 1658. die 19. Martii, inde omnium ultimus in ſæpe memorato Sacello Antoniano ſepultus.

XXVIII. GODEFRIDUS Rheter, Nobilis Suevus Fieſſenſis, Henrici Collegiatæ Eccleſiæ Auguſtanæ ad S. Mauritium Canonici, ac pro tempore Senioris ex Fratre Nepos anno 1631. die 2. Febr. Profeſſus, brevi tamen adverſitate Belli Suecici cum aliis fugatus & in Bavariam delatus in Monaſterio Dieſſenſi poſt ſuſceptum Presbyteratus ordinem primum ad Altare Sacrificium litavit. Tum anno 1636. Herbrechtingam digreſſus inibi continuo ſubſtitit usque dum Monaſterium iſtud anno 1648. Pacificatione Weſtphalica Duci Wirtenbergico in plenariam Poſſeſſionem ceſſit, eaque propter ipſe Godefridus denuo cum ſuis Wettenhuſium reverſus iſthic demum anno 1652. die 4. Maij in Præpoſitum Electus & Authoritate Ordinaria quidem confirmatus nunquam tamen Præſulari Benedictione inſigniri voluit, quamvis Vir omnino fuerit Doctiſſimus nec minus æque corpore ac animo præſtantiſſimus. Aſpicere debuit Monaſterium ſuum longæva temporum calamitate miſerrime ſpoliatum ac laceratum, nec tamen in tam calamitoſo ſtatu ullum omnino habere potuit remedium ſubventioni ſeu reſtaurationi ſuſcipiendæ proficuum. Dum ſubditos ſuos Ruricolas vidit & expertus eſt plerosque fame, peſte, vel bello fugatos vel necatos, cæteros vero numero paucos oppido depauperatos. Tandem perpendens graviſſimam æris alieni copiam, & econtra redditus congruæ ſuſtentationi minime congruos, ſicque malum omni ex parte, plusquam fortiter in dies accreſcere, de reſtauratione aliqua ſibi meriſſime diffidens ac quaſi deſperans Prælaturæ faſces ultro dimiſit, eosque ad manus Ordinarii in totum reſignavit, tum 150. Florenis pro Viatico obtentis dilapſus in regionem lon-

ginquam abiit, ac tandem (uti fama ferebat) in partibus Moſellanis Officio Paſtoris ruralis immortuus die non notato naturæ debitum exſolvit circa annum Domini 1680.

XXIX. DIONYSIUS à Rhelingen, Joannis Patritii Auguſtani Domini in Haldenberg (cujus Stemma Genealogicum exhibet Gabriel Bucelinus part. 2. ad finem) Filius, Joannis Chriſtophori de Rheling Archi-Epiſcopalis Salisburgenſis Conſiliarii Germanus Frater anno 1610. die 16. Aprilis huic mundo natus, tum abſolutis Studiis Humanioribus anno 1626. in Patrio Monaſterio ad S. Crucem Auguſtæ Vindelicorum Canonicum Regularem Profeſſus, exinde vero tumultuante Bello Suecico cum aliis omnibus exulare coactus atque 1633. Salisburgum deportatus ibidem Theologiæ ſtuduit, ſed & anno proxime ſequenti apud Canonicos Regulares Cathedralis Eccleſiæ Secovienſis in Styria die 6. Auguſti Dominica 9. poſt Pentecoſten ritu ſolenni primum Sacrificium litavit, nec non brevi poſt in Ducali Canonia Berchtesgadenſi Sub-Decanum ſimul ac Magiſtrum Novitiorum, ut & Concionatorem ad populum egit, quoadusque demum anno 1640. domum revocatus ibidem Oeconomiæ Præfectus, ac poſt etiam Decani Profeſſoris Scholaſtici Vid. SS. Theologiæ atque etiam SS. Canonum munus præclariſſime geſſit usque ad annum 1658. dum ſcilicet eo currente die 23. Julii vacanti Sedi Imperialis Eccleſiæ noſtræ Wettenhuſanæ per Canonicam poſtulationem fuit impoſitus, ac mox etiam ſequenti die 4. Auguſti Dom. 8. poſt Pentec. in Feſto S. Dominici Confeſſoris præſulari Benedictione fuit inſignitus, ex quo die 6. ejusdem menſis Wettenhuſium deſcendit, ubi præter miſeriam & acetum invenit plane nihil, niſi meriſſimam rerum omnium egeſtatem, atque inopiam, utputa Granarium, Cellarium, Ærarium jam pridem penitus exhauſtum, & quod amplius eſt totum fere Monaſterium in ruinis ac ſtructuris ſuis miſerrime laceratis, omnino ſopitum, ſed vel maxime deprehendit æs alienum ſupra nimis videlicet ad 40000. Florenos aggravatum cum Creditoribus & Exactoribus omnino rigidiſſimis; quibus tamen, & quibusvis aliis obſtaculis, etſi revera graviſſimis neutiquam tamen attentis Dionyſius Neo-Præpoſitus ſuo (quo utebatur Symbolo: In Deo meo) plusquam firmiter innixus auſu Herculeo omnimodam ſuſcepit reſtaurationem ſine mora pro viribus exequendam: & quidem à Jove ſumens principium, dum ſcilicet ante omnia Chorum ſeu Officium Divinum jam ab anno 1632. continuis Bellorum diſturbiis usque hactenus præpeditum ac intermiſſum ad proximum Divæ Virginis aſſumptæ Feſtum magno Zelo reſtituit: In quo (ſubintellige Choro) Religioſiſſimus Antiſtes quotidie fere (defectu aliorum Sacerdotum) Hebdometarii vices ſupplevit, meditationem quotidianam ſimul & Examen tam generale tam particulare (à quibus in efficaciſſimum aliorum Exemplum nunquam abfuit) ſingulis diebus impretermiſſe faciendum inſtituit, Numerum Religioſorum Clauſtralium inſigniter adauxit: Clericis junioribus ſeſe non ſolum Magiſtrum Novitiorum, ſed & Profeſſorem Scholaſticum impigre ſtitit: Veteri templo nimium obſoleto & anguſto novum à Fundamentis ædificatum ſubſtituit, quod Altaribus itidem novis, Suggeſtu, Organo, ac Sacris Cimeliis oppido pluribus inſtruxit. Atque illud ipſum anno 1687. die 27. Aprilis Dom. 4. poſt Paſcha ſolenniter conſecrari voluit: Præter quæ in turri contigua (prius in meliorem formam redacta) campanas quinque omnino novas ſuſpendi fecit; Bibliothecam (qualem à prima Monaſterii Fundatione copioſiorem videre nunquam licuit) magnis ſumptibus apparavit: Cæmeterium, quod pro Parochianis Sæcularibus ab antiquo immediate ante fores Templi noſtri conſtitit, extra Clauſtrum tranſtulit, ac aliud novum in vicinia ſtatuit: Prælaturam, Hoſpitium, Piſtrinum, Molendinum, Braxatorium & alias Officinas, imo totum (ſi Conventum excipias) Monaſterium novum à Fundamentis excitavit: Hortum noſtrum altero tanto majorem ac ſuis ſpatiis ampliorem fecit. Molendinum Hamerſtettienſe jam à longo duorum Sæculorum decurſu penitus neglectum novum à Fundamentis reſtituit. Telonium Wettenhuſanum hactenus Günzburgi perſolutum mille Florenis in parata pecunia numeratis emptum eidem Monaſterio ſuo in perpetuum attribuit: Vineis noſtris Wirtenbergicis alias novas itidem emptitie comparatas adjecit: Dynaſtiam Knöringenſem anno 1672. per Contractum Antichriſeos obtinuit, & ultra viginti annos Monaſterium ſuum illa gaudere fecit, ſicque redditus & cenſus annuos plurimum augmentavit.

Præter hæc recenſita idem Dionyſius Præpoſitus Oeconomus ſane plusquam induſtrius debita, uti vocant, paſſiva etſi omnino graviſſima ad Teruncium usque feliciſſime ſolvit; Jurisdictionem Territorialem ſeu Jus Gladii a Principe terræ ſeu Auguſtiſſimo Imperatore Leopoldo I. Archi-Duce Auſtriæ Marchione Burgoviæ &c. &c. clementiſſime conceſſum obtinuit: a quo eodem Imperatore ipſe Præſul Dionyſius ampliores etiam pro meritis honores accepit, utputa titulo & dignitate Conſiliarii & Sacellani Cæſarei, item etiam Doctoris SS. Theologiæ donatus. Porro in Viſitatorem

rem ſui Ordinis Canonico-Auguſtiniani in Diœceſi Auguſtana anno 1668. authoritate ordinaria conſtitutus, juxta quoque paſſim alter ſui Monaſterii Fundator nuncupari meruit; pluribus item Commiſſionibus Cæſareis glorioſe perfunctus in toto Circulo Suevico pretioſe habitus ſæpius inter litigantes etiam in maximis diſcordiis arbiter electus ad plenam partium ſibi invicem adverſantium ſatisfactionem cuncta proſpere ac feliciſſime geſſit ſeu compoſuit. Pro juribus ac privilegiis Monaſterii ſui illibate ſervandis ſe nunquam non quaſi murum fortiſſimum oppoſuit: unde & ſic adverſariis omnino formidabilis apparuit: quos tamen adeo graves inter labores æque ſacros ac profanos diſciplinæ regularis continuo illibate ſervandæ conſtanter obſervantiſſimus a Choro ipſis etiam minutionum diebus nunquam abfuit toto Prælaturæ ſuæ tempore, extra menſam regularem nec minimum quid delibare ſolitus, ſed & quandoque negotiorum cauſa extra Monaſterium digreſſus dummodo uno eodemque die domum redire licuit, ſemper jejunus permanſit; nec minus ſtupendo prorſus Religioſa Caſtitatis exemplo mirifice præluxit; præter horas Canonicas & curſum (ut vocamus Marianum) Pſalterium etiam, ſeu tria Roſaria Mariana Litanias item & preces alias perplures in ſingulos dies usque ad ultimum vitæ terminum devotiſſime perſolvit; juxta quoque toto tempore altioribus ſtudiis totus quantus immerſus perſtitit, & ſic quidem in finem vitæ ſuæ, cujus ultimam metam attigit anno 1692. die 15. Februarii tam Religioſa Profeſſione quam Sacerdotio ſuo Jubilæus, cui Reverendiſſimus ac Ampliſſimus DD. Felix Præpoſitus Auguſtanus ad S. Crucem (ut & poſtridie Reverendiſſimus ac Ampliſſimus DD. Adalbertus S. R. I. Prælatus & Abbas Roggenburgenſis, uti & die tertio Decanus noſter Wettenhuſanus) parentavit. Funebrem vero Concionem habuit R. P. Fiſcher S. J. pro tempore Cathedralis Eccleſiæ Auguſtanæ Concionator ordinarius.

Repoſitus fuit in Crypta ſubterranea per ipſum anno 1672. intra Eccleſiam noſtram recens apparata cum tali Epitaphio:

DIONYSIUS

Ex Baronibus de Rhelingen & Haldenberg S. R. I. Prælatus Wettenhuſanus Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius & Sacellanus:

per quem
Deus optimus
noſtra ſtare fecit omnia
heic
in Deo ſuo
jacet

Fatali mortis ſpiculo proſtratus Anno MDCXCII. die 15. Febr. natus annos 82. Religioſus Canonicus 66. Sacerdos 58. Antiſtes regens 34.

Hæc Requies mea in Sæculum Sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam. *Pſal. 131. v. 15.*

Labor eſt ante me
donec intrem in Sanctuarium Dei.
Pſal. 72. v. 16. & 17.

Caſtro doloris die trigeſimo poſt reconditas corporis exuvias. Sequentia Emblemata fuere appenſa.

ELOGIUM I.

Naſcitur DIONYSIUS ex Perilluſtri Familia Baronum de Rhelingen in Haldenberg &c.

EMBLEMA.

Pyramis e quadratis lapidibus, quos e rupe deciſos ex utroque latere in nube depicta manus hinc inde ſtructuræ ejusdem imponit, ſenſim in ſublime educenda: adjunctis ſuperius Rehlingani Stemmatis inſignibus.

Epigraphe: FORTES CREANTUR FORTIBUS.

Dabo tibi filium, cui benedicturus ſum. *Gen. 17. v. 16.*

Pyramis Herculeis par majeſtate columnis,
E forti fortis marmore facta ſtrues:
Illâ Rhelingani quia Stemmatis ornamentum eſt,
PRÆSULIS eximii, quæ ſit origo, docet.

ELOGIUM II.

Adoleſcens ſub ſedula Parentum diſciplina morum gravitate ac inſigni pietate juveniles annos prævertit.

EMBLEMA.

Pyramis a manu artifice malleo & ſcalpro fabrili elaboranda ac dædolanda: circumjacente reliqua fabrilium inſtrumentorum ſuppellectile.

Epigraphe: HIS PERFICITUR.

Noli ſubtrahere a Puero diſciplinam. *Prov. 18. v. 13.*

A crebro recipit ſaxum ceu vulnere formam,
Aſpera virtuti ſic Decus omne ferunt.
PRÆSULIS haud aliter mentem poluere Parentes,
Dum Deus & formam virtus avita dedit.

ELOGIUM III.

Spretis mundanis Dignitatibus ac delitiis Cann. Regg. Ordinis S. Auguſtini Religioſum Inſtitutum amplectitur in celebri Canonia ad S. Crucem Auguſtæ.

EMBLEMA.

Pyramis triplici muro cincta, irritoque ab hoſtibus conatu oppugnata.

Epigraphe: NULLIBI TUTIOR.

Eſt Civitas hic, & ſalvabor in ea. *Gen. 19.*

Æmula Romanæ ſunt Arcis Clauſtra, Piorum
Tuta quies, muro cincta velut triplici.
Hac profugus mundo PRÆSUL latet arce ſecurus,
Nec ſtygii metuit fortia caſtra Jovis.

ELOGIUM IV.

In terreſtri Religionis Paradyſo plane virtuoſam ac cœleſtem vitam ducit, mente a caducis abſtracta atque ad æterna anhelante.

EMBLEMA.

Pyramis eximiæ altitudinis, ſupremo cacumine nubes tranſcendens.

Epigraphe: SIDERA VERTICE.

Noſtra autem Converſatio in cœlis eſt. *Philipp. 3. v. 20.*

Corpore terram habitas, PRÆSUL, ſuper æthera mente,
Hoc propior cœlo, quo magis orbe procul.
Devia ſæpe via eſt, multos ſua meta fefellit;
Ne male deflectas, eſt tibi meta Deus.

ELOGIUM V.

Omnibus in Ordine officiis laudabiliter adminiſtratis, tandem ob inſignem prudentiæ & pietatis famam ad Præſularem dignitatem & Regimen Imperialis ac antiquiſſimi Collegii Wettenhuſani poſtulatur.

EMBLEMA.

Pyramis e priſtina humiliore baſi dimota, altiorique ſpectabilis ædificii faſtigio imponenda.

Epigraphe: DIGNIUS ATTOLENDA.

Tu eris ſuper Domum meam. *Gen. 41. v. 40.*

Mune-

Munera dum ſubiit Dionyſius omnia, ſummum
In Prælatura fixerat Ille gradum.
Inde ut conſpicuus toto fulgeret in orbe,
Adjecit radios ſplendida Mitra ſuos.

ELOGIUM VI.

Ejusdem Collegii rudera & cineres in novum tam ſpiritualium quam materialium ædificiorum ſplendorem erigit, ſecundi ob id Fundatoris nomen omnium ſuffragio aſſecutus.

EMBLEMA.

Pyramis cum aureſcente eidem hedera: Ad cujus radices proſtratum Cœnobium, porrectam è cœlo ſpei anchoram tenens, aſſurgit.

Epigraphe: INNIXA SURSUM.

Erexit nobis muros everſos, ſtare fecit portas & ſeras. *Eccl. 49. v. 15.*

Fundator merito noſtri Dionysius alter
Cenobii dictus, quod cinis ante fuit.
Erexit ſplendore novo collapſa: Labori
Quis tanto tribuet Præmia digna? Deus.

ELOGIUM VII.

Illud Apoſtoli: Oportet autem Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſibi dictum putans, Præſulare Officium tanta cum laude adminiſtravit, ut à multis Dignitate non minus quam prudentia ac nobilitate præſtantibus Viris optimi atque Sapientiſſimi Præſulis Idea nuncuparetur.

EMBLEMA.

Pyramis perpendiculo & amuſſi examinata, atque ſine ulla partium prævaricatione aut inclinatione ad rectam altitudinem ſurrexiſſe deprehenſa.

Epigraphe: NIL PARTIBUS ERRAT.

Opportet ergo Epiſcopum (Prælatum) irreprehenſibilem eſſe. *1. ad Timoth. 5. v. 2.*

A Recto non deflexit Dionysius unquam
Tramite, norma Boni Præsulis, atque decus.
Hic labor, hoc opus eſt magnæ virtutis, ubique
Caſibus in variis eſſe ſui ſimilem.

ELOGIUM VIII.

Magni Præsulis Augustini magnus humilitate Filius, illud S. Parentis ſui monitum: Cum ſummo honore ſumma ſit humilitas: ſecutus, tanto ſe viliorem credidit, quanto major omnium ore atque encomiis celebrabatur.

EMBLEMA.

Pyramis ſpectabili altitudine ac Majeſtate quo celſior aſſurgens, eo ſemper minor & in acumen denique deſinens.

Epigraphe: QUO ALTIOR EO MINOR.

Quanto magnus es, humilia te in omnibus. *Eccl. 3. v. 20.*

Magnus in orbe fuit Præſul, renuitque videri;
Hoc major Reliquis, quo minor Ipſe ſibi.
Sed bene ſe neſcit, fama ſuper æthera notus,
Quis fuerit, melius poſt ſua fata ſciet.

ELOGIUM IX.

De Eximia Dionyſii virtute ex vero dici potuit, quod per ardua graderetur, nam difficillima quævis forti animo aggreſſus feliciter ad finem cuncta perduxit, tota pene Germania ſtupente & gratulante.

EMBLEMA.

Pyramis cum ſerpente ejus faſtigio implexo.

Epigraphe: INVIA NULLA VIA.

Omnia poſſum in Eo, qui me confortat. *Philipp. 4. v. 13.*

Multa licet poſſes, PRÆSUL, virtute per orbem,
Plus tamen ut poſſes, voverat ille tibi.
Sed poſtquam letho te poſſe occumbere vidit,
Ille dolens cupiit, te potuiſſe minus.

ELOGIUM X.

Religioſæ mortificationis ſtudioſiſſimus, præter aſſiduam Jejuniorum, Orationum, ac Vigiliarum aſperitatem, qua debile corpus afflictabat, etiam crebras adverſæ valetudinis moleſtias hilari atque patientiſſimo animo pertulit, non ſine ingenti fructu & lucro.

EMBLEMA.

Pyramis cum roſa gentilitia, ſpinoſo frutice cincta, è quo hinc inde ad ſupremum usque cacumen accreſcentes Roſas cœleſtis manus carpit, indeque floridum ſertum conficit.

Epigraphe: PROSUNT ET ORNANT.

Et fructum afferunt in Patientia. *Lucæ 8. v. 15.*

PRÆSULIS in mediis mitis Patientia ſpinis
Ambulat, & multas colligit inde Roſas.
Collige ſpinoſos, Patientia, collige flores,
A te, quæ tribuet, Præmia Chriſtus habet.

ELOGIUM XI.

Beatiſſimæ Virginis MARIÆ Cultor eximius, eandem ſingularem Wettenhuſani Collegii Patronam, & in rebus dubiis atque adverſis Conſultricem ac Adjutricem fidiſſimam habere meruit.

EMBLEMA.

Turris Davidica in nubibus depicta, & clypeis undique obarmata, ſupra illam B. V. infra eandem in terra Pyramis cernitur, quam bina manus ex utroque latere duplici ſcuto, è memorata turri deſumpto, contrà hoſtium tela defendit.

Epigraphe: CUSTODITA CUSTODIT.

Rebus in adverſis, Turris Davidica, VIRGO
PRÆSULIS auxilium, ſpes, clypeusque fuit.
Scilicet ILLA Pios, ſed cuſtodita, tuetur;
Obſequium quisquis poſtulat, ante ferat.

ELOGIUM XII.

Illud Regii Pſaltis: IN DEO MEO, transgrediar murum; Symboli loco aſſumens, Divina nixus fiducia, inter plurimos tum triſtium temporum tum malevolorum hominum adverſos turbines animo ſemper ſtetit, veluti Marpeſia Cautes, in Deum erecto.

EMBLEMA.

Pyramis in medio mari ventorum ac procellarum feroci impetu infeſtata, ſed immota.

Epigraphe: IN DEO MEO.

Vir ſapiens fortis eſt. *Proverb. 24. v. 5.*

Pyramis ut pelagi mediis in fluctibus extans,
Æſtum commoti fert bene firma ſali:
Fortunæ ſic multa tulit ludibria PRÆSUL,
Inque DEO vicit cuncta pericula SUO.

ELO-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ELOGIUM XIII.

Erga Pauperes & Orphanos admodum liberalis, larga ſtipe, ac miſſis etiam ſæpiſſime ex propria menſa exquiſitis ferculis, illorum neceſſitati ſubveniebat.

EMBLEMA.

Pyramis cum gentilitia Roſa in cacumine, è qua turmatim advolantes apiculæ mella legunt, inque depictum in nubibus alveare aſportant.

Epigraphe: IN CÆLESTES THESAUROS.

Fæneratur Domino, qui miſeretur pauperis. *Prov. 19. v. 17.*

Paſcua ceu flores Apibus ſunt publica, Egenis
Sic communis erat, PRÆSULIS arca, penus.
Horum quæ manibus præmiſit ad aſtra, recepit.
Sic vos non vobis mellificaſtis Apes.

ELOGIUM XIV.

Veniens ad vitæ finem, invicta in bono perſeverantia ad finem quoque deduxit arduum Religioſæ perfectionis opus.

EMBLEMA.

Pyramis lignea ſtrue cincta, atque ex omni parte jam elaborata, in cujus ſupremo cacumine Gentilitia Roſa nitet, quaſi quidam florum faſciculus, quem recens exſtructis & conſummatis ædificiis imponere ſolent, in ſignum lætitiæ ob operis conſummationem.

Epigraphe: CONGRATULAMINI MIHI.
vel
Conſummatum eſt. *Joan.* OPERIS VICTORIA FINIS.

Nil bene cæpta juvant; Operis Victoria Finis,
PRÆSULIS hæc noſtri Gloria magna fuit.
Occupat hinc ſummum Florum Regina cacumen,
Victori ut poſſit nectere ſerta ſuo.

ELOGIUM XV.

Tandem ſenio confectus ac labore, exhauſti viribus corporis diſſolutionem exoptat, ac mortem avide præſtolatur.

EMBLEMA.

Pyramis pervetuſta, ubique fatiſcens, ac proxima ruinæ.

Epigraphe: VETUSTATE NON VIOLENTIA.

Deſiderium habens diſſolvi & eſſe cum Chriſto. *Philipp. 1. v. 23.*

Lætus avet lethum PRÆSUL, fractoque ſolutus
Corpore ſidereas geſtit adire plagas.
Janua nempe Piis vitæ eſt mors; Ergo Viator
Ut moriare pius, vivere diſce pie.

ELOGIUM XVI.

Vitæ in morte lucrum obtinet, dum pro mortali & caduca immortalem ac felicem accipit in æternitate.

EMBLEMA.

Pyramis, è cujus cacumine Gentilitia Roſa, humanæ vitæ ſymbolum, immitti Euro decuſſa decidit; ejus loco cœleſti manu immarceſcibilem è Paradyſo Roſarum coronidem ſubſtituente.

Epigraphe: CUM FOENORE REDDO.

Et mori lucrum. *Philipp. 1. v. 21.*

Quid doleat PRÆSUL ſpolium mortale? beata
Cui mors æternum vivere poſſe dedit?
Jacturam fragilis redimit non labilis ætas,
Sic vitæ, in vitæ funere, fænus habet.

ELOGIUM XVII.

Dum moritur mundo, oritur cœlo, vitam non perdens, ſed in meliorem vertens.

EMBLEMA.

Pyramis in terra decidentibus undique fragmentis dejecta, ſed in cœlo exſtrui cæpta.

Epigraphe: SURGET IN MELIUS.

Opportet mortale hoc induere immortalitatem. *1. ad Corinth. 15. v. 53.*

Corruit heu! PRÆSUL funeſta morte peremptus,
Noſtrum heu! delitium, ſpesque decusque jacet.
At jacet ut ſurgat: DEUS Author humillima quævis
Erigit, & cœlo deſtinat inde ſuo.

ELOGIUM XVIII.

Vivit poſt funera DIONYSIUS in celeberrimo Collegio Wettenhuſano à ſe funditus erecto ac reſtaurato, Ejusque memoria apud Poſteros in benedictione & laudibus erit, quamdiu ſtabit Nobile Aſceterium. Et ſi homines tacebunt, lapides clamabunt.

EMBLEMA.

Pyramis proſtrata ante Prælaturam Imperialis Collegii noſtri, quod ubique Reverendiſſimi Præſulis Inſignia, præcipue tamen ſupra ſplendidum Prælaturæ ædificium 8. Pyramides exhibet.

Epigraphe: POST FATA SUPERSTES.

Memoria juſti cum laudibus. *Proverb. 10. v. 7.*

Non omnis moreris DIONYSI, ſtabit in ævum,
Authoremque ſuum grande loquetur Opus.
Ligna canent, lapides clamabunt, ſicque manebit
Immortalis honos, fama, decusque tuum.

XXX. FRIDERICUS Vogl Ehingæ oppido Danubiano ditionis Auſtriacæ anno 1639. die 7. Maij in lucem terreſtrem editus, atque Ulmæ in Monaſterio Wengenſi à puero educatus (Admodum Reverendi Nobilis ac Clariſſimi Viri Jacobi Protonotarii Apoſtolici Decani ruralis & Parochi in Homberg, nec non Spectatiſſimi Domini Chriſtophori Senatoris Ehingenſis Germanus Frater) poſt autem anno 1655. die 24. Junij inter noſtrates Sacram Regulam Canonico-Auguſtinianam Profeſſus ſuo tempore Primitias Sacerdotales celebravit 1662. die 11. Junij Dominica infra Octavam SS. Corporis Chriſti in Feſto S. Barnabæ Apoſtoli. Anno 1665. die 30. Auguſti in Decanum Conſtitutus poſt annos 14. videlicet 1679. die 20. Julii lubens iterum ceſſit officio, atque Auguſtæ Vindelicorum apud S. Georgium Parochum egit, usque dum anno 1692. die 12. Martij in Præpoſitum Wettenhuſanum electus ac ſequenti menſe Majo Dominica infra Octavam Aſcenſionis Domini de more in Eccleſia noſtra Wettenhuſana ſolenni Benedictione inſignitus in officio Prælaturæ perſtitit usque ad annum 1704. quo currente in antedicto Monaſterio Georgiano, ſacris omnibus rite munitus die 20. Februarij pie in Domino ſopitus, ac mox poſtridie Wettenhuſium revectus tumulum accepit in nova Crypta ſubterranea. Ad Monaſterium Georgianum ante ſe jam prius, nimirum anno 1703. die 10. Auguſti timore perdurantis Belli recepit. Durante ſuo Regimine Religioſam Confraternitatem contraxit cum Monaſteriis Ulmenſi, Urſpergenſi, Elchingenſi, Nereshemienſi, & Fultenbacenſi de quo pluribus in Actis.

XXXI. BARTHOLOMÆUS II. cognomento Koppenhofer gente Bojus Patria Andecenſis, anno 1663. die 27. Auguſti huic mundo natus, Monachi, Bojorum Metropoli in Domo Gregoriana manſuetioribus muſis excultus, tum lapſu temporis 1683. 27. Octobris Dominica 22. poſt Pentecoſten Canonica Profeſſione ad Imperiale Collegium noſtrum Wettenhuſanum receptus, ſubinde in Presbyterum ordinatus Primitias

tias ſolennes ad aram celebravit 1690. die 18. Octobris Dominica 22. poſt Pentecoſten in Feſto S. Lucæ Evangeliſtæ; Nec diu latuit ſub modio virtus, ſed adminiſtrandis jam ſatis matura Officiis ſuper Eccleſiæ Candelabra Cuſtos Bonus fuit Conſtitutus, ut inde evaderet melior Cellarius, optimus denique in rebus Oeconomicis Procurator, ſed melius dixiſſem Coadjutor, ſiquidem (ut jam ſupra memoravimus) abſente Reverendiſſimo Capite propter periculoſos Gallici militis tumultus, totam Regiminis molem ipſe ſolus ſuſtentabat, ipſis etiam hoſtibus hybernantibus Colloquij affabilitate, & ſuaviſſimo converſandi modo gratiſſimus: Digniſſimus proinde, ut, qui Atlantis munere tanto tempore erat defunctus, ipſam denique Prælaturæ dignitatem anno 1704. die 27. Maij (Interregno nimirum ob militem Gallum jam à menſe Decembri ſuperioris anni usque id temporis Monaſterio noſtro potenter inſidentem præter morem diutius protracto) aſſumeret, per Scrutinium ad id electus, & Authoritate Ordinaria confirmatus. Qui paulo, videlicet die 6. Julij Dominica poſt Pentecoſten in Octava SS. Apoſtolorum Petri & Pauli Auguſtæ Vindelicorum in Eccleſia S. Crucis ſolennem Benedictionem Abbatialem accepit, Initiatore Reverendiſſimo ac Illuſtriſſimo D.D. Euſtachio Egolpho à Weſternach, Epiſcopo Dioclenſi, Suffraganeo Auguſtano, Cathedralis Eccleſiæ Auguſtanæ Canonico & Præpoſito; Aſſiſtentibus Reverendiſſimis Prænobilibus ac Ampliſſimis DD. Felice S. Crucis, & Leopoldo S. Georgij, ibidem Auguſtæ Præpoſitis. Regiminis clavo ad motus exhauſtum Martis ingluvie ærarium brevi temporis intervallo ita locupletavit, ut nullo ære alieno gravatus novos ditioni antiquæ fundos adjecerit, quos inter inſigne prædium, vulgo *Aich-Hoff* dictum, quod à DD. L. B. de Vöhlin Neoburgi ad Camlachium reſidente pretio ſatis magno coëmit, & ruinæ proximum reſtauravit, eo majori pretio æſtimabile, quia Jurisdictione Territoriali ſeu Jure Gladii gaudet. Ex quo jam ſatis patet Bartholomæum Oeconomum fuiſſe providum, qualem etiam Lapides illi tamdiu clamabunt, quamdiu Lapis ſuper Lapidem manebit, quibus Camlachium amnem Hortum noſtrum interfluentem à Molendino usque ad Horti finem impoſitis etiam Pontibus Lapideis ita conſtrinxit, ut omnes, quotquot hucusque viderunt, tanquam opus nunquam non duraturum deprædicaverint. Admiranda porro, eaque ſingularis in Præpoſito iſto toto Regiminis ſui tempore eluxit in ſubditis regendis prudentia atque dexteritas, dum imperia in ſuos inſueta prorſus diſcretione novit moderari; & quamvis in illo ſingularis non fuerit Litterarum notitia, ſupplevit tamen omnia ſtupenda illius prudentia, quæ tantam ipſi etiam apud extraneos comparavit famam, ut à Reverendiſſimo S. R. I. Prælatorum Collegio ad graviſſima cum Sereniſſimo Duce Wirtenbergico Alexandro pertractanda negotia fuerit deputatus. Cæterum major erat in Bartholomæo noſtro erga Cœlites, eorumque in terris habitacula Religio, quam pro bonis temporalibus conſervandis & augmentandis ſollicitudo. Teſtantur hoc aut funditus ab ipſo exſtructa, aut reparata, & perpulchre exornata Divorum Domicilia in Deupach, Eberſpach, Hamerſtetten, & Cœmeterio extra Clauſtrum pro Parochianis Sæcularibus poſito. Teſtantur hoc ſupellectilis Sacræ Vaſa argentea & aurea, Paramenta Eccleſiæ pretioſa, quorum plurimorum illa, quam ſuis inſignibus prætulit Galli effigies, Bartholomæum auctorem decantat, quæque inter ferculum (Monſtrantiam vocant) ab auri argentique ſub feliciſſimo ſuo Regimine Bartholomæus iſte etiam Inſignem Particulam S. Crucis dono accepit à R. P. Maximiliano Wangenſi Capucino ſuperioris Auſtriæ, quam ab Ordinario approbatam in ipſa SS. Roſarii ſolennitate per Reverendiſſimum, Perilluſtriſſimum ac Ampliſſimum DD. Joannem Baptiſtam Præpoſitum ad S. Crucem Auguſtæ, & Abbatem Lateran. prima vice in Eccleſia noſtra ſolenni pompa exponi fecit 1739. ſequenti ſtatim anno hac ipſa SS. Roſarii Feſtivitate Medicorum ope reſtitutus (Apoplexia enim tactus erat) ſecundas ſuas Primitias DEO O. M. Sacerdos Jubilæus obtulit. Ubi pro Concione dixit Ampliſſimus Orator Reverendiſſimus, Prænobilis ac Ampliſſimus DD. Michaël Abbas Fultenbacenſis ſub iſto Themate: Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat Mater JEſu ibi Joan. 2. v. 1. Idem Reverendiſſimus Fultenbacenſis, & Perilluſtris S. R. I. Prælatus Joannes Evangeliſta p. m. Bartholomæum Sacerdotem Jubilæum ad aram ducebant, & Aſſiſtentis munere fungebantur. Aderat etiam actui huic ſolenniſſimo Abbatiſſa nobilis Parthenonis Edelſtettenſis Maria Anna Franciſca nata de Boubenhofen cum duabus Domicellis Capitularibus de Schenck & Boubenhofen.

Illuſtriſſimus ac Generoſiſſimus DD. Marquardus Adamus Antonius L. B. de Riedheim, D. in Harthauſen &c. Hoſpes Reverendiſſimo ſemper gratiſſimus duos pariter Filios ſuos natu majores DD. Alexandrum, & Maximilianum ad condecorandam hanc ſolennitatem ſecum adduxerat. At brevi temporis intervallo Converſæ ſunt nuptiæ in luctum 1. Machab. 9. in ipſo namque SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ die Feſto memorati anni 1740. circa horam 4tam matutinam ultima infirmitate correptus,

reptus, & ſub invocatione B. V. Deupacenſium Auxiliatricis, quadrante ad ſextam matutinam primo ſacris omnibus rite munitus, ſibique ad extremum usque halitum præſentiſſimus in Corona Filiorum adſtantium expiravit, & altefato Reverendiſſimo Fultenbacenſi etiam pro Concione funebri argumentum ſubminiſtravit. Anno Regiminis ſui glorioſiſſimi 36.

XXXII. MELCHIOR Gaſt Krumbaci Oppido Sueviæ haud ignobili in lucem prodiit 1691. undecima Decembris perhoneſtis parentibus. Muſis manſuetioribus Dilingæ egregie excultus ad Imperialem noſtram Canoniam 1709. tranſiit, ubi ſuſcepto S. Religionis habitu omnia Novitii Canonico-Auguſtiniani munia adeo implevit, ut ad Profeſſionem omnium votis promoveretur. Profeſſus in Dilingana Academia tales in ſeverioribus Diſciplinis fecit progreſſus, ut easdem Domi ſuis Confratribus Profeſſor profunde Doctus per plures annos ſine invidia communicaverit. Sacerdos 1716. factus, Vicarium in Deupach & Eberſpach Zeloſiſſimum Novitiorum Magiſtrum bina vice ſolertiſſimum quin etiam Culinæ & Cellariæ Præfectum omnino ſobrium & œconomum per omnia egregium egit. Atque hæc officia totidem fuere gradus, per quos ad ſupremum Præpoſiti dignitatem non præcipiti ſaltu, ſed emerito greſſu aſcendit 1740. decima Novembris. Authoritate Ordinaria confirmatus Præſularem Benedictionem accepit decima tertia Novembris anni præfati à Reverendiſſimo DD. Jacobo de Mayer, Suffraganeo Auguſtano, & Epiſcopo Pergamenſi, Aſſiſtentibus Reverendiſſimis Dominis Dominis Præſulibus Michaële Abbate Fultenbacenſi, & Joanne Baptiſta ad S. Crucem Auguſtæ Præpoſito, & Abbate Lateranenſi. Quamprimum ad Regiminis Clavum ſedit, eo ſtatim omnes animi curas intendit, ut Anteceſſorum ſuorum veſtigiis inſiſteret, imo etiam illis aliquo modo ſupparem ſeſe exhiberet. Et vere ſe talem exhibuit, dum illis omnibus, quæ Illuſtriſſimus Abbas Dionyſius de novo quaſi plantavit, Fridericus cum Bartholomæo rigavit, Melchior Præpoſitus intus & foris incrementum dedit. Dedit incrementum ſuppellectili Sacræ, dum in vaſa argentea & aurea, in Paramenta Eccleſiæ pretioſa ingentem pecuniarum ſummam pia quadam prodigalitate profudit; dedit incrementum foris dum temporales redditus adminiculante Auſtriaca Clementia, annuente nimirum Maria Thereſia Imperatrice & Regina Auguſtiſſima per pagos Grosköz, & Köfingen, tanquam prædia oppignoraticia ad 35. Annos vi pacti utrinque firmati notabiliter adauxit, & paulo poſt per Allodium Ehingerorum in Klein-Köz 22000. Floren. coëmptum noſtris redditibus novam acceſſionem fecit. In dicto pago Grosköz arcem (*Vöſtung vndt Burg* antiquitus dictam) ſed ruinæ jam proximam, de novo exſtruxit, & omnibus neceſſariis abundanter inſtruxit, ibidemque Domum Parochialem, & habitationem Præfecti non ſine magnis expenſis reparavit. Habuit Præpoſitus iſte & Paterfamilias pro bono ſui Collegii ſemper Vigilantiſſimus in Spiritualibus & temporalibus potentes Adverſarios, quorum tamen inſultus & machinationes feliciter ſuperavit, dum illis pro Clypeo objecit fortiſſimo illa Pſalmiſtæ in Symbolum ſuum aſſumpta Verba: Dominus Protector meus. Expertus eſt etiam veriſſimum eſſe: quod inimici hominis ſint Domeſtici ejus, nam durante ſuo Regimine ſubditus nequam, Franciſcus Kopp Kemnatenſis, quem à puero inter famulos aſſumpſit, eo progreſſus eſt audaciæ, ut balneum noſtrum ſalubre vulgo *Klingenbaad* dictum, & prædium in Nuſslach cum magno Collegii noſtri damno in Cineres redigere auſu plusquam temerario non exhorruerit; qui tamen Incendiarius poſtea mira Dei Diſpoſitione deprehenſus, & ad rogum damnatus, prius tamen funè ſuffocatus promeritas ſceleri ſuo pœnas dedit, ſicque morte illuſtri obiit. Flamma, quæ memoratum Balneum conſumpſit, ignem Charitatis in Corde Melchioris noſtri magis accendit, quod ex eo colligimus, quia novum ibidem ædificium in ſubſidium proximi variis languoribus affecti funditus erexit, & in nobiliorem à priori formam reſtituit, ad quod ipſe propriis ſuis manibus primum Lapidem poſuit. Porro Domum noſtram praxatoriam antehac nimis anguſtam notabiliter ampliavit, & molendinum noſtrum ex toto novum conſtruxit, cui etiam Officinam Serrariam, vulgo *Schneidmühle*, addidit; pluraque alia Præpoſitus iſte de Collegio noſtro optime meritus, & æterna memoria dignus laudabiliſſime præſtitit. Digniſſimus propterea fuit, ut à Sereniſſimo Ordinario D. D. Joſepho Landgravio Haſſiæ ad Jubilariam ſolennitatem in monte ſancto Andex 28. Septembris Anni milleſimi ſeptingenteſimi quinquageſimi quinti ab ipſo inchoandam deputaretur. Sed pro dolor! abiit ad præfatam ſolennitatem, eidemque ſolenne initium fecit, & dum iterum ad Collegium ſuum redire voluit, non amplius valuit, quia in pago Bäl repentina infirmitate correptus, & poſt octiduum in Dieſſenſe Can. Reg. Collegium delatus morbo Tympanitis quotidie ingraveſcente nona Octobris hora tertia Veſpertina in voluntatem Dei omnia ſuaviter diſponentis reſignatiſſimus obiit, ibique apud Con-Canonicos ſuos funebrem inter pompam ſepulchrum

chrum accepit anno incrementoſi ſui Regiminis decimo quinto ſub Reverendiſſimo, Perilluſtri ac Ampliſſimo D.D. Bertholdo Præpoſito Dieſſenſi. Maximarum virtutum Præſule, cujus Magnanimitati, Benevolentiæ, ac Amori Wettenhuſium noſtrum immortales Gratias debet, habet, & habebit ſemper. Quod autem Dolori noſtro hac ſuper jactura juſtiſſimo aliquale ſaltem lenimen attulit, Cor ipſius fuit, quod nobis transmiſit, ſimulque indicavit, Theſaurum ſuum fuiſſe noſtrum Collegium, ubi enim Theſaurus, ibi Cor. Quod dolore Cordis intrinſecus tacti tertia poſt obitum die veluti perpetuam Paterni Amoris Theſſeram accepimus, & in monumento Patrum noſtrorum depoſuimus. Lapidi ſepulchrali in Crypta noſtra ſubterranea inſcripſimus Epitaphium (hoc enim ſolum mæſtiſſimis Filiis reſtabat erga defuncti amantiſſimi Patris Cor amoris Filialis obſequium) ſequentis Tenoris.

Reverendiſſimi D. D. Melchioris Præpoſiti, Damaſii in Collegio Cann. Regg. MDCCLV. ſeptimo Idus Octobris fatis extincti.

Hoc jacet in tumulo.
Non totum, ſed pars tumulo concluditur iſto
Nam cor, non corpus Præſulis, urna tegit.
Hanc fecit nobis mors indiſcreta figuram,
Partem pro toto, dum dedit illa, Patre.
Fallor! Mors diſcreta fuit; de corpore toto
Membrum nobilius nam dare non potuit.
Cor dedit, & ſatis eſt; quia cor poſt fata ſuperſtes
Nobis ex tumulo, jugiter, inquit, amo.
Jugiter, inquit, amo. Fratres hoc corde docemur,
Ut nobis unum cor ſit, & unus amor.

Deſcripſimus Præpoſitum hunc in funebri Epiſtola ad DD. Confœderatos data velut hominem quemdam nobilem, qui abiit in Regionem longinquam accipere ſibi Regnum, & reverti. Luc. 19. Reverendiſſimus vero Perilluſtris ac Ampliſſimus DD. Georgius S. R. I. Prælatus, & Abbas Roggenburgenſis, cui fauſtiſſima quæque precamur, eundem Abbatem Melchiorem in Concione funebri ſub figura Tobiæ in Regiones exteras peregrinantis numeroſiſſimo Auditorio accomodatiſſime propoſuit; cui inſuper mons ſanctus Andex in debitam gratitudinis Theſſeram (prout ipſius Litteræ ad nos exaratæ loquuntur) ſequens Monumentum poſuit, totique Litterato orbi Typi Beneficio ita expoſuit:

Monumentum Regale.

Ergo Rex es tu? imo Rex Vetuſtus
ex Magis Chriſti adoratoribus
MELCHIOR
Obedientia tibi luxit, & te duxit Stella
non ex Jacob orta, ſed ex JOSEPH,
Principe & Pontifice
Auguſtano ſimul & Auguſto.
Hanc Cœli Lucem, & viæ Ducem,
Cometam Sanitas, Sanctitas tua Cynoſuram,
inde verita, hinc reverita eſt,
& actutum ad nutum ſecuta.
Mox in Andecenſi Bethlehem, Domo Panis
Prodigioſas ob tres Hoſtias, contra tres Hoſtes,
Beneficiis Liberales, & pie prodigas,
inveniſti, ob quem veniſti,

Non tamen in pannis, ſed in panis ſpecie
Candidum ſimul & rubicundum.
Puerum cum MARIA
Matre ejus Virgine,
Bis Thavmaturga
Apertis ad aram Theſauris Myſta genuflexus
Myſtica & Regia offers munera,
Aurum, Thus, Myrrham;
imo his plura:
Nam DEO Patri hoſtiam offers Filium,
Te ipſum DEI Filio
in odorem ſuavitatis.
Peracta adoratione properas remeare ad eum,
à quo miſſus, & ad eos à quibus
ægre dimiſſus fueras
Non ſine Prognoſtico ægritudinis,
utpote quibus præſagiit
valetudo tua dubia
certum vale.
Ut proin redux premas Regum veſtigia,
Per aliam viam reverſus es in Regionem tuam,
Non jam à viæ occaſu ad ſolis ortum,
ſed ab ortu ſolis ad vitæ occaſum,
via vere Regia, non lutea,
ſed lactea.

Vix tumor tubam animavit & Tympanitis Tympanum;
Sine mora vaſa colligis, & reſidua diſpergis munera,
Spiritum reddens DEO, Corpus exanime Damaſio,
Cor Imperiali ac Libero Wettenhuſio,
Monti Sancto tui memoriam.

Contriſtavit nos abitus tuus, dein & obitus,
Sed aditus tuus nos lætificavit;
Adiiſti quippe Regnum, quod pridem meruiſti
Te Sancte regendo, juſte tuos.

Quid mirum igitur, ſi talem plangamus Regem?
Sed faceſſat planctus! gratulemur potius Regi,
Qui ex terreſtri Solo ad Solium migrat Cœleſte,
Perpetuum, ut pie auguramur, acturus Jubilæum.

Monumentum hoc Regale noſtram, noſtrorumque Succeſſorum ſemper monebit mentem, ne unquam Præſulis noſtri Melchioris obliviſcamur, à cujus ulteriori Laude abſtinemus, dum illum pro meritis laudavit alienus, non os noſtrum. Hoc unicum adhuc dicimus, & poſterorum memoriæ velut laudis Epitomen tranſcribimus: Dum Melchior vixit in Religione, inſtruxit, docuit, adminiſtravit, procuravit! Rexit, & auxit.

XXXIII. AUGUSTINUS Bauhof Pferſæ prope Auguſtam in mundum natus 7. Maij 1709. poſtea in Auguſtenſi Gymnaſio inter Muſas educatus, & ibidem Philoſophicis Scientiis imbutus in utraque Palæſtra tales fecit progreſſus, ut ad noſtram Canoniam digreſſus præ reliquis Candidatis partas ad ſacram Religionem patentes invenerit, quas Scientiarum morumque integerrimorum Clavibus ſibi ipſi facile reſeravit. Ad Sacram Profeſſionem 23. Octobris 1729. admiſſus non obſcura dedit indicia, quod ſit homo ad Inſulam Wettenhuſanam à Deo miſſus. Scientiis namque Theologicis & Juridicis adeo animum excoluit, ut mox quarto poſt Profeſſionem anno

no nempe 1733. Sacerdotali dignitate insigniri sit promeritus. Non multo post Professor Humaniorum constitutus per plures annos Gymnasio nostro præfuit, & Studiosæ nostræ Juventuti impigre docendo vel maxime profuit. A Fonte Castalidum ad Cellam Vinariam & Culinam vocatus utrobique temperantiæ erat Studiosissimus, dein Vicarius in Hamerstetten simulque Cellarius Confratres pavit potu & cibo, Parochianos vero suos Verbo Divino Prædicator ferventissimus. A Martha transiit ad Mariam in Deupach Auxiliatricem, hujus Thavmaturgæ Cultum ut apud omnes promoveret, omnem movit Lapidem, & ita quidem feliciter movit, ut Augustino motore & Promotore Confraternitas de Corde MARIÆ ibidem erecta sub ipso hoc Præside Mariano maximum ceperit incrementum. Porro in acceptis referunt Augustino nostro Deupacenses Viam Sanctæ Crucis Vicariatus sui tempore pariter institutam, uti etiam Corpus Sancti Ursini Martyris, publicæ Venerationi expositum. Curam animarum Curæ Domesticæ exceperunt, dum, pro illis sufficienter approbatus, ad temporalium Administratorem Oeconomus omni exceptione major à Prædecessore suo fuit expositus. Quidquid Melchior Præpositus ædificiorum tam intra quam extra Collegii septa struxit, Procuratore Augustino simul & Coadjutore construxit & quemadmodum cum illo Regiminis molem & curas divisit, sic etiam cum illo provenientem exinde gloriam & honorem divisam habere voluit. Profecto magnæ molis erat totum qua late patet Atrium nostrum luteum & lutosum antea Lapidibus consternere; sed etiam hic Augustinus Bauhof nomen & omen habuit, quia Collegii nostri aream, quod aliis labor frustraneus & vix non impossibilis videbatur, paucorum annorum spatio Lapidibus ex Lapicidina nostra & quidem sine subditorum opera & auxilio advectis, totam Lapideam restituit. Sed etiam in hoc plus cæteris Procuratoribus laboravit, dum per sex annos in Officio Oeconomi simul & Culinarii, quod antehac nullus fecit, maximo cum fructu nec minori laude ministravit. Et quamvis in operibus Marthæ per integrum sexennium totus fuerit, nunquam tamen cum Maria spiritualia, eaque quotidiana exercitia neglexit, quibus alios Novitiorum Magister bina vice constitutus optime instruxit. Imo quod plus est, in tanta negotiorum varietate Mariani Præsidis in Deupach officium nunquam dimisit, & non obstantibus succenturiatis laboribus Domesticis singulis quatuor temporibus de laudibus Virgineæ Matris facundissime peroravit. At non sine præmio labor Oratoris Mariani fuit; nam hæc ipsa Mater Deupacensis, quam tamdiu Augustinus Filius glorificavit, etiam glorificavit Augustinum Filium, & post tot labores pro ipsius honore & Canoniæ nostræ Emolumento exantlatos ad Amplissimos S. R. I. Præsulis honores promovit. Verissimum nempe est: Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum. Ascendit autem ab Officio Mariani Præsidis Augustinus ad Dignitatem Wettenhusani Præsulis 29. Octobris 1756. Præsidente Canonicæ Electioni, & sub hoc Themate: Tu qui nosti Corda omnium, ostende quem Elegeris ex his Actor. 1. pro felici Electione perorante Reverendissimo DD. Nicolao Antonio Seiz, Reverendissimi ac Serenissimi S. R. I. Principis & Episcopi Augustani Josephi Landgravio Hassiæ tunc temporis in Spiritualibus Vicario Generali. Assistentibus Reverendissimis, Perillustribus, ac Amplissimis DD. Præsulibus Georgio S. R. I. Prælato, & Abbate Roggenburgensi, Joanne Baptista Præposito ad S. Crucem Augustæ, & Abbate Lateranensi, Testibus AA. RR. ac RR. DD. PP. Claudio Bannegger Canonico Roggenburgensi tunc temporis Cancellariæ Assessore, & Bartholomæo Crysta Ecclesiæ ad S. Crucem Augustæ Canonico Regulari & tunc temporis Procuratore. Augustinus Præpositus Neo-Electus, & statim Authoritate Ordinaria Confirmatus Abbatialem Benedictionem accepit 16. Novembris 1755. à Reverendissimo Perillustri ac Amplissimo DD. Adelmann de Adelmannsfelden tunc temporis Suffraganeo, & Episcopo Mactaritensi. Augustinum nobis præesse, sentimus cum gaudio, quæcunque hactenus molitus est opera ad bonum & emolumentum Collegii ejusque Canonicorum cedunt. Habemus in illo Regularis Disciplinæ ferventissimum Zelotem, Rei Oeconomicæ expertissimum Promotorem, Jurium nostrorum dexterrimum Defensorem, & quod rei caput est, Præsulem vere magnum, & Filiorum suorum amantem, quorum omnium cubicula fornacibus sub ipsa auspicatissimi Regiminis sui initia instruxit. Vasculis Vitreis ad mensam argentea substituit. Hortum Domesticum eleganti solario decoravit. Pupillorum ac Pauperum Causis per saluberrima Decreta ut misericos & justus Pater optime providit. Sublimiorum Scientiarum Mecænatem Philosophicarum Thesium Iconismus loquitur, Effigiem Eminentissimi, ac Purpurati Cardinalis Galli exprimens, cujus Honoribus consecratum esse voluit, sequentibus proin Litteris ab Eminentissimo Thesium Patrono est honoratus.

Reverendiſſime Pater!

Accepi nudius tertius, Reverendiſſime Pater! una cum tuis amantiſſimis Litteris quam plura earum Concluſionum exemplaria, quæ pro tua erga me eximia humanitate mihi dicare voluiſti; & in quibus (quod præter ſpem, & opinionem meam accidit) non ſolum laudis plenam Epiſtolam, ſed vidi etiam mei Imaginem affabre, & mirum in modum expreſſam. Itaque etiam tacente me, facile omnes qui in hoc tuo florentiſſimo Collegio commorantur, videre poſſunt, quantum tibi, quantum Profeſſori tuo Ordinario, ejusque Diſcipulis debeam.

Primum igitur maximas, ut debeo, tibi, dein Profeſſori tuo, unicuique denique Veſtrum. Et dum vivam non ſolum hujus egregii muneris memoriam conſervabo ſempiternam; verum etiam me tantum tibi debere profitebor, quantum ab homine deberi homini plurimum poteſt. Denique crede mihi, Reverendiſſime Abbas! nunquam committam, ut ullum à me grati animi munus ullo aut loco, aut tempore poſſis deſiderare. Interea peto à te, ut amare me pergas, & tibi plane perſuadeas te à me mirifice diligi

Ptis Tuæ Rmæ

Datum Romæ die 16. Dec. 1758.

Amantiſſimus Famulus
D. A. A. Card. Galli.

Tacemus alia Beneficia, quæ plena manu etiam in manſuetiores Muſas Wettenhuſanas congeſſit. Dum autem Reverendiſſimus Auguſtinus noſter totus amplificandi honoris Zelo inflammatus ardet Cœleſti Benedictionis imbre irrigatur ac felici ſucceſſu ejusdem conatus coronantur. Non tantum Dynaſtia Krumbacenſi, & Hirbenſi per Contractum Hypothecarium nobis vendicata proventus noſtros auxit, ſed novis inſuper honorum titulis ab Aula Cæſarea ornatus incedit. Anno 1759. vigeſimo nono Maij Auguſtiſſimus Imperator Franciſcus I., Auguſtiſſima Imperatrix & Regina Maria Thereſia ex proprio motu ob inſignia merita ac præſtantiſſimas dotes Auguſtinum Intimi ac Actualis Consiliarii titulo cum omnibus Juribus, Privilegiis ac Prærogativis eidem adhærentibus clementiſſime donarunt. Eodem adhuc anno per Diploma ſequens pro ſe ſuisque Succeſſoribus Archi-Capellani Hæreditarii dignitatem obtinuit.

WIR MARIA THERESIA &c. &c. Bekhennen offentlich mit dieſem Brief, für Unß, Unſere Erben, und Nachkommen an Unſerem Durchleuchtigſt Königl. Ertz-Hauß, und thun kund jedermänniglich: Was maſſen Wir zwar ſeit angetrettener Unſerer Regierung Uns inſonderheit angelegen gehalten, nach dem Löbl. beyſpiehl unſerer gottſeeligſten Vorfahreren an gedacht unſerm Königlichen Ertz-Hauß nicht allein unſerer Erb-Königreich, Fürſtenthum- und Landen, Ehren, Würden, und Freyheiten zu erhalten, ſonderen auch mit derer Vermehr- und Erhöhung in erwehnt unſerer Vorfahrer Fußſtapfen zu tretten, und dardurch unſeren Nachkommen Urſach zu hinterlaſſen, auf daß auch ſie deren Unterthanen, und ergebenen Diener Wohlthaten, und Verdienſte zu keiner Zeit unbelohnt laſſen mögten; In welcher Abſicht wir dann nicht nur unſere Länder, und deren Getreue- ſonderen auch gut geſinnte, und beygethane Reichs-Stände, und alte Geſchlechter wegen ihrer ſowohl zu Friedens- als Kriegs Zeiten mit Auffezung Guts und Bluts zu Aufnehmung unſeres Ertz-Hauſes, und für die gemeine Sache, je und allzeit erwieſenen getreu- nuzbar- und erſprießlichen Dienſten, neben anderen ſtattlichen Prærogativen, und Herrlichkeiten mit verſchiedenen Erb- und Ehren-Aemteren, womit ſelbe bißhero nicht verſehen geweſen, von neuem allergnädigſt gewürdiget und gezieret haben.

Wie zumahlen aber an dieſen- denen weltlichen treu gehorſambſten Ständen allein zum Genuß gereichenden gnädigſten Würdigungen der geiſtliche Stand keinen Theil hat, da doch derſelbe nicht minder, als die Erſtere, dem gemeinen Weeſen, und unſerem Ertz-Hauß ſowohl bey fürgewesten vorigen, als auch, und ſonderheitlich bey dermahligem Krieg, und ſonſten in allen Fürfallenheiten ſeine Devotion, Liebe, und Treue jederzeit lobwürdig geweſen; Als halten Wir für recht, und billig, daß auch derſelbige eines beſonderen Denckzeichen unſers ihme zutragenden Kayſerl. Königl. und Ertz-Herzogl. ſanfftmüthigen Willens ſich zu rühmen haben ſolle. Wann wir dann gnädigſt angeſehen, wahrgenommen, und betrachtet die vielfältige treu erſprießliche Dienſte, ſo der würdig

würdig andächtige unſer geheimber Rath, Hof-Caplan, und lieber getreuer Auguſtinus des Heiligen Römiſchen Reichs Prælat, und Infulirter Abbt des Reichs-Gottesbauſes Wettenhauſen aus Eyfer für das Vatterland, und eigenem Löbl: Antrieb ſeiner gegen uns, und unſer Durchleüchtigſtes Königl: Ertz-Hauß ohnabläſſig tragenden Devotion, beſonders in dermabligen Kriegs-Läufften an Tag geleget, da ſelber ſowohl für das allgemeine Beſte ſeine Reichs- und Creys-Schuldigkeiten, und Beyträgen mit allem Eyfer, Behändigkeit, und guten Willen, wie es einem wahren Patrioten zuſtehet, Pflichtſchuldigſt erſtattet, als auch bey gegenwärtigen Umſtänden zu Beſtreittung deren faſt unerſchwinglichen Kriegs-Unköſten uns bereitwilligſt unter die Arm gegriffen, und abſonderlich über die Herrſchafft Krumbach und Hürben einen billigen Pfandts-Contract eingegangen, hierzu ſein zwar auch devotes Capitul herbey gebracht, und nebſt deme bey dem uff Groß-Köz und Röſingen hafftenden Pfand-Schilling einige Vortheile eingeſtanden, mithin mit allem Eyfer und Aufrichtigkeit, nach dem rühmlichen Beyſpiel ſeiner Vorfahrer, welche nicht minder unſerm Ertz-Hauß viele getreue Dienſte geleiſtet, ſich in zerſchiedenen Vorfällen werckthätig dergeſtalten aller devoteſt erwieſen, daß wir zu gnädigſter Bezeugung unſers an ſeinem bißherigen Betragen, und bezeigt allergehorſamſten Dienſt-Eyfer tragenden Wohlgefallens bewogen worden, ihn nebſt der einem jeglichen Abbten allda ſchon vorlängſt ertheilten Kayſ. Königl. Raths Würde, zu unſerm Gebeimben Rath allermildeſt zu erkieſen; wie dann derſelbe nicht minder ins künfftige nach ſeiner ſtattlichen Vernunfft, Capacitæt, auch in Juſtiz- Land- und Polizey-Sachen habender guten Erfahrenheit, und anderen ihme beywohnenden exemplariſchen Gemüths-Gaaben willigſt fortzufahren, ſo vermögend, als denen nachkommenden Vorſtehern zu gleichmäſſigen Antrieb ein lobwürdiges Exempel zu hinterlaſſen immerfort befliſſen ſeyn wird.

Alß haben wir in dieſer gnädigſten Zuverſicht mit wohlbedachten Muth, gutem Rath, und rechten Wiſſen ihme Auguſtino Abbten des Gottshauſes Wettenhauſen zu mildeſter Erkantnus ſolch ſeiner beſonderen Verdienſten auch noch die weiters beſondere Gnad erwieſen, und demſelben von nun an auf beſtändig das Prædicat, und die Ehren-Würde unſers Erb-Ertz-Hof-Caplans zu einer beſonderen Diſtinction allergnädigſt zugeleget. Und damit auch ſeine Nachfolgere, mithin das geſamte Gottes-Hauß ein ewiges Denckzeichen davon habe; Als wollen wir dieſe Ehren-Würde unſers Erb-Ertz-Hof-Caplans auch auf ſeine Nachfolgere hiemit erſtrecket haben, in der Hoffnung, daß auch ſelbe in der- von ſelben uns bezeugten Devotion beharren, und durch ſein Beyſpiel und dieſe Gnad immer mehr und mehr aneyferen laſſen werden. Thun das auch aus Kayſerl. Königl. und Ertz-Herzogl. Machts-Vollkommenheit hiemit wiſſentlich in Krafft dieſes Briefs, alſo, und dergeſtalten, daß er Auguſtinus Abbt des Gotteshauſes Wettenhauſen, und alle künfftige Vorſtehere deſſelben Stiffts und Gotteshauſes von nun an ewig- und beſtändig unſere, und unſerer Nachkommen Erb-Ertz-Hof-Capläne ſeyn, ſich dieſes Titels gebrauchen, alſo nennen, und ſchreiben, und ſolchen Titul in allen ihren Reden, Schrifften, Handlungen, und Sachen, gegen uns, unſere Erben, und Nachkommen, und ſonſten gegen jedermänniglich gebrauchen, ſowohl auch von uns, und allermänniglich alſo genennt, geehret, geſchrieben, darfür erkennet, geachtet, gewürdiget, und gehalten werden, darbey auch aller- und ieglicher dieſer Erb-Ertz-Hof-Caplaney anhängig, und zuſtändigen Würden, Ehren, Gnaden, Vortheil, Recht, und Gerechtigkeit, als andere derley Erb-Ertz-Hof-Capläne von Alters her in unſeren Erb-Königreich und Landen gehabt- oder ins künfftig überkommen mögten, ſich allerdings freuen, gebrauchen, und genieſſen ſollen, können, und mögen, nach Recht oder Gewohnheit von allermänniglich ungehindert.

„ Wir gebiethen darauf allen, und ieden Unſeren Fürſten, Geiſt- und Weltli-
„ chen Obrigkeiten, Prælaten, Grafen, Freyherren, Ritteren, Knechten, Landes-
„ Hauptleuthen, Land-Marſchallen, Præſidenten deren Stellen, Vice-Domen,
„ Vögten, Pflegern, Verweeſern, Burggrafen, Landrichteren, Schultheiſſen, Burger-
„ meiſteren, Richtern, Räthen, Burgern, Gemeinden, und ſonſt all andern Unſern
„ Amt-Leuthen, Unterthanen, und Getreuen, was Würden, Standes, oder Weeſens
„ die ſeynd, ernſt, und feſtiglich mit dieſem Brief, und wollen, daſs ſie mehr gedach-
„ ten AUGUSTINUM Abbten des Gotteshauſes Wettenhauſen, und alle nachkom-
„ mende geiſtliche Vorſtehere daſelbſt bey vorſtehenden Ehren- und Würden rue-
„ higlich bleiben, ſie als Erb-Ertz-Hof-Capläne ehren, erkennen, und halten, auch
„ alle ſothaner Würdte anhängige Gnaden, Prærogativen, und Freyheiten ungehin-
„ dert genieſſen laſſen, darwider nicht handlen, noch das anderen geſtatten, in kei-
„ nerley Weiſs noch Weeg, als lieb einem ieden ſeye, Unſere ſchwäre Ungnad, und
„ Straff, und darzu eine Pöen von fünffzig Marck löthigen Goldes zu vermeiden,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

„ die ein ieder, ſo offt er freventlich hierwieder handlete, Uns halb in Unſere Cam-
„ mer, und den anderen halben Theil denen Beleydigten unnachläſslich zu bezahlen
„ verfallen ſeyn ſolle. Daſs meynen Wir ernſtlich mit Urkund dieſes Briefs, be-
„ ſieglet mit Unſeren gröſſeren Kayſerl. Königl. und Ertz-Herzogl. anhangenden
„ gröſſeren Innſigel, der geben iſt in Unſerer Haupt- und Reſidenz-Stadt Wien den
„ achtzehenden Monaths-Tag Auguſti, im ſiebenzehen hundert neun und fünffzig-
„ ſten: Unſerer Reiche im neunzehenden Jahre.

MARIA THERESIA. (L.S.) Johann Graf Choteck.

Ad Mandatum Sacræ Cæſareo-
Regiæ Majeſtatis proprium
Joh. Chriſtoph Freyh. v. Bartenſtein.
Lorenz Joſeph v. *Carqui.*
Regiſtrator J. F. v. Kirſtenau.

Quid aliud reſtat nobis, quam ut Amandiſſimo Præſuli noſtro tot honorum titulis fulgenti gratulabundi accinamus:

Vive diu! & magni menſuram Nominis imple;
Porro Auguſtinum per tua facta refer!
Te Divus Cæſar, te Diva Thereſia magnis
Exornat titulis, ſuſpicit ordo, colit;
Antiſtes merito hinc *Excellentiſſimus* audis
Quam Laudem meritam jam tibi nemo neget.
Sed Præceſſores tanto dum excellis honore
Præſul amate annis ſic quoque vince tuis.
Omnem debebit tibi Wettenhuſa decorem,
Æternum per te nomen habere valens.
Dent ſuperi vires! a te nam cætera ſummes,
AUGUSTINUS eras ſemper, & hoc ſatis eſt.

Scriptores Imperialis Canoniæ Wettenhuſanæ.

R. D. Antonius Kieber natione Suevus SS. Theologiæ & SS. Cann. Candidatus, & aliquamdiu Collegii Wettenhuſani Subdecanus. Vir ſingulari pietate & Litteratura conſpicuus. Obiit anno 1592. 30. Junii, ſcriptis quæ ſequuntur opuſculis.

1. de Villico iniquitatis. L. 1.
2. de Lampadibus quinque Virginum extinctis.
3. de Sex Hydriis in Nuptiis Canæ Galileæ.
4. de Siti Chriſti Salvatoris moribundi.

R. D. Auguſtinus Trappeldrein natione Suevus, pluribus annis officio Decani perfunctus SS. Theologiæ & SS. Cann. Candidatus. Ob juratum, ut ita dicam, zelum Canoniæ Religionis, & ob ſtupendam rerum agendarum peritiam, etiam ad alia Diœceſis Auguſtanæ Canonici Ordinis Collegia reformanda authoritate Ordinarii delectus, & ablegatus, tandem Sexagenario major anno 1603. die 2. Nov. pluribus aggregatus, ac communi omnium comploratu tumulo illatus, a ſe pie ſcripta reliquit Opuſcula:

1. De quotidiano Officio Divino in Conventu Dei inculpate ſolvendo.
2. De Reformatione, & ſtrictiori Obſervantia Clauſura & Silentii.
3. De Remediis æternæ Salutis Infirmantibus oppido neceſſariis.
4. De Singularitate commodorum temporalium in Religione eliminanda.
5. Conciones de tempore & Feſtis, item Quadrageſimales.

R. D.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

R. D. Bernardus Meichelbeck Suevus, hujus Collegii Canonicus, & Univerſitate Dilingana Philoſophiæ & Theologiæ Studiis apprime excultus, ſed & Aſceta verſatiſſimus, ac proinde ad alia noſtri Ordinis Collegia in Decanatus munere adminiſtranda petitus. Senio tandem ac laboribus fractus in ſuo Wettenhuſano domicilio pientiſſime obiit anno 1648. qui dum adhuc ſoſpes & incolumis viveret, magno ſtudio ac zelo ferventi plura conſcripſit Opuſcula Aſcetica, quæ tamen omnia immanis furor Militis Suecici anno 1632. in hoſtili totius Monaſterii direptione feraliter abſumpſit, modicis ſolum fragmentis inde relictis. Noſcuntur autem fuiſſe ſequentia.

1. Meditationes in ſingulos anni dies.
2. Meditationes particulares pro annuo receſſu decemdiali.
3. Exhortationes de quotidiano profectu Clauſtralium.
4. Media juvandi proximum in Via Salutis.
5. Conciones per annum de tempore & Sanctis.
6. Regula progrediendi de Virtute in Virtutem.

Reverendiſſimus D. Franciſcus Pappus Nobilis Rhætus, Patria Veldkirchenſis Imperialis Collegii Wettenhuſani Profeſſus, & anno 1635. ad Regimen Præpoſituræ Herbrechtingenſis in Partibus Wirtenbergiæ deſtinatus, & Authoritate Ordinaria confirmatus, dum ultra duodecennium laudatiſſime præfuit, denuo ſub annum 1648. Pace Weſtphalica deturbatus, ac Monaſterium ſuum alienis in prædam cedere coactus ad Religioſæ Profeſſionis ſuæ locum remeavit, ubi adhuc ad decennium & ultra ſuperſtes, Studiis Litterariis, & Exercitiis Sacris impenſe deditus, demum ſexagenario major anno 1659. die 12. Auguſti pientiſſime in Domino requievit, qui quondam adhuc ætate junior Matheſi, & ſpecialiter Aſtronomiæ deditiſſimus doctiſſime ſcripſit:

1. De Conſtellationibus in genere.
2. De Radio Solari & Lunari.
3. De Notitia Syderum.
4. Horologium Feſtivum.
5. Duas adjecit Decades Chronico Wettenhuſano a Reverendiſſimo Philippo Fabri conſcripto.

R. D. Joannes Chryſoſtomus Fabri in Imperiali Civitate Spirenſi natus. Anno 1601. die 11. Novembris per tria Vota Apoſtolico Ordini ſe mancipavit. Sacerdos factus primam Deo litavit hoſtiam 1607. Dom. IV. Quadrageſimæ. Maximarum virtutum Vir poſtulatus fuit in Decanum Celeberrimæ Canoniæ S. Georgii Auguſtæ Vindelicorum. Demum in Cathedrali Eccleſia Chiemſeenſi (ubi Belli Suecici tempore mutata Religioſæ profeſſionis ſuæ manſione ſtabilitatis votum emiſerat) mortuus & ſepultus eſt anno 1634. ætatis 53. die 13. Aprilis. Dilectæ ſuæ Wettenhuſæ, cui ægre Belli Suecici tempeſtate valedixerat, reliquit de laboribus manuum ſuarum Decem Volumina, adhuc extantia quæ *Officina Concionatorum* nomen gerunt. Theſaurus plane magnus, ex quo maxima ſubſidia habebunt Concionatores de Tempore, de Dominicis per annum, de Beata Virgine, de Sanctis, de Virtutibus, de Vitiis &c.

R. D. Auguſtinus Hailg natione Suevus, Patria Scherenſis. Profeſſus eſt vitam Canonicam anno 1607. Sacerdotio initiatus anno 1612. Anno 1659. Calendis Februarii jam Septuagenario major inter Suos non tam ætate phyſica quam Profeſſione Canonica Senior placida morte ſopitus; olim vero toto fere, quo in Religione vixit tempore, curis Parochialibus intentus uti & aliquot annis in Exercitu Cæſareo Miſſionarii Caſtrenſis munere laudabiliſſime perfunctus, ſuæ Bibliothecæ domeſticæ pia quædam reliquit Opuſcula manuſcripta, quæ leguntur eſſe ſequentia.

1. De Fervore Canonicæ Religionis irremiſſe tenendo. L. 1.
2. De interna Conſolatione mentis jugiter ſervanda. L. 1.
3. De Viribus Animæ conſtantiſſime fovendis. L. 1.
4. De diverſis Gradibus internæ Compunctionis. L. 1.
5. De Nobilitate Religioſi fervoris, nunquam non magnifacienda. L. 1.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Pluribus annis tempore Belli Suecici administravit Parochias in Höfelhurst, & Wattenweiler, atque inter Vicarios Regulares inibi personaliter residentes omnium ultimus fuit. Anno 1658. ad finem Martii in Vicarium Ichenhusam constitutus decem solummodo mensibus animarum Pastorem egit, anno enim proxime sequenti Calendis Februarii in æde Parochiali ibidem vitam terrestrem exuit pro tempore Capituli Senior, ut supra memoravimus. Cujus exanime corpus eodem adhuc die ad Canoniam Wettenhusanam honorifice revectum tumulum accepit in ambitu anno 1659. die 1. Februarii.

Reverendissimus D. Philippus Faber Nobilis Rhætus Veldkirchensis. Vitam Canonicam auspicatus est anno 1613. die 4. Julii. Post Sacerdotales Primitias anno 1616. celebratas Oeconomiæ Collegii Præfecturam gessit, & quidem sedulitate maxima, usque ad annum 1629. quo decurrente mense Septembris ad Herbrechtinganam Præposituram postulatus, Authoritate Ordinaria ad hanc confirmatus simulque a Commissariis Cæsareis in plenam possessionem inductus est. Adiit illam quidem omnibus dotibus ad Magistratum hunc gerendum ornatus, biennio tamen Regiminis nondum expleto brevi post per universam Sueviam imo, & totam propemodum Germaniam malis passim undique indies increscentibus mœrore consumptus, communi omnium bonorum luctu 4. Maji anno 1632. ad mansiones æternas transiit, post cujus felicem obitum Præpositura per triennium vacavit. Scripsit summa cum accuratione

Chronicon Wettenhusanum Tribus Decadibus Distinctum, quod etiam MS. extat in Bibliotheca exempti Collegii Wengensis.

R. D. Franciscus Petrus natione Suevus. Patriam habuit Augustam Vindelicorum, ex thoro legitimo, ac perhonestis parentibus ortus anno 1639. in orbem natus. Humaniores Musas patrios intra lares, severiores scientias intra Wettenhusanæ Canoniæ pomœria edoctus fuit, atque illas triplici Votorum Religiosorum vinculo adstrictus maxima cum capacis ingenii, ac indefessæ industriæ, quam egregii profectus laude absolvit. Sacerdotio initiatus vitam contemplativam activa temperare jussus Parochiales curas summa cura in se suscepit. Oeconomiæ Præfectus Pater Pauperum & Consolator afflictorum audiit. Religiosæ vitæ semitam adeo indefesse cucurrit, ut ob Regularis vitæ conversationem omnibus amori fuerit & exemplo. Otium, Diaboli culcitram, cane pejus & angue fugit, omnesque horas a negotiis ex Sacra Obedientia impositis vacuas, aut sacræ lectioni, aut evolvendis historicis, aut Scriptioni impendit. Scripsit

1. Sueviam Ecclesiasticam
   sumptibus Bencardianis Dilingæ editam in folio anno 1699.
2. Germaniam Canonico-Augustinianam.
   Præsens Opus, in quo conscribendo plusquam 40. annos sudavit.
3. Germaniam Sanctam.
4. Bibliothecam Canonico-Augustinianam.
   Horum duorum postremorum Operum non nisi fragmenta extant, quod dolendum. Nulla ipsi dies in seram usque ætatem fuit sine linea. Interim tamen dum perficiendæ complendæ, reficiendæ, & augendæ suæ *Germaniæ-Canonico-Augustinianæ* omnem laborem, omnesque curas usque ad Septuagesimum Septimum vitæ suæ annum impendit Mors vitæ suæ filum simul & contexendæ historiæ abrupit anno 1716. quo piissime defunctus ex misera lachrymarum valle æthereas mansiones, atque a laboribus ad æternam requiem transiit, quam illi cum omnibus Historiæ Ecclesiasticæ amatoribus ex animo imprecamur.

R. D. Thomas Eberwein Suevus, Weissenhornii progenitus. Anno 1568. die 29. Septembris de more solenni professus post susceptum Sacerdotium anno 1574. totum se Litteris ac pietati consecravit, unde mox anno 1576. in Decanum Monasterii ad S. Nicolaum extra Passavium in Norico postulatus fuit, ubi uno solum anno in suscepto commissæ reformationis negotio perstitit, maximum tamen fructum inde reportavit, ab homine enim inimico lethaliter intoxicatus vel invitus domum remeavit propriosque lares repetiit, ubi continuus Infirmariæ inquilinus lenta tabe corruptus, Religiosæ patientiæ speculum humana deseruit anno 1607. die 4. Octobris in ambitu sepultus. Scripsit

In-

Insignem tractatum de Disciplina Canonica sarta & tecta jugiter conservanda. Lib. Unum. Servatur adhuc in MS.

R. D. Sebastianus Ratlishofer Ichhusianus Suevus. Post vota emissa Presbyter factus anno Domini 1580. mense Decembri primum Sacrificium obtulit Deo anno proxime sequenti in Epiphania Domini. Provixit inde usque ad annum 1607. quo currente terris vivere desiit. Custodis officium laudabili solertia gessit, ac in MS. reliquit:

1. De Zelo animarum Pastoribus necessario. L. 1.
2. Sermones de potioribus Festivitatibus. L. 2.
3. Sermones de Dominicis per Annum.

Reverendissimus Perillustris ac Amplissimus Dominus Godefridus Rheter, de quo supra inter Præpositos Wettenhusanos egimus, locum honorificum inter Scriptores Asceticos fuit promeritus per sequentes Tractatus quos singulari zelo conscripsit:

1. Tyrocinium Militiæ Christiano-Religiosæ. L. 1.
2. De Fructibus Obedientiæ. L. 1.
3. Conciones de tempore ac Sanctis. Lib. 5.

Reverendissimus Perillustris ac Amplissimus Dominus Augustinus Erath ab Erathsberg. Cujus nomen grande semper fuit ac erit in Orbe Litterario. Gente fuit Suevus Patria Buchlovienſis e forensi territorio Episcopatus Augustani progenitus ex Prænobilibus Parentibus. Tres habuit Germanos unum Cognominem ad Exemptas Insulas Wengenses Ulmæ Præpositum ac Abbatem S. C. Majestatis Consiliarium ac Sacellanum perpetuum, alterum Reverendissimum Dominum Antonium Antistitem Celeberrimæ Canoniæ Steingadensis Abbatem, denique tertium P. R. D. Carolum Canonicum Regularem & Procuratorem Inclytæ Canoniæ Diessensis in Bavaria, hosce quatuorviros Reipublicæ Ecclesiasticæ vere magnos omnis deprædicabit Posteritas. Augustinus hic noster per triplex Religiosæ vitæ vinculum in Canonia Wettenhusana se obstrinxit Deo anno 1667. Dominica decima octava post Pentecosten die 2. Octobris in Sacerdotem consecratus fuit primumque Sacrificium solenniter ad aram litavit anno 1672. in Festo Divæ Virginis annuntiatæ. Anno 1677. in Subdecanum assumptus, in Cathedra tum Philosophica tum Theologica Augustinianum ingenium prodidit. Quare Superiorum jussu in Episcopali Universitate Dilingana SS. Theologiæ Doctor inauguratus post absolutos aliquot Philosophiæ ac SS. Theologiæ cursus, post administrata varia Religiosi sui domicilii munia ab Eminentissimo S. R. Ecclesiæ Cardinale & Principe Passavienſi in Consiliarium Ecclesiasticum assumptus, ac demum vacanti Prælaturæ ad S. Andream in inferiori Austria legitima postulatione anno 1698. præfectus fuit, Mitramque Abbatialem obtinuit, maximis meritis, scientiis egregiis, virtutibus eximiis dudum promeritum. Obiit Musis omnibus amare flentibus, ac cum ingenti omnium bonorum luctu anno 1719. decimo quinto Octobris, ac regna cœlestia adiit Aureola Doctoratus æternum coronandus. Catalogus præclarissimorum suorum Operum est sequens:

1. Mundus Symbolicus in Folio, à Domino Philippo Picinello Canonico Regulari & Abbate Mediolanensi Italico Idiomate compositus ac tertia vice in Italia editus; postmodum à D. Augustino Erath in Latinum traductus ac justo volumine auctus. Etiam in Latino Idiomate jam tertia vice impressus est; Imprimis Coloniæ Agrippinæ Anno 1680. rursus ibidem anno 1694. ac denique Lipsiæ, etsi tecto loci nomine, Anno 1607. Distributus est in duos Tomos, quorum primum Augustinus Erath Anno 1680. die prima Maij dedicavit Serenissimæ Eleonoræ Mariæ, Reginæ Poloniæ, Archi-Ducissæ Austriæ, & Ducissæ Lotharingiæ &c. Alterum Serenissimo D. Carolo Leopoldo, Duci Lotharingiæ, & Barri, Gubernatori Tyrolis, Cæsarei Exercitus supremo Præfecto &c. Nuncupatorium hoc munus Serenissimis Conjugibus, Reginæ Poloniæ & Duci Lotharingo, Oeniponti submississime oblatum, perquam placuisse, luculento ac clementissimo testimonio demonstrarunt, dum D. Augustinum Erath in Palatio Oenipontano præter alias gratiarum exhibitiones donaverunt grandi catena aurea, & appendente viginti Dugatorum Numismate, cujus una facies repræsentat utriusque Serenissimi Conjugis effigiem; altera Symbolicam amborum Iconem.

2. Lumina reflexa seu Consensus veterum Authorum Classicorum cum Sacris Bibliis Legis antiquæ ac novæ. D. Philippo Picinello Canonico Regulari & Abbate Lateranensi Authore; & ex Italico Latinum reddente D. Augustino Erath. Nuncupatus est Celsissimo Principi Rudolpho Josepho Secoviensium Episcopo, Comiti à Thun. At cum liber Celsissimo Principi porrigendus, ad Episcopale Palatium Græcense deferretur, Princeps magno Interpretis mœrore mortuus est. Impressus est liber in Folio Francofurti ad Mœnum Anno 1702.

3. Commentarius Theologico-Juridico-Historicus in Regulam S. Augustini, nova Methodo explicans Ordinum Religiosorum, præsertim Canonicorum Regularium, originem, vota, essentiam, prærogativas &c. Impressus est Viennæ Austriæ in Folio, Anno 1689. approbatus à tribus Universitatibus, Viennensi, Coloniensi & Græcensi. Ac imprimis dedicatus Reverendissimo Domino Christophoro, Prælato ad S. Hippolytum in inferiore Austria &c. & postmodum Reverendissimo Domino Maximiliano Ernesto, ex Comitibus de Gleisbach, Cathedralis Ecclesiæ Secovienſis in Styria Canonicorum Regularium Præposito & Archi-Diacono nato. Tomus primus hujus Commentarii respondet primo Capitulo Regulæ Augustinianæ, subsecuturis etiam reliquis novem Tomis ad totidem Regulæ capita, si Deus vitam ac vires in modernos Prælaturæ labores concesserit.

4. Unio Theologica seu Conciliatio Prædeterminationis Physicæ seu Decreti Divini intrinsece efficacis, prout Thomistæ docent, & Decreti Divini extrinsece efficacis, prout Recentiores per Scientiam mediam explicant. Impressus est liber in quarta forma Augustæ Vindelicorum Anno 1689. ac dedicatus Innocentio Undecimo, Pontifici optimo, Maximo. At priusquam liber Romam attigit, Summus Pontifex, magno Authoris luctu, supremum diem obiit.

5. Maximæ Sacrarum Religionum ex Regula S. Augustini centum Discursibus explicatæ, Authore D. Philippo Picinello, & interprete D. Augustino Erath, Canonicis Regularibus. Impressus est liber Augustæ Vindelicorum in quarta forma Anno 1696. Inscriptus D. Decano & Canonicis Regularibus Ducalis & exemptæ Ecclesiæ Collegiatæ in Berchtolsgaden.

6. Tractatus Theologico Canonicus de Sacris Canonicorum Regularium vestibus, Rocheto, Mozetta, Almutia &c. imprimis Viennæ Austriæ in quarta forma, ac postmodum in octavo Dilingæ rursum impressus Anno 1686. Nuncupatus Reverendissimo Domino Christophoro Prælato Clauſtro-Neoburgensi in inferiore Austria.

7. Augustus Velleris aurei Ordo, per Emblemata Ectheses Politicas, & Historiam demonstratus. Accessere Historica origo Augusti Ordinis Militaris Equitum Aurei Velleris; item Parergon primum de Illustrissima Domo Lambergiana; & Parergon secundum de Illustrissima Domo Scaligerana, cujus insignia inserta sunt Insigniis Lambergianis. Impressus est in forma octava Ratisbonæ Anno 1697. ac dedicatus Excellentissimo D. Francisco Josepho Comiti à Lamberg &c. Aurei Velleris Equiti, S. C. M. Consiliario Intimo, & superioris Austriæ supremo Capitaneo. Abhinc triennio, videlicet Anno 1694. hic Libellus de Aureo Vellere Passavii in Folio fuit impressus, additis Thesibus Logicis, quas Præside D. Augustino Erath propugnarunt, Illustrissimi Domini Comites de Lamberg & Harrach, easque Excellentissimo Domino Comiti de Lamberg, supremo Austriæ superioris Capitaneo, Patri, Patruo, & Avunculo suo, cum Velleris Aurei torque insigniretur, dedicarunt. In his Thesibus omissa sunt Parerga, quæ Libello accesserunt; addita tamen est Tabula Genealogica Illustrissimæ Domus Lambergianæ, cupro incisa.

8. Symbola Virginea, quibus Festa ac virtutes Deiparæ Virginis quinquaginta Discursibus ac totidem Symbolis repræsentantur; Authore D. Philippo Picinello, Interprete D. Augustino Erath, Canonicis Regularibus. Impressus est liber in forma octava Augustæ Vindelicorum Anno 1694. dedicatur Reverendissimo Domino Matthæo, Prælato Canonicorum Regularium ad S. Florianum superioris Austriæ.

9. Meditationes & Recollectiones Animæ, per decemdialia Exercitia Deo suo vacaturæ. Italico Idiomate editæ à D. Bernardo Finetti, Clerico Regulari.

Lati-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Latinitate donatæ, & copioſe auctæ à D. Auguſtino Erath, impreſſæ Auguſtæ Vindelicorum Anno 1690. Dedicatæ Reverendiſſimo Domino P. Leopoldo, Regiæ Cartuſiæ Maurbacenſis in inferiore Auſtria Prælato.

10. Acta pro Coæva exemptione Cathedralis Eccleſiæ Paſſavienſis contra ſubjectionem Metropoliticæ Eccleſiæ Salisburgenſis, hactenus agitata Romæ coram ſacro Tribunali Rotæ Romanæ, & Viennæ in Aula Cæſarea; tota cauſa nunc ex Summi Pontificis & Cæſaris Mandato ad perpetui ſilentii tranquillitatem compoſita. Inter Acta primo Typis Viennenſibus prodiit ſuccincta Narratio Facti & Juris, quod habet Eccleſia Paſſavienſis contra Salisburgenſem in cauſa Exemptionis. Secundo ſuccincta Narratio Facti & Juris iterata ac defenſa pro nativa Exemptione Eccleſiæ Paſſavienſis contra Brevem Notitiam Juris Metropolitici Salisburgenſis in Eccleſiam Paſſavienſem. Tertio Genuina Informatio Hiſtorica pro nativa Exemptione Eccleſiæ Laureaco-Paſſavienſis contra recens ſcriptum, cui titulus, Informatio Hiſtorica ſuper Jure Metropolitico Salisburgenſi in Eccleſiam Paſſavienſem. Typis Paſſavienſibus, Authoritate ac juſſu Celſiſſimi Principis, Epiſcopi Paſſavienſis.

11. Adventuale, ſeu Conciones in ſingulos Dies Adventus.

12. Item Quadrageſimale primum,

13. Et Quadrageſimale ſecundum, ſeu Diſcurſus in ſingulos Dies Quadrageſimale. Italico Idiomate compoſitæ à D. Philippo Picinello, Interprete D. Auguſtino Erath, Canonicis Regularibus. Hoc Anno 1710. in forma quarta Typis Lipſienſibus imprimenda.

14. Manna Animæ, *oder Himmel-Brodt der Seelen, auf jeden Tag des Jahrs eingerichtet von* R. P. Paulo Segneri Soc. JEſu Idiomate Italico. *Hernach auf Befehl Ihro Kayſerl. Majeſtät* Eleonoræ Magdalenæ Thereſiæ *von Herrn* Auguſtino Erath *in das Teütſche überſezt, und Ihro Majeſtät* dediciert. Idiomate Italico quinquies impreſſum, & bis Idiomate Germanico in forma octava Viennæ Anno 1690. & Lipſiæ in forma quarta Anno 1692. Denique etiam Latino Idiomate in forma quarta Dilingæ. Quod ſuæ Sacræ Cæſareæ Majeſtati labor verſionis Germanicæ placuerit, teſtata eſt aureo annulo ex Saphyro; & cruce pectorali Adamantibus & Smaragdis diſtincta, quam D. Auguſtino Erath donavit.

15. *Geiſtliche* Amalthea *oder Betrachtungen und Verſammlungen der Seel durch zehentägige* Exercitia, *ſambt 20. geiſtlichen* Diſcurſen. Auguſtæ Vindelicorum Anno 1695. in forma octava; Dediciert *der Hochwürdigen Frauen* Anna Euſebia Antonia *Gräffin Preinerin, und Pröbſtin der* Regulierten *Chor-Jungfrauen* S. Auguſtini *zu der Himmel-Porten in Wienn.*

16. *Kurz verfaßte Sprüchwörter der Heiligen Ordens-Stüffter* in forma duodecima. Coloniæ Anno 1680. Dediciert *der Hochwürdigen Frauen* Maria Catharina Portnerin *von Teyren, des Cloſters Mödingen* Ord. S. Dominici Priorin.

17. Variis typis Dilinganis, Auguſtanis, Paſſavienſibus & Viennenſibus editæ ſunt diverſæ Conciones Panegyricæ de S. Benedicto, SS. Ignatio & Franciſco Xaverio, S. Franciſco Aſſiſiate, S. Bernardo, S. Dominico, S. Pancratio, S. Dorothea, & tres Panegyres funebres.

18. Inter Manuſcripta adhuc aſſervantur tota Theologia Scholaſtica,

19. Et Tractatus ſingularis ad mentem S. Auguſtini de Sacramentis.

20. Item Anti-Chriſis pro vindicando honore ac Prærogativa ſacri & antiquiſſimi Ordinis Canonicorum Regularium.

21. His omnibus proxime accedent Annales antiquiſſimæ Eccleſiæ Collegiatæ Canonicorum Regularium ad S. Andream cis Traſenam in inferiore Auſtria cum Hiſtoria Politica rerum Auſtriacarum, quos Annales hoc adhuc Anno 1709. Author D. Auguſtinus Erath, Deo Duce, proſequitur, proxime ad finem ac typum deducendos.

22. Meditatur etiam ſingularem Tractatum de Titulo Abbatis, prout Prælatis Canonicorum Regularium & Monachorum competit; ſequenti Anno Typis parandum.

R. D. Hieronymus Bozenhardt Suevus. Natus est in vitales auras ex honestis Parentibus Elchingæ, quæ superior dicitur, Anno 1682. Inter Benedictinas Monasterii Elchingensis Musas adolevit. Vitam Canonicam Professus est in Wettenhusano Collegio Anno 1700. die 20. Octobr. In Universitate Dilingana Philosophicis & Theologicis Scientiis vacavit & primam insigni cum laude adeptus est SS. Theologiæ Lauream. Ab Universitate Dilingana Redux sublimiorum Scientiarum Cathedram ascendere jussus, ex qua tanta cum laude descendit, ut viri doctrina præstantis, famam domi, forisque, sit assecutus. Honorifica domi administravit officia, Decani ac Novitiorum Magistri ingenti cum fructu. Maligna febri correptus pie in Domino obiit Anno 1721. Ulmæ in Exempta Canonia Wengensi, in qua junioribus Canonicis Theologiam prælegerat. Quæ edidit sunt:

1. Solitudo Sacra pro Novitiis Apostolici & antiquissimi Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini. Ulmæ typis Gassenmajerianis Anno 1717.
2. Vita SS. Salvatoris nostri JEsu Christi, à glorioſis Comprehensoribus antiquissimi & Apostolici Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini moribus & Exemplis expressa. Constantiæ Anno 1721. Pars I. tantum prodiit.

Novam præstantissimi hujus operis, & quidem completi Editionem proxime exspectamus.

R. D. Petrus Paulus Rosenberger, natus est Augustæ Vindelicorum Anno 1660. die 8. Junij. renatus per vitam Religionis Canonico-Augustinianæ die suo Natali nempe 8. Junij Anno 1681. Varia officia, invariata tamen cum laude obiit inter suos Con-Canonicos. Ad Thavmaturgam Deupacensem per 26. Annos excurrit, Parochiæ & Archi-Confraternitatis SS. Rosarij Præses, nunquam nec in via, nec in Cathedra Mariana, nec in cura animarum fatigatus. Novitiorum Magister ad plantandos Canonici Ordinis surculos destinatus Viros & spiritu & zelo sibi simillimos reliquit. Anno 1718. ad Decanatum promotus eidem per septennium omni cum laude præfuit. Meritis plenus ac omnibus SS. Morientium Sacramentis vitæ provisus in corona Fratrum pie obiit Anno 1736. die 26. Junij. Bis Jubilæus anno ætatis 76. Professionis 55. & Sacerdotij 50. Publicæ luci donavit.

1. Marianarum Concionum volumen.
2. *Schatz des Heiligen Rosenkranz in 12. Augspurg* Anno 1696.

Transeamus nunc à mortuis ad vivos, hos inter, qui aliquid publicis Typis vulgarunt sunt sequentes

P. R. D. Stephanus Seiz modernus celeberrimi hujus Collegij Sub-Decanus. Orator Apostolico Zelo plenus & eloquens, cujus aliquot Panegyrici Sermones publicam aspexere lucem.

1. Opus tertiæ diei Creationis. Sermo habitus Elchingæ in Jubilæo Confraternitatis B. V. Mariæ dolorosæ. Campidonæ 1744. Typis Rollianis.
2. Sanctitatis Triumphus. Eucharisticus & Sæcularis Sermo Anno 1752. dictus in Medlingensi Ordinis Prædicatorum Cœnobio quod hoc anno ob centenarium Monasterii sui possessionem Jubilæa per Octavam celebravit gaudia. Augustæ Vindelicorum sumptibus Eysenbarthianis 1752.
3. Panegyricus in Honorem S. Benedicti Patriarchæ declamatus è Cathedra Ecclesiæ Imperialis Monasterij Ochsenhusani, cujus sumptibus & communi applausu impressus est Anno 1751.
4. Arbor vitæ. Sermo de SS. Cruce Climacensi. Reperitur inter Sermones tempore Jubilææ solennitatis in Climacensis Parochiæ Ecclesia habitos ac postmodum impressos.

A. R. D. Bernardus Streler Ex-Decanus, ac Sub-Senior hujus Collegii meritissimus

1. Eleganter ex sacro umbone locutus est in Jubilæo Monasterii Fultenbacensis Ord. S. Benedicti, atque floridissimum Sermonem suum passus est publicari inter reliquos Panegyricos hac occasione publicæ luci datos.
2. Solennem Orationem etiam habuit in Translatione Corporis S. Isidoræ Virginis & Martyris Günzburgi publicæ venerationi apud Seraphicas S. Francisci Filias exposita, quæ pariter typis excusa est.

Quid Bernardus iste, Vir eruditissimus, & Mathematicis etiam Scientiis excultus præstiterit in elaborando Globo Cœlesti Imaginibus Sanctorum Sacri Ordinis nostri decorato, quantumque laboris impenderit in Colligendis Documentis ad Germani-

maniam Canonico-Auguſtinianam? ſatis deſcripſimus in Præfatione Tomi III. hujus Collectionis.

A. R. D. Ambroſius Zeſch Ex-Decanus, & p. t. Procurator meritiſſimus, Apoſtolicam ſuam eloquentiam in variis publicis Cathedris cum applauſu demonſtravit, verum duos duntaxat PanegyricosSermones publice excuſos legimus. Uterque habitus eſt In Medlingano Ordinis Prædicatorum Monaſterio.

Primus Laudes enarrat S. Catharinæ de Ricciis in ſolenni ejusdem Canonizationis memoria.

Secundus Doctoris Angelici encomia facundiſſime promulgat.

WEYARENSE.

Anno Domini 1133. quo Innocentius II. in Sedem ſuam a Lothario II. reſtitutus, idemque viciſſim ab eodem Pontifice Romæ in Baſilica Lateranenſi ritu ſolemni eſt inauguratus, inclytum hoc, & elegantiſſimum hodie Monaſterium Bavariæ in diſtrictu Diœceſis Friſingenſis pro Canonicis Regularibus conditum Deo, & BB. Petro, & Paulo in ſuam, & majorum ſalutem una cum conjuge ſua ſponte, & humiliter obtulit Illuſtriſſimæ Familiæ ſuæ ultimus Sibotho Comes a Falckenſtein, & Nenburg, ut latius patet ex Litteris Fundationis, quas integras habet Metropolis Salisburgenſis tomo 3. fol. 494. & ſeqq. Porro novam oblationem iſtam ratam, & gratam recipiens Metropolitanus Reverendiſſimus DD. Conradus S. memoriæ Archi-Epiſcopus Salisb. legitime confirmaſſe legitur hoc tenore: *Ego Conradus, Salisburgenſis Eccleſiæ Dei gratia Archi-Epiſcopus defendendam ſuſcipio, & in nomine D. N. J. C. & authoritate B. Petri, & Innocentii Papæ noſtri confirmo, ut, ſi quis eam annullare, vel in irritum ducere temerario ſpiritu attentarit, anathemate percuſſus intereat, & a ſocietate totius Eccleſiæ cum Chriſto regnante ſequeſtretur, cum Juda in inferno torqueatur. Anno Domini MCCXXXIII. Indictione 11. Innocentio Papa, Lothario Cæſare facta hujus rationis conſignatio. Datum Salisburgi ſeptimo Iduum Juliarium die.* Ita Hundius ex Aventino tomo 3. fol. 495. Cæterum de origine, fundatione, & progreſſu Monaſterii hujus plura ſcripſit ejus Præpoſitus Reverendiſſimus DD. Georgius, anno 1532. terris demortuus; quæ tamen effera ſequentium temporum Bellona denuo ſubtraxit: ut ex iis nil penitus remanſerit, niſi mutilus hic

Catalogus

Reverendiſſimorum Antiſtitum Eccleſiæ Weyarenſis Cann. Regularium S. Auguſtini Diœceſis Friſingenſis in ſuperiore Bavaria.

LIEBHARDUS, obiit anno 1273.

GOTTSCALCUS 1387.

WILHELMUS 1332.

RUDPERTUS 1344.

CONRADUS I. 1346.

ALBERTUS 1350.

HENRICUS 1372.

CONRADUS II. 1389.

FRIDERICUS Kircher 1467.

LEONARDUS Lauffner 1490.

GEORGIUS I. Haffner 1516.

GEORGIUS II. Rotſchmidt 1532. venerationi S. Barbaræ V. M. deditiſſimus; hinc morti vicinus in ædem ſacram ad aram illius ſe volens deferri, ibi dulciſſimo in Patronæ tutelaris ſuæ ſinu felicem animam reclinavit, de Canonia ſua præ multis egregie promeritus. Fertur ſcripſiſſe de prima fundatione Weyarenſi.

JACOBUS Köpfinger 1543.

GEORGIUS III. Schmittheimer poſt triennium obiit 1548.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

JOANNES Rieder, villicus utilis, & fidelis adminiſtrationem terminavit anno 1561.

OSWALDUS Graff 1569.

JOANNES I. Ecſihart, Presbyter ſeculi, Parochus Aiblingenſis, ob Monaſterium adeo depauperatum, & ædificia collapſa, nullo alio ſuperſtite poſtea adminiſtrationem gerere nominatus brevi obiit anno 1570.

JOANNES II. Piſcator ex Canonia Berenriedenſi poſtulatus, provixit ad annum usque 1575.

LEONARDUS Hörmann Aiblingenſis adminiſtrationis munus aſſumpſit anno 1576. rexit annis 13. tandem decrepitus obiit in pace anno 1589.

GEORGIUS IV. ſolo poſteris nomine notus.

CASPARUS Holnſteiner in officio confirmatus, obiit 1610.

WOLFGANGUS de Reiffenſtuel, ſanguine, virtute, rerum gerendarum peritia Nobiliſſimus, obiit 1626.

VALENTINUS Steurer, de quo glorioſa dicta ſunt, tot annis Antiſtes, quot Magiſter noſter, Chriſtus vixit, annis 33. ut ex ungue noſcatur leo, Valentinus valens erat opere, & ſermone, quem ob antiquam, & adnatam pectoris ſinceritatem, & ſimplicitatem, inſigni prudentia, providentia, & agendi dexteritate ſtipatam potentes admodum æſtimabant, amabant, & honorabant maximi quique, medioximi, & infimi; præ cunctis autem Ille Germanorum Salomon Maximus-Æmilianus, Maximilianus, Septemvir Imperii Elector, & Dux Bojorum, cui in tantis erat gratiis, & delitiis, ut quoties placeret, ingrediendi Aulam Electoris toties copia eſſet. Oeconomi incomparabilis nomen obtinuit, quia Monaſterii Cenſus, & reditus auxit, prædia, villas, nemora, Decimas, feraces piſcium aquas comparavit, totam Domum inſignibus ædificiis illuſtravit, ampliavit; ad quæ laudatiſſime præſtanda maxime adjuvit, quod totis 18. annis inter Status Provinciales in Regimine Monacenſi Quæſtorem egerit, quæſtum faciens liciſſimum pecuniarum, & maximorum meritorum, erga D. P. N. Aurelium Auguſtinum vere aureus Zelotes, quin & univerſum Ordinem Canonicum, ut in Bojaria, ſuo præſertim Cœnobio luculentum honoris Ejus incrementum fecerit non locum, parietem dimittendo, unde non reſplenderet divus aliquis Ordinis noſtri Canonicus, vel picta tabula expreſſus, vel lapide, vel ligno formatus, & exciſus. Nec intra domeſticos ſolum parietes fervor hic ſubſidebat, & alibi paſſim negotioſus, in promovendo Ordinis bono tum Romæ, Gabrieli Pennoto, nominatiſſimo noſtri Ordinis Hiſtoriographo, Lateranenſis Congregationis Abbati, ſummique Hierarchæ Conſiliario per litterarum commercium notus, & pretioſus, tum alibi quoque, ubi ubi poterat. Sic ſane erga Ordinem noſtrum afficiebatur tenere, ut vel ipſis parvulis ejus amorem inſtillare laborarit, pro doctrina Chriſtiana elargiri volens multifarias Icones Divum noſtrorum, quarum ingentem copiam ære depingi fecit ſumptibus haud ſane exiguis. Loquuntur & ejus in Apoſtolicum hunc Ordinem fervorem templa, ſaxa, marmora, parietes, tabulæ, chartæ, perenni eloquio reſonantia litterarum monumenta. O tales numeret Achilles plures hic Ordo! quam brevi aliam induet faciem ſereniorem! ſed, ubi in Prælatorum ſubſelliis ſplendet aurum, nitent gemmæ ad mundi pompam, fervor interim Ordinis ſubſidit, amor elanguit, contemptus accrevit; quid mirum, jacere debita Religionis ornamenta, Diſciplinæ Canonicæ incrementa? quemadmodum autem in Ordinem, & ejus Patrem pius erat, ſic in Matrem, & maximam Candidæ Religionis Patronam, B. V. devotus erat. Hujus a Roſis dictam Archifraternitatem vel in limine Regiminis jam introduxit non ſine maximo in Theotocon amoris augmento. Baſilicam, tota regione celebrem ad fontem ſanctum Weichelindam prope Höglin brevi magnis laboribus excitavit nobiliſſimæ ſtatuæ B. V. crebris miraculis ibi propitiæ; de qua Guilielmus Gumpenberger S. J. in ſuo Atlante Mariano Triade 1. Imagine 184: fol. 298. ita ſcribit: *In pago Höglingen, prope Monachium, Bavariæ Metropolin hortus eſt longus 100. pedes ultra 12. latus 86. ſimplici ſe cinctus, dictus pridem Weichlindanus a tiliis duabus, quæ olim latiſſimis brachiis ramoſæ umbram fecere ſepulchris 3. magnorum virorum, ut conſtans ait majorum traditio. Nec mirum, hic jacere, qui hic cecidere, quicunque illi ſint; nam anno 635. magna ibi cum Hunnis, ſeu Hungaris Bavariæ infeſtiſſimis prælia fuere. Certum inſuper eſt, S. Marinum Epiſcopum, natione Hibernum, ab Hunnis ibi crudeliter occiſum eſſe, teſte Proprio Feſtorum Monaſterii Rottenſis ad Oenum fluvium, ubi S. hic titularis colitur. Senes tradunt, rupta negligente ædituo ſæpe, animalia, inde gramen capientia, contagioſa lue periiſſe, & grandinem omnem viciniam illo anno vaſtaſſe; Locus jam a ſaculis ſanctus, ſacello bono-*



CANONIA REGOECESIS ERISINGENSIS IN
BAVARIA IN ILI FUNDATA ET CONSECRATA

Joann Franck fc 1687

CANONIA REGULARIS WEYARENSIS CANN: REGG ORD: S. AUGUSTINI DIŒCESIS FRISINGENSIS IN BAVARIA IN HONOREM PRINCIPUM APOSTOLORUM SS PETRI ET PAULI FUNDATA ET CONSECRATA ANNO CHRISTI. M CXXXIII

Joann Franck sc. 164[illegible]

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

honoratus a pagi incolis eſt anno 1632. quo Suecicus furor Bavariam vaſtavit, ſacelli Patrona electa B. V. Sic nempe cogimur majorum vota, & promiſſa ſeri nepotes perficere; voverunt enim hoc ſacellum incolæ pagi ea conditione, ſi indemnes prætevirentur, & voto facto fuga ſe furori ſubduxere. Abeuntibus e Bavaria Suecis rediere inquilini, & omnes pagi hujus incolæ domos ſuas intactas reperere; ſed & anno 1634. a peſte totius Patriæ Höglingenſes fuere immunes, & hactenus, ut, & diu poſtea, 11. annis promiſſum Sacellum nondum ſtetit. Obtenta tandem Ordinarii facultate rotundum exſurrexit venuſtum Sacellum. Nunc de ſtatua B. V. lignea loquor, duos cum dimidio pedes alta; ſtabat in Parochia Höglingenſis pagi in alto pariete, olim, ut ferunt, culta, tum vero nullo honore celebris. Accidit, ut vexillifer ſupplicationis ruſticanæ ſacrum, & altum vexillum ſupplicantibus Prælaturus, labore, & ingenio erectum imperitius vibraret, & ſtatuam è ſuo loco deturbaret; quæ, quia ex tanta altitudine in ſtratum lapide pavimentum violenter præcipitata, illæſa tamen omnino permanſit, populo pius majorum cultus in mentem rediit. Votum igitur omnium fuit, columnam erigere juxta Sacellum, & ſtatuam columnæ imponere ad frugum ſecuritatem contra grandines. Conceſſit Parochus, nec diſplicuit B. V. vigilem ſe creatam a ruſticis his; fatentur certe, nunquam eam ſe vidiſſe ſacram ſtatuam, nivibus coopertam, afferebanturque anathemata, accepti Beneficii certa teſtimonia. Interea pro Sacello meliore advecta jam omni materia quærebatur aqua miſcendæ calci, & poſt facilem foſſionem quamprimum reperiebatur. Facilitas hæc occaſionem dedit ſperandi majora, nam ægris aqua pota fuit ad ſalutem, quin & ad balneum aptata majus loco nomen fecit; ut & e terris remotis concurreretur; nec itineris pœnituit, quos vera fides adduxit: Nam ſani rediere, quos venientes mala premebant. Miracula ritu Eccleſiæ ab Ordinario approbata, & ſcriptu digna numerantur 130. ab anno 1645. ad annum 1660. Porro ſupra Sacellum fabricarunt templum ingens, Cœnobio Weyarenſi unitum. Jam tandem peregrinis Sacramenta petentibus ſat fieri poteſt, & citra paucos annos 30000. numerarunt communicantium, novem Altaribus hæc peraguntur, anno 1657. Calendis Julij ab Ordinario loci conſecratis. Viſitarunt pie templum præter Ferdinandum tertium Imperatorem Ejus cognati, Sereniſſimi Archi-Duces Auſtriæ, Ferdinandus Carolus, & Sigismundus Franciſcus. Imperatrix Eleonora lampadem argenteam, alii donarunt alia. Hæc ad me ex Weyarenſi Monaſterio perſcripta ſunt, ait R. P. Gumpenberger l. c. Præterea idem Præpoſitus in ſuo atrio Weyarenſi eidem B. V. Sacellum erexit, ut & in medio areæ coloſſum e quadrato lapide poſuit in apice, ſtatua B. V. inſignem, & D. Barbaræ ſuam pijſſimam locavit operam, antiquiſſima ejus Sodalitate in Reichersdorff magno Zelo reparata, ab Innocentio X. P. M. Privilegiis impetratis, & Indulgentiis. His proin paſſibus valentiſſimis Valentinus properavit ad ſuorum coronam meritorum, quam utique indeptus eſt anno 1659. menſe Decembri, die 3. hora nona matutina, omnibus Eccleſiæ Sacramentis rite præmunitus, defixis in Chriſi crucifixi effigiem oculis, adſtante Fratrum corona, poſt vitæ 73. regiminis 33. annos.

BERNARDUS Clar, cujus virtutes inſignes hoc deſcribunt encomio litteræ, ad Confœderatos emiſſæ: *Annus erat hujus Seculi ſextus, quo mortalium lucem aſpexit, exin primo Monachii humanioribus feliciter abſolutis mox Oeniponti Archi-Ducalis Aulæ Principi Ephebus ſuffectus, emenſo litterarum curriculo maturus in D. Archimandritæ Auguſtini Canonicas Leges juratus miles tranſcriptus adeo Belle ſuas ubique partes egit, ut ad diverſa Aſceterii noſtri munia, ut per gradus aſcenderet. Audite, & mirabimini tantas in uno puerulo gemmas, quas ſilere Filiorum amor, & dolor poſthumus non ſinit. Decanatu per annos 15. laudabiliter evoluto, 11. æſtates cum dimidia Præpoſituræ clavum tanta laude, & œconomiæ prudentia tenuit, ut jure omnium votis, ſuſpiriisque memoria Ejus in animis omnium, maxime ſuorum, nunquam ſit emoritura. Ampliora fors exſpectatis? Non deſunt; ſingulis enim menſibus pro numinis cultu, & B. V. honore e Cathedra ad circumfuſam multitudinem diſertu. ingenti verborum enevgia dixit, & movit inſignis plane Eccleſiaſtes; quin & pro re Chriſtiana addiſcenda adſtantibus parvulis Catecheſeos dogmata, ut nucleum e cortice ſuaviter explicuit humilis, Soteris Theandrici ſecutus Exemplum Matthæi cap. 19. v. 1. Diſcipulis indignantibus parvulos ad ſe venire permittens, talium eſſe Regnum cœlorum coram edixit, pauperum Studioſorum Fautor eximius, quos omni charitatis obſequio in Weyarenſi ſuo Seminario ope, & conſilio complexus eſt, paſſim ab omnibus Pater pauperum audivit. Fœchinganam ædem, B. V. Beneficiis illuſtrem, fere collapſam, e fundo inſtauravit.* R. P. Gumpenberger l. c. Imagine 105. fol. 221. meliorem ædis formam ſic pingit: „ Föchinga pagus eſt, tribus leucis Monachio diſtans. In Templo vides ſtatuam B. „ V. Doloroſæ gypſeam, ſesquipedem altam, hodie ad invidiam cæterarum miracu- „ loſam. Origo tanti cultus, & Beneficiorum hæc eſt: Nicolaus quidam lapicida

„ inter rudera, neſcio, cujus Templi hanc ſtatuam eruit, & impetrata eorum, quorum „ intererat, licentia ſuam fecit, Monachium detulit, & coluit domi cum uxore. „ Hæres ejus Michaël, Electorali Hoſpitali S. Eliſabethæ Præfectus eam aliquamdiu „ tenuit, unde devenit ad Nicolai parentis ſocrum Mariam. Anno demum 1645. „ ad Eliſabetham catapultarum Magiſtri uxorem devoluta eſt Jure Hæreditario; quo „ obeunte Eliſabetha Anglipoli conceſſit Monachium, vidua octogenaria. Accidit, „ ut brachium ſic læderet, ut id movere ad caput nequiret diu, noctuque, graves „ ſemper perpeſſa dolores, dum ſemel ſacram ſtatuam feſtivius veſtitura e ſtatione „ ſua tolleret; tum enimvero quamprimum omnis dolor evanuit, & prior brachii „ uſus non ſine omnium ſtupore rediit. Fama mox per omnem circumlata urbem „ Monachii cives, B. V. addictiſſimi ita advolarunt, ut mox videretur domus verſa „ in Templum; nam & Lytaniæ plena Muſica cantabantur, & vota facturi votis „ damnati redibant, locum iterato venientes implebant muneribus, & cera, accepti „ teſtibus Beneficii. Res nova Friſinga accivit Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Epiſco- „ pi Vicarium, qui rite examinatis miraculis multa eorum approbavit. Res publi- „ cum ſpectabat, & Eliſabetha patrio Templo pagi dicti tantum theſaurum deſtina- „ bat. At Sereniſſima Maria Anna Auſtriaca, Electrix Bavariæ ſacram ſtatuam, an- „ tequam aveheretur, in Aula habere voluit. Hic per aliquot dies a toto Gynecæo „ pie cultam remiſit, pretioſa veſte ditiorem. Tandem, non repugnantibus Sereniſſi- „ mis Principibus, & annuente Epiſcopo Friſingæ, non ſine honorifico comitatu de- „ ducta, & in templo S. Joannis Baptiſtæ decore collocata anno 1646. 5. Julii; mox „ peregrinantium accurſus locum celebriorem fecit, & celebritatem auxere Beneficia „ B. V. mille, & amplius pœnitentes diebus B. V. numerari ſolent; ob Templi angu- „ ſtias etiam extra ſub dio auditi. Miſſus eſt ad me Catalogus miraculorum appro- „ batorum numeroſus, fors typis edendus. Demum Eliſa in ultimo ſenio 90. fere „ anni pie defuncta Fœchingam, in Patriam eſt delata, & ante Altare B. V. ſepulta. „ Hæc ad me ex Monaſterio Weyarenſi Canonicorum Regul. S. Auguſtini perſcripta „ ſunt, " ait Gumpenberger l. c. Sed amplius; „ idem Præſul D. V. M. Barbaræ „ Eccleſiam in Reichersdorff qua concionibus, qua picturis, & ſacris Imaginibus mag- „ nis ſumptibus decoravit. Ex peculiari ergo Jesu Nutritium D. Joſephum, & Ejus „ proſapiæ SS. Obſervantia in Eccleſia Weichenlindana, ad ſacrum fontem dicta Fra- „ ternitatem S. Joſephi primus erexit, fundavit, Diplomate Pontificio ſtabiliit. Erga „ tremendum Miſſæ Sacrificium adeo erat devotus, ut quotidie aris non ſolum ad- „ ſtaret myſta, ſed duo inſuper, vel plura, non impeditus, audiret ſacra, Roſario „ B. V. addictiſſimus cliens, cujus honorem privatum & in publico propagare pro „ viribus allaborabat, Sodalis ex aſſe Marianus. Feria Pentecoſtes II. graviter de- „ cumbens, poſthabita valetudine, ſcipione nixus, e loco quodam, Eccleſiæ noſtræ „ contiguo Divinis intereſſe magno populi exemplo viſus eſt. Denique in lectulum „ ægre deportatus, dum ſubin ſpaſmus illum corriperet, manus in Sacerdotis morem „ pium Sacri Miſſarum Canonis meditantis jam extendit, jam porrexit in altum, & „ ſibi coram Horas Canonicas a Fratribus recitari voluit integras, quas, quoad potuit, „ lingua titubante eſt proſecutus, ne verbo quidem de vi morbi conqueſtus, omnia „ Dei nutui tranſcripſit, & dolorem patienter ſuppreſſit. Cum Sacerdos quidam no- „ ſter invaleſcente morbo in conclavi decumbentis pluries ſacra faceret, e ſtrato æ- „ gre prorepens, & in genua ſe demittens maxima animi demiſſione ſacri dimidium „ bis humi genibus ſine fulcro perduravit. Hoſpitalem vultis inſuper? fuit aman- „ tiſſimus Præſul; norint illi, quos paterne, ſi non lautæ, ſaltem benevolæ menſæ „ adhibuit, & pro Clauſula ultimi ferculi cor appoſuit affabilis, meliora daturus, ſi „ habuiſſet. Temporis erat avarus mercator, ſacris, aut domeſticis curis occupatus, „ reſiduum temporis Concionibus, aut animarum ſaluti lubens impendit, Bibliothe- „ cam Libris inſtruxit copioſiſſimis, Templum vaſibus pretioſis, & pulchris adorna- „ vit, pro Teſtamento grande ſui deſiderium in animis Fratrum reliquit, multis jam „ lacrymis deploratum. Demum poſt ſacram Exhomologeſin Evchariſtiæ pabulo re- „ fectus, & ſacro ceromate delinitus, lethargo, apoplexia, & capitis dolore diriſſime „ excruciatus, decimo Calendas Junij circa noctis decimam placide obdormiit, anno „ ætatis 65. Profeſſionis Canonicæ 36. Fratrum amator, egenorum, & pupillorum „ Pater, reciproce ab omnibus reverentiam, & ſingularem amorem reportare meritus. „ &c.

GELASIUS Harlas, cujus laudum Epitomen ex Encyclicis Confœderatorum Literis, typo deſcriptis in compreſſum coarctamus hoc compendium. Laudum quaſi titulus, ſeu Epigraphe hæc erat: „ Lauda poſt mortem. Novam, & inſolitam hacte- „ nus Præſul hic Vigilantiſſimus Laudis materiam dedit uberrimam: Laudem voluit

„ audire

„ audire raro, adverſus Panægiriſten cum nauſea in vita vera fuit illi laus invita; ſed „ nec poſt mortem laudari voluit, prohibuit Confœderatis in rotula, aut prædicari „ in Cathedra, tantum ſuffragia, preces, Sacrificia rogavit inſtantiſſime humillime. „ Quid amplius? vitupero. Prohibet in vita, quod Deus dat, & ratio non vetat; „ mandat poſt mortem, tunc, ubi mandata Præſulis jam exſpirarunt cum Præſule, ne „ cadaver terris mandaretur in Templo, quod is ſat magnificum exſtruxit ſumptibus, „ curisque plurimis, ne honeſtiori videretur in loco proprio modeſtus poſt mortem „ recumbere, elegit potius calcato ſub aditu ad Portam Templi jacere ſepultus. „ Altare ſummum, dedicatum Petro, cui Chriſtus ipſe Cœlorum claves tradidit, Præ- „ ſulis ſumptibus artificioſe elaboratum non poteſt aliter compenſari, quam, ut vicis- „ ſim Petrus ad cœli portam primus humillimo Præſuli obviet aperta porta. Quod „ olim ſublimis ſplendido quaſi Theatro in Throno reſidens Pontificaliter, hic primus „ Infulatus Præpoſitus Canoniæ Weyarenſis Gelaſius præſideret, talis is tibi videre- „ tur extra, at is ſibi intra videbatur alius, humilis, exiguus, & vere ſic erat, ſuper- „ bus non ſibi, ſed Canoniæ honorificus, ambitioſus non Canoniæ, ſed Deo pium „ Majeſtate peregit Sacrificium, populo novum mirante. Ex ultimis intellige prima „ vitæ, & nobilem animum nobilibus Patritiis Monachii, & Herbipoli ſatum, & Ju- „ venis præproperum ad Religionem Zelum, quo tetenderit cum tota norma Regu- „ læ, quam obſervavit annis 46. Hæc pietas cum rei œconomicæ ſcientia, & magna „ diligentia conſtituit ipſum Præpoſitum, & præfuit annis 22. ſic, ut deſideretur ad- „ huc diutius. At is peregit curſum vitæ, & Religionis anno 63. 30. Novembris, „ hora ſexta inclinante, mane, momento, quo ad aram Sacerdos elevabat Evchari- „ ſtiam, non morbo aliquo miſere cruciatus, ſed placide deficientibus vitalibus, ſubin „ in ſinum obviantis incidens, paulatim in lecto phreneſi correptus, & iterum ſibi re- „ ſtitutus, munitus Sacramentis ſancte omnibus, poſtquam valedixiſſet Canonicis, „ obdormiit vere in Domino. Hinc, poſtquam ipſum pauperibus ſui deſiderium re- „ liquit, & ſubditis reſtat triſtis memoria, ſcientibus benevolum Præſulis animum. „ At nos anguſto Præſulem jam tectum loco in terra aſpicimus jacere ſepultum, qui „ multis curis, & anguſtiis reliquit ſuis commodum, & pulchrum ædificator bonus „ Conventum: Ille, qui Deo Eccleſias erexit adhuc duas cum ſplendore, & orna- „ mentis debitis, quibus providit ſubin ad abundantiam, nec inde laudem, ſed Dei „ quæſivit gloriam. Ergo nobis Canonicis ob mortem plorantibus, ſuſpiriis gemitu „ triſte ſonantibus verba deſunt ad laudem Præſulis: Mandatum miramur, ut tacea- „ mus, etiam poſt mortem chari Præſulis obedientes Filii obſequimur. Sat laudatus, „ quia ſic voluit, laudari noluit. Mirum! unde Deum benigne diſponentem lauda- „ mus, & Virginis Patrocinium: Primo defecit ſpiritu, & vitalibus, in æde B. V. die „ Sabbathi, inter Lauretanos Cantus, quo poſt octiduum exſpiravit etiam: Redux „ ad animum, & mentem venit, poſtquam communis plebs cum Sacerdotibus expo- „ ſita ad pietatem Synaxi, oraſſet Roſarium: Huic præ aliis devotus precator opti- „ mo exemplo ob auxilium laudem dedit præſtitum Barbaræ Virgini, & Patronæ ago- „ nizantium, ne immatura quis diſcedat morte, aut ſine moriatur Viatico, ſic erat „ deditus, ut nunquam non coleret, hujus Fraternitatis Promotor aſſiduus, eviden- „ tem hinc expertus aſſiſtentiam, & præmonitum inſtantis mortis &c. Obiit anno „ 1698. 6. Januarij.

Doleo occaſionem mihi deeſſe dicendi plura. Pulſavi fores, auditus non ſum. Si non aperitur, abitur, ut commune habet Proverbium. Interim qui plura de celeberrima hac Canonia ſcire cupit, illi ſuadeo ut mortuos potius quam vivos conſulat, præſertim Hundium & Gewoldum in Metropoli Salisburgenſi Tomo III. pag. 342. & ſequentibus, ubi plura occurrent Diplomata huc facientia.

WILDESHUSANUM.

Seu Wilshuſen, Weſtphaliæ ad fluvium Huntam ſitum, & olim ob præſentem Ottonem tertium Romanorum Imperatorem inclytum oppidum, ubi Wigbertus Dux olim Angriæ Collegium erexit Canonicorum, & ipſe fundator ibi converſatus requievit; ſic enim de eo Albertus Krantius Lib. 11. Saxon. cap. 26. *Hic igitur Wigbertus inter Saxones vir primarius, uxore accepta Sindacilda, de genere Rabodi, Friſonum Ducis, qui baptizandus, quonam conceſſiſſent Patres ejus, ubi audiit, omnes a Chriſto alienos in perditionem abyſſe, pedem a baptiſterio retraxiſſe fertur, eo ſe profecturum conteſtans, quo majorum ſuorum cœtus demigraſſet. Ex ea conjuge Wigbertus geminam ſuſtulit prolem, Brunonem, & Walbertum. Profectum hunc Wigbertum Romam comperio devotionis gratia, & inde Sanctorum Reliquias retuliſſe, quæ in novum Collegium,*

gium, quod in Wildeshuſen oppidum Bremenſis Diœceſis erexit, ſunt collocatæ, ibique vir Chriſtiani nominis amabiliſſimus, poſt longam inter ſuos, & religioſam vitam in pace obdormiens requievit, ibi tumulatus Item cap. ſeq. *Walbertus filius erat Wigberti, in gente Saxonum Nobiliſſimus, & in Chriſtiana pietate ferventiſſimus, qui Romam devotionis gratia petens a Summo Pontifice Leone corpus B. Alexandri M. filii felicitatis acceptum dono in Weldeshuſen perfecto Collegio, a patre inchoato perduxit, & ibi religioſe eſt veneratus.* Agit de eo Chronicon Mindenſe apud Henricum Meibomium tomo 1. Rerum Germanicarum, pag. 555. *Dicitur corpus Alexandri, filii S. Felicitatis integrum e Roma in oppidum Weſtphaliæ Wildeshuſen a Walberto filio filii Wedekindi Regis Angarorum translatum; de quo denique in Officiis propriis Eccleſiæ, & Diœceſis Oſnabruggenſis die 10. hujus; ubi poſt verba illa Martyrologii Romani: capitis ſententia puniti ſunt, ſubjunguntur hæc: ex horum SS. Reliquiis corpus S. Alexandri ſub Leone IV. P. M. in Saxoniam per Walbertum, Nobilem virum delatum eſt Wilsbuſium in Diœceſin Oſnabruggenſem; ubi Inſignis Eccleſia, & Canonicorum Collegium fundatum eſt.* Qui plura de hac materia deſiderat, legat Acta SS. Joannis Bollandi, & Continuatorum ejus tomo 3. 10. Julii in vita SS. 7. Fratrum.

WILHERINGANUM,

Seu S. Hilarii in Auſtria ſuperiore, uno milliari ſupra Lintzium, urbem Auſtriæ ad Danubium ter inclytum Ciſtercienſis Inſtituti Cœnobium, primitus, anno nempe 1146. a 2. fratribus germanis Ulrico, & Colone, Baronibus de Wexenberg fundatum legitur pro Canonicis Regularibus apud Bruſchium in Supplemento, ſeu Centuria 2. de Monaſt. German. fol. 113. ſed, paulo poſt diſplicente fundatori Ordine, cum eſſet tunc in ſumma exiſtimatione novus Ordo Ciſtercienſis, pulſis Canonicis introducti ſunt Ciſtercienſes, adhuc locum retinentes.

S. WILLIBRORDI,

Seu Heptinacrianum, vel etiam Epternacenſe, a civitate, cui ineſt ſic dictum Cœnobium, quatuor milliaribus a Treveri verſus Lutzelburgum intra ſeptem altiſſimorum montium juga conſtructum, fundatum legitur anno 696. ad preces S. Willibrordi, primi Archi-Epiſcopi Ultrajectenſis a Domino Pipino ſeniore, Francorum Duce; inhabitarunt ibi præter Monachos & Canonici, vel ſaltem aliquanto tempore Regulares, teſte Bruſchio in Chronolog. Monaſt. Germ. fol. 510. ubi ſub Adelardo Comite Lotharingiæ, & Abbate S. Willibrordi Epternaci numero nono ad annum 856. pro introductis Canonicis, & Clericis Præpoſitum ponit Hiltgerum, & paulo poſt Guntranum. Item ſub Regeriberto Abbate 11. ponit Canonicorum Præpoſitum Alidopertum, ſub Adelardo 2. Præpoſitos Foloricum, & Hemeradum, ſub Roberto Heligardum, & Hildewinum, ſub Reinero Berengaudum, ſub Giſilberto Godowinum, & Herinum, omnes Canonicorum Præpoſitos. Denique ſub Abbate Sigefrido 19. Otho Imperator anno Regni ſui 34. Imperii vero 12. ſeu anno Domini 972. Canonicos inde expulit, & Congregationem Monachorum adunavit, cum ibi fuiſſent Canonici annis 125. Hæc Bruſchius l. c. & miraris fors, amice Lector, unum & idem Cœnobium inhabitaſſe Canonicos, & Monachos, Inſtituto prorſus contrarios? ſed audi Authorem ſupra dictum Gallum de Ordine Canonico f. 302. *Willibrordus Archi-Epiſcopus Trajecti*, ſic etiam Epternaci, *Canonicos, & Monachos Apoſtolatus ſui adjutores, & ſocios in uno, & eodem Cœnobio vitæ cujusdam communis ſocietate devinxit usque eo, dum Religioſis utriusque Ordinis propria Cœnobia in diverſis Eccleſiis aſſignari poſſent; manſit hæc ſocietas mixta ex Canonicis, & Monachis ad extrema usque tempora Bonifacii Archi-Epiſcopi.* Surius in vita S. Willibrordi cap. 5. quod & alibi contigit ſæpius, ut nemo negabit, qui hiſtoriarum vel mediocriter peritus inaudit.

WIMARIENSE.

Secundum alios rectius Weinmarienſe duobus circiter milliaribus Wimaria, famoſa urbe Thuringiæ ſejunctum Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini venerabile quondam Collegium in diſtrictu Metropolitanæ Diœceſis Moguntinæ, anno non notato Illuſtriſſimi Comites de Gleichen condidere, BB. MM. Laurentio, Cyriaco, & Juſtino ſacrum; cætera nobis penitus ſunt occulta.

WIMERTINGENSE.

Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini celeberrimæ Congregationis S. Sepulchri in vaſtiſſima Diœceſi Leodienſi adhuc conſpicuum, anno 1243. ab Innocentio IV. P. M. multis & magnis gratiis, & Privilegiis nobilitatum, a Bertholdo, Illuſtri Viro, ſupra in deſcriptione Collegii Denchendorffenſis commendato fundatum anno 1139. Uniebantur ſemper Wimertingenſe, & Denchendorffenſe teſtibus pluribus Privilegiis Regum, & Imperatorum in Suevia Eccleſiaſtica verbo Denchendorff recenſitis.

WIMPINA,

Teutonice *Wimpfen* urbs Imperii Diœceſis Wormatienſis ad Nicrum fluvium in extremis finibus Sueviæ, Franconibus conterminæ, olim Epiſcopatui Wormatienſi recuperata; inde tamen denuo ſui juris facta, liberis, & immediatis Statibus Imperii in Circulo Sueviæ conſociata adhuc habet, licet civibus ſuis omnino Lutherana, in primaria ſua Eccleſia Catholica Inſigne Canonicorum Collegium, ab origine ſua Regulare, fundatum a S. Crotaldo, qui ab anno 503. in paſtorali munere præclarus, Wormatiæ Epiſcopus numero, & ordine 6. tunc, ubi Wormatia cum plerisque caſtellis, urbibus, & pagis Rheno adſitis circa annum 445. ab Atila Hunnorum Rege, notiſſimo flagello Dei crudeliſſime devaſtatis pariter exuſta ſibi Wimpinam in Sedem Epiſcopalem Monaſterio exſtructo delegit, ubi & ſanctiſſime in Domino requievit. Epitaphium lege in Bruſchio de Epiſcopis Germaniæ tomo 1. cap. 7.

WINCLÖENSE.

Communiter *Winckolo* nuncupatum Canonicorum Regularium Franconiæ Monaſterium, vix jam nomine notum, olim cum Moguntino S. Albani, & Sponheimenſi religioſa Confraternitate conjunctum, & confœderatum, de quo prldem antiquato nil refert Trithemius in Chronico Sponheimenſi, niſi folio 245.

WINITHEHUSANUM.

Antiquiſſimum fœminarum Regulare Collegium, de cujus primo conditore, & tempore fundationis non amplius inquirere datur, cujus Domicellas aliquando minus bene reformatas ad dedocendam prioris vitæ laxitatem ad Quedlinburgenſe, paris ſexus, Ordinis, & Canonicæ Profeſſionis contubernium, ſupra recenſitum fuiſſe translatas, ſatagente S. Mathilde conſtat ex vita ejus Reginæ apud Continuatorem Bollandi tomo 2. Martii die 14. cap. 2. in hæc verba: *Cum perſiſterent* Henricus Rex, & Mathildis uxor cum filiis, Nepotibus, & Amicis, *magna proſperitate pacis, Dei inſpiratione deſiderabant Monaſteria conſtruere, & adminiculum præbere illic commorantibus de regiis facultatibus, ut ſui, ſuorumque patrum, vel nepotum memoria ibi perpetim haberetur firmiſſima. Igitur tractantibus tanti operis fundamentum ubi poneretur, Principibus populi in unum convocatis poſtulant ſibi conſilium dari, ubi hæc decenter poſſent adimpleri. Principes reſpondere: intra Winitebuſum eſſe ſanctimoniales, regulari Diſciplina carentes, quæ nequirent ibi diutius demorari, ni ſuſtentarentur adjuvamine regali, & conſulebant in Quitiligebure transferri. Ergo ambobus hoc placuit conſilium, & inter ſe conſpirabant implendum. Poſt hæc Rex Henricus adiit Bathfeltbum, quo ſæpiſſime exercuit venatum, ubi brevi languore correptus vi febrium nimis laboravit; ſed parum ſedato morbi dolore inde ad Erfordiam iter direxit, & ibi cunctos Principes regni convenire præcepit, ut ſe invicem coadunarent, quem ſuorum filiorum regale ſolium poſſidere eligerent. Venit & Diemet Abbatiſſa Wineſtebuſienſis, evocata præcepto Regis, & prioris memor deſiderii poſtulabat, ut ſibi ſubditas Moniales in Quitilingebure conſentiret transponi, quæ petitionem Regis gratanter accipiens, libens annuit.* Et paulo poſt Num. 10. *Tunc,* poſt obitum Mariti ſui, *Regina venerabilis dictam Abbatiſſam Monaſterii Winitebuſii ad ſe iterum vocavit, & Congregationem ſibi ſubditam illuc transferri admonuit, quod Abbatiſſa primo renuit, ſed poſtea imperante ejus filio Othone conſenſit* &c. &c.

WITTENBERGA.

Superioris Saxoniæ Metropolis ad Albim fluvium ſub limite Diœceſis Hildeſienſis præter ſecularem Collegiatam omnium SS. Eccleſiam, & Regularem habuit B. V.

dictam cum Clauſtrali Collegio, a Canonicis inclytæ Congregationis Windeſemenſis inhabitatam, quæ tamen pridem invaleſcente Hæreſi Lutherana penitus everſa nomen adhuc unum retinet. Agit de Ea Buſchius in Chron. Windeſ. Libro 1. cap. 44. fol. 201. & L. 5. cap. 59. f. 552. Item Miræus de Can. Reg. cap. 13. f. 63.

WORMATIA.

Pervetuſta Germaniæ noſtræ urbs, Borbetomagus, Werdomagenſis initio dicta, dein more aliarum urbium nomen gentis, cujus caput erat, accepit, Vangiones, ſeu urbs Vangionum dicta, Regum, & Cæſarum nuptiis ibi initis nobilitata. Metropolin Germaniæ primæ quondam fuiſſe, & Eccleſiam Moguntinam ſibi ſubjectam habuiſſe, multorum eſt traditio usque ad annum circiter 719. ubi Gervilius Wormatiæ Archi-Epiſcopus, ordine, & numero 13. propter cædem Reguli cujusdam Saxonici, a quo Pater Geroldus Gervilij in Archi-Epiſcopatu Wormatiæ Anteceſſoris jam prius in Bello occiſus eſt, quem ſub ſpecie amicitiæ, & cum eo, quæ pacis ſunt, tractaturus mactavit, a Pipino Rege, Gregorio III. P. M. conſentiente Archi-Epiſcopali Dignitate non tantum exauthoratus, ſed & Wormatienſis Epiſcopalis Eccleſia prius coruſcans eadem Dignitate minorata, & Moguntinæ ſubjecta eſt. Cæterum Eccleſiam hanc Wormatienſem a primo ſuo Epiſcopo Victore, quem Concilio Coloniæ Agrippinæ ſub annum 349. adverſus Euphratem Arianum habito interfuiſſe referunt, Regularem fuiſſe, & ſic manſiſſe usque ad annum circiter milleſimum, legis in Trithemij Hiſtoria Hirſchaugienſi ad annum 977. & Bruſchij Libro de Epiſc. Germ. ſub Baldrico 22. Epiſcopo Spiræ &c. &c.

WORMATIENSE.

Aliud quoddam ibi celebre ſat, & pijſſimum hactenus Canoniſſarum Regularium Phrontiſterium, communiter S. Richardi nuncupatum, usque huc genuino flore ſuo conſervatum, nec ſine ſingulari numinis providentia etiam inter meros Acatholicos conſtantiſſime perduravit; cujus tamen primam originem vel inviti neſcimus; non item fatale illud excidium, quod non ſine ingenti, & inexplicabili totius confinis Provinciæ luctu noviſſime ſuſtinere debuit ad initium Junij anno 1689. tota hac urbe ſe cum Cathedrali, & reliquis pluribus omnibus Eccleſiis, Templis, Monaſteriis, Palatiis, habitaculis profanis, & ſacris, urgente ita fortiter Rege Galliarum Ludovico 14. tota quanta exuſta.

WORMATIENSE.

Tertium in, vel prope Wormatiam Canonicorum Regularium Congregationis Windeſemenſis Collegium, communiter Hortus B. V. appellatum, de quo tamen præter nomen nil inviti ſcimus. Meminit illius Pennotus noſter in ſua Hiſtoria *Univerſali* parte 2. cap. 39. num. 14. & Buſchius in Chronico Windeſemenſi Libro 1. cap. 45. fol. 26. Miræus de origine Canonicorum cap. 13.

WULFINGHUSIUM.

Antiquatum Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini Monaſterium ſub limite Diœceſis Wormatiæ, in forenſi ditione Electoris Heidelbergenſis, ſuperiore ætate quidem præclariſſimum, nobis tamen primogenia fundatio penitus ignota, utpote poſt publicatam Pacificationem Cæſareo-Suecicam a popularibus Heterodoxis ſacrilege detentam. Singularem hujus Cœnobii mentionem facit Romanus Hoij in ſuo Horto Cruſiano f. 525. ubi in Litteris quibusdam copialiter appoſitis Comprovinciales Status Equeſtris Nobilitatis Rhenanæ ſub dato 1636. 18. Decembris emiſſis Monaſterii hujus Præpoſitus cum cæteris aliorum Religioſorum Ordinum Commiſſariis in cauſa faciendæ Reſtitutionis Monaſteriorum in Germania deputatis ita ſubſcribit: *Petrus Hoane Præpoſitus Wulfinghuſanus Ordinis Canonicorum Regularium in Aula Cæſarea nomine Ordinis Commiſſarius &c.* Sub annum 1648. digniſſimum hoc Cœnobium Pacificatione Weſtphalica Electori Palatino in plenam Poſſeſſionem conceſſum eſt.

WULFINGHUSIUM.

Aliud hujus nominis, & Ordinis, alterius vero ſexus, & regionis, Saxoniæ ſuperioris Cœnobium Diœceſis Hildeſienſis olim inclytum, originem debet Conrado hujus nomi-

nominis ſecundo Epiſcopo Hildeſii circa annum 1230. ita poſt Albertum Crantzium in Metropoli Saxoniæ Libro 7. cap. 38. refert Bruſchius de Epiſcopis Germaniæ Tomo 1. cap. 11. in eodem Conrado 29. Epiſcopo Hildeſii. Porro idem Parthenon olim a Joanne Buſchio, Monaſterii Bodecenſis in Weſtphalia Priore de Congregatione Windeſemenſi circa annum 1420. ſtrenue fuiſſe reformatum, conſtat ex Actis; nec tamen plus de hoc, quam nuda nobis eſt memoria relicta, utpote in terris Acatholicorum exiſtente.

WULFINGHUSANUM.

Tertium hujus nominis, & Ordinis Parthenæum in Principatu Calenbergenſi, alias in Ducatu Brunſvicenſi ſub annum 1235. a Nobili Dinaſta Oddie Rhode fundatum, teſte Gabriele Bucelino in Germ. Sacræ parte 3. fol. 128. Præter nomen nil nobis conſtat, cum Documenta ab Heterodoxis inique hactenus ſint retenta.

WUNSTORPHIUM.

Alias Wonſterpe dictum, inclytum olim Canonicorum Regularium S. Auguſtini in Ducatu Brunſvicenſi Collegium, in honorem SS. Coſmæ, & Damiani MM. fundatum a S. Theodorico, hujus nominis primo, ordine vero, & numero 3. Mindenſium Epiſcopo circa annum 876. inhabitarunt hoc Collegium Canonici 12. ſimul, & Canoniſſæ 12. magnisque ſucceſſive ornatum eſt proventibus, quos tamen nunc omnes cum Cœnobio Religio mutata devoravit.

WURMLINGENSE.

Vetuſtiſſimum Diœceſis Conſtantienſis in Comitatu dudum Wirtenbergico conjuncto Tubingenſi Canonicorum Regularium, poſtea ſecularium Collegium, pridem Hæreticorum invidia penitus extinctum, ſola illius ſuperſtite, quæ Parochialis eſt, Eccleſia in præcelſo paris nominis monte conſpicua, & Imperii Monaſterio Creuzlingenſi pleno jure ſubdita, & incorporata, proin ſemper a Canonicis his ad nutum Abbatis in hoc Miniſterium ſubſtituendis adminiſtrari ſolita. Primævi Fundatores fuiſſe perhibentur Illuſtriſſimi DD. Comites Calwenſes, quocum unus circa annum 1270. conſtituit anniverſarium in hac Eccleſia, ſibi, Majoribus, & conſanguineis celebrandum, opiparum, & ſat lautum convivium olim aſſuetum quotannis Feria 2. poſt diem animarum expletis mortuorum ſolemniis inſtruendum, quod, & quale, usque ad execrandam orthodoxæ religionis immutationem in tota Wirtenbergenſi Provincia potentiſſime coactam, accumbentibus fuerit exhibitum, prolixe ſat oſtendit repetita dicti anniverſarii fundatio, ſeu, ut melius dicamus, ejusdem fundationis reiterata nova proclamatio facta ſub annum 1530. tota legenda apud Cruſium Parte 3. L. 2. c. 17. & L. 11. cap. 5. „ Univerſis, & ſingulis præſentes Litteras inſpecturis Bertholdus „ Decanus Capituli in Boldringen, & Gebehardus Camerarius, & tota Univerſitas „ Confratrum ejusdem Capituli reverentiam omnibus cum orationibus ſuis in Chriſto „ devotis &c. &c. Norint omnes, & ſinguli, quos noſſe fuerit opportunum, quod „ nos omnes die, & loco ſubnotatis cauſa communis neceſſitatis noſtræ convenienter „ requiſiti ab honorando in Chriſto Patre Hermanno Abbate Monaſterii in Creuzlingen nomine ſuo, & Conventus ſui de forma, ſeu tenore refectionis remedialis præfati noſtri Capituli ſingulis annis de quibusdam in monte dicto *Wurmlingen* ſitis, „ & præfato Monaſterio olim a quodam Comite in Calb in remedium animæ ſuæ legatis nobis, & noſtris Succeſſoribus reſpondemus, quod olim ſpectabilis quidam D. „ de Calvo præfata bona montis dicti in animæ ſuæ remedium præfato Monaſterio in „ Creuzlingen Abbati, & Conventui tali legatione legarit &c. ut ſingulis annis Feria „ proxima ſecunda ante Feriam tertiam proximam poſt diem animarum Camerarius „ prædictus cum uno, & altero Miniſtro deberet aſcendere montem Wurmlingenſem, ibi inventurus ante portam Cœmiterii plauſtrum fiſſorum lignorum facile, & „ ſine fumo ardentium, & ſaccum bonorum carbonum, plauſtrum fæni, & inſidentem „ huic ſpadicei coloris anſerem. Hunc donet Camerarius ei, qui advexit fænum in „ ſignum, cuique Sacerdoti poſtridie adfuturo proprium anſerem in menſa appoſitum „ iri. Adſit & juvencus triennis, opimus, & tres porci ſaginati, nempe porcellus „ lacteus, porcellus anniculus, porcus biennis, a lanione probati, ne forte grandinoſi „ ſint. Adſit Camerario Cereviſia trium generum, annicula, bima, & trina, vel „ triplex vinum, rubrum, vetus, & novum album, & tria genera panis, ſimilagineus, „ triticeus, & ſiligineus, terni panes uno ſolido piſti, lanio, & coquus exercitati, &

„ periti, ne quid in mactatione, aut coctione desideretur. Tum Abbatis Creuzlin-
„ gensis Procurator, in hoc monte habitans, seu Ecclesiastici, seu secularis Ordinis,
„ lanio, & coquus cum reliqua Familia huic muneri adhibita jure jurando devincien-
„ tur Camerario, se prædictarum rerum nullam in alium usum conversuros, quam in
„ quem jubeantur. Ideo conclave, seu penu his rebus asservandis, & suo die præ-
„ standis illis sit assignatum. Postridie, die Martis, animarum omnium Festo, Deca-
„ nus, & omnes Capitulares cum Ministris Tubingensibus, & Rotenburgensibus mane
„ in montem dictum equis, & pedibus ascendant habitu cucullario, & lugubri, ni ve-
„ lint serius etiam veniendo, aut omnino abessendo modio tritici mulctari. Potest
„ & quisque secum umbram, ædituum, aut Scholarem adducere, cui eadem, quæ
„ Parocho ejus, tractatio contingat. Quodsi Collegii consortis, seu Capitulari Do-
„ mino, quisquis sit, montem versus tendenti in via homo honestus, alterve obviet,
„ eos invitet, & secum adducat, licet; modo statim, ut in Cœnobium venerit, Came-
„ rario significet honoris debiti, talibus hospitibus declarandi causa. Unicuique
„ etiam equum adducenti vas ligneum novum, mulctrale, in eaque pars modii avenæ
„ ad pascendum equum, & recens funis ad equum alligandum præbeatur. Vasis, &
„ funis cujusque Capitularis Domini æditui potestatem secum ob rei memoriam
„ auferendi habet. Ubi Capitulares mane die constituto convenere, ocreas, & cal-
„ caria detrudunto, caputia, seu cucullas induunto, & ad sepulchrum Fundatoris,
„ commendatum Ecclesiæ in dicto monte sitæ, vigiliam percurrunto. Decanus dein
„ Capituli, seu Collegii officium animæ cantet, & Capitulares oblationem faciant,
„ & interim aliquot Missas legant. Interim aliquis Presbyterorum renuntiet nomen
„ Fundatoris, & uxoris, & liberorum ejus. Missa perfecta reditur ad monumentum
„ Fundatoris, canenda Vespera, Placebo, & adjunctæ aliæ Collectæ, assistat dein
„ Decanus cum Collegiis suis cunctis in suis cappis ordine ad Altare animarum, &
„ duos sibi adstantium velet tegumento, Sala dicto. Tum recitato Camerarius In-
„ strumentum, vel ultimam voluntatem Fundatoris lingua, quam cuncti intelligant,
„ explicatione adjuncta omnium eorum, quæ forte minus diserte ibi posita sunt.
„ Cuncti dein Capitulares digitis in plynarium positis juramento confirment, institu-
„ tionem hinc hactenus, & a se, & ab omnibus Antecessoribus suis, quantum quidem
„ auditu perceperint, observatum esse, & in præsenti quoque servari in uno hoc ex-
„ cepto, quod nunc pro cerevisia vinum apponatur. Quæ, ubi sic rite absoluta fue-
„ rint, jam ex institutionis formula Camerarius Capitulares DD. & cæteros Specta-
„ tores reverenter ad epulum invitet, &, qua illi humanitate sunt, obtinet. Interim,
„ dum ipsi de primo accubitu certant, & omni carentes ambitione singuli posteriores
„ esse contendunt, ipse in locum descendit, cui nomen Silcha, infra montem. Ibi
„ juvenci pellem, de quo supra dictum, expandat in Cæmiterio, & homines leprosos
„ permissu institutionis ibi congregatos, quod certe laudabile, discumbere jubet.
„ Redit dein ad Capitulares, & hospites, similaceum panem capit, excavat, cuique
„ apponit. Huic pani quisque Capitularis indit nummum, hospites, quidquid vo-
„ lunt. Eam pecuniam deportat in Cæmiterium adsedentes miseros circa bovis ter-
„ gum, & inter eos dividit. Interim tria genera panis apponuntur, & totidem vini,
„ vinis conjuncte fruentibus convivis, consecratur precibus mensa, coquus a Came-
„ rario effundere cibos apponendos jubetur. Inferuntur tria capita suilla frixa:
„ Quæ, ubi convivæ de his comederint, rursus auferuntur cum pane, & vino, quod-
„ cunque est, & leprosis dictis dantur. Rursus panis, & vinum trium generum ap-
„ ponitur, & infunditur: Inferuntur anserum pedes, alæ, jecinora, stomachi, & id
„ genus alia, de quibus ubi comestum, reliquiæ ipsorum, panis, & vini, ut prius,
„ pauperibus distribuuntur. Apponuntur dein elixæ gallinæ, & carnes jurulentæ,
„ pisces, & carnes assæ: quorum omnium reliquiæ, ut & piperata pultis, in egenos
„ distribuuntur. Apponuntur dein pisces elixi cum jure Aromatico, & duo genera
„ panis, similigineus, & triticeus, vinum triplex. De reliquiis mos prior servatur.
„ Sequitur rursus vinum recens, & panis, & binis Capitularibus anser assus, in quo
„ pullus gallinaceus assus, ita, ut singularum rerum delectabilium numerus triplex sit.
„ De hoc Trojano ansere, & cæteris deliciis fas est Dominis impertiri aliqua suis ho-
„ spitibus, ædituis, scholaribus, & aliis, cætera omnia in egenos dispertienda cibaria,
„ panis, vinum &c. Demum caseus, & placentæ, poma, & pyra, & ejusdem generis
„ alia, quæ venerabilibus viris apponi lex est. Quorum & reliquiæ pauperum refe-
„ ctioni asportantur, ita, ut de toto convivio nil reliquum fiat: Quibus & jus, &
„ carnes, & piperatum pulmentum, & unicum poculum vini exhibentur. Peracto
„ epulo, & gratiis Deo dictis Proceres surgentes fanum ineunt, & quæstionem exer-
„ cent de hoc epulo in Choro, an rite, & ex institutione Fundatoris per omnia com-
„ pletum sit. Cum satisfactum esse, nec desiderari quid dicitur, tunc Decanus Ab-

„ batem,

„ batem, & Conventum, ut Executores inſtitutionis hujus liberos, & quietos, ab omni
„ querela, & poſtulatione pronuntiat. Dein palam recitatur ipſa iterum inſt tutio;
„ liceat & Capitularibus, ſi placet, certam pecuniam pro convivio excipere, ita ta-
„ men, ut nequid pauperibus de jure ſuo diſcedat. Quodſi accidat, hanc inſtitutio-
„ nem non ſervari, ſeu in una re, ſeu pluribus, tunc omnes fructus, & reditus montis
„ ad Comitum Calwenſium natu maximum revertantur. Qui tum in teſtimonium
„ rei evidens equo inſidens, & in ſtapedibus recte conſiſtens aureum nummum trans
„ turrim Wurmlingenſis montis librans jaciat, & dein cum hæredibus inſtitutionis
„ Executores ſunto. Veſpere dantur Familiæ juſculentæ carnes, & decem ſolidi di-
„ miſſionis loco. Tunc, quidquid reliquum, coctum, ſeu incoctum in pauperes di-
„ ſtribuitur. In hujus rei teſtimonium Sigilla noſtra Decani, & Camerarii, Conradi
„ Rectoris Eccleſiæ in Huſen, Conradi Incurati Eccleſiæ in Rotenburg, Bernardi Re-
„ ctoris Eccleſiæ in Ehingen, Bernardi Incurati in Tubingen, Stehelini Incurati in
„ Chileberg, Waltheri Eccleſiæ in Reminsheim, & Incurati Eccleſiæ in Luſtnow,
„ ſunt appenſa anno 1348. in craſtino S. Mauritii, & Sociorum ejus.

Littera Z.

ZEHENENSE

Canoniſſarum Regularium apud Belgas Congregationis Windeſimenſis Sodalitium. Hujus aliquando Venerabilem Patrem ac Dominum Martinum a Brœchhuſen Congregationis ſupradictæ Canonicum abdicato Corſendoncani Prioratus ſui munere in Spiritualibus Rectorem egiſſe legimus. Plura de Religioſa hac domo non ſcimus. Videatur Clariſſimus Hagerus de Script. Ordinis Canonici L. M. V. Martinus à Brœchhuſen.

S. ZENONIS

Monaſterium Canonicorum Regularium D. Auguſtini. Conradus Archi-Epiſcopus Salisburgenſis, Nepos Babonis Comitis Abenſpergenſis apud Reichenhall in Norico Canonicis Regularibus Sancti Auguſtini Collegium inſtituit, quod ſancti Zenonis vocant, primumque Præpoſitum ibi Lonzonem ordinavit. Obiit Conradus, poſtquam XLVI. annis laudabiliter Eccleſiæ Salisburgenſi præfuiſſet, anno 1147. Aventinus lib. VI. fol. 615. & 623.

Nobiles ibi ſepulti de Haslang.

In nomine ſanctæ, & Individuæ Trinitatis, ego Conradus Sanctæ Juvavenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, & Apoſtolicæ Sedis Legatus.

Quoniam quidem Chriſtus, cum dives eſſet, pro nobis pauper factus eſt, ut nos illius inopia ditaremur: Sic nobis intelligendum eſt, ſuper hunc egenum & pauperem, ut & veſtigia humilitatis ejus imitari ſtudeamus, & ei in fratribus ſuis minimis, ubi eget & pauper eſt, benefacere non negligamus. Itaque pauperes Chriſti Halenſes Canonici, cum clamarent ad nos, aurem benignam protinus apponentes eorum vocibus, effectum petitioni ex Pontificali munificentia præſtitimus, ipſisque miſericordiam fecimus, ut in die malo liberante nos Domino miſericordiam inveniamus. Proinde tradimus omnipotenti Deo, Beatæque Dei Genitrici Mariæ, Sanctoque Zenoni, & ſupradictis fratribus prædium unum & ſylvam quod in Cella dicitur, quod beneficium erat Comitis Cunradi, quod ipſe nobis manu ſua reſignavit, ea de cauſa, ut prædictæ Eccleſiæ traderemus. Quod ita diſtinctum eſt in terminis ſuis, qui juſtis nominibus exprimuntur Chympergiſort, Munechisfurt, Grunethal, Rintpachis, Urſprinch, Aſcheke, Peutaris. Hujus inquam prædii donationem facimus cum omni Jure noſtro, quod ibidem habuimus, vel habere poſſumus, & omni utilitate quam ad præſens ibidem inveniunt, & in poſterum conſequi poſſunt. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat ſupradictam Eccleſiam, aut ejus poſſeſſiones aufferre, vel ablatas retinere, minuere, vel quibuslibet vexationibus fatigare: ſed illibata omnia & integra conſerventur, eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Si qua ergo in futurum Eccleſiaſtica ſæculariſve perſona, hanc noſtræ inſtitutionis Paginam ſciens, contra eam temere venire

tentaverit, ſecundo, tertiove commonita non præſumptionem ſuam congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honorisque ſua dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à Sacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini noſtri JEſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine flammis ultricibus tradita, æternæ damnationi ſubjaceat. Et ut hæc noſtra delegatio facta pro remedio animarum Prædeceſſorum noſtrorum, & noſtræ Salvationis obtentu rata ſit ac firma in futuras generationes, auctoritate Patris & Filii & Spiritus Sancti, Beatæque Dei Genitricis Mariæ, Sanctique Zenonis, nec non Patris noſtri Rudberti, & noſtra præſentem paginam ſtabilimus, & aſtipulatione ſubſcriptorum teſtium corroboramus: quorum iſta ſunt nomina, Helmbertus Præpoſitus de Werde, Udalricus Præpoſitus de Illmünſter, Wilhelmus Præpoſitus de Wiare, Cunradus Comes de Bilſtain, Comes Sibotho de Nuinburch & filius ejus Chuno, Otto filius Hadmari de Chuffarn, Sibotho de Surberch, & frater ejus, Menigothus Caſtellanus, Wilhelmus de Wagingarberg, Leopoldus de Walde, Haufolc de Veluwen, Otto de Pongon, Cunradus de Walde, & fratres ejus, Otto & Heinricus & Leopoldus, Marchardus de Forchtenſtein, & frater ejus Rudgerus, Eberhardus de Helspouve, Hermannus de Hirzperch, Marchwardus & frater ejus, Hermannus de Vagir, Ortolfus de Tolet, Cunradus de Holzhuſin.

Acta ſunt hæc anno Incarnationis Domini, Milleſimo, Centeſimo, Septuageſimo ſeptimo, XII. Calendas Octobris, Data per manum Rudgeri Notarii Domini Cunradi Salzburgenſis Archi-Epiſcopi, Apoſtolicæ Sedis Legati.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Adalbertus Dei gratia ſanctæ Saltzburgenſ. Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, omnibus Chriſti fidelibus in perpetuum. Divina diſpenſante gratia in adminiſtrationem Eccleſiæ noſtræ Regimini commiſſæ vocati, non ſolum matrem, verum etiam filias ab ubere materno procreatas, provida deliberatione dignum duximus pro modulo noſtræ facultatis ſublimare. Eapropter dilectorum filiorum noſtrorum Wickmanni, cæterorumque fratrum loci ſancti Zenonis in Halle precibus devicti, duas partes Decimationis, quæ noſtro Juri accedere debuerunt, de Novalibus in eorum prædio, quod dicitur in Cella in plebe Vohindorff, tam in cultis quam colendis, ipſorum Eccleſiæ perpetuo Jure contulimus, eandemque traditionem memoriæ fidelium tam præſentium quam futurorum recolendam huic Chartulæ annotari & Sigilli noſtri impreſſione ſignari fecimus. Quisquis igitur huic deliberationi obviare præſumpſerit, Anathema ſit. Hujus rei teſtes ſunt, Arnoldus Vicedominus, Luipoldus Comes de Plagin, Megingottus Caſtellanus & frater ejus, Sigbotto de Surberch, Luipoldus de Walde & filius ejus Hainricus, Chuno de Werven, Eckhardus de Thann, Rudegerus quondam Vicedominus, Wilhelmus Caſtellanus de Plagin, Rudolphus du Snellenberg, Goteſcalcus de Unzingen. Conradus de Grabinſtat, Otto & frater ejus Hainricus filii Hainrici albi de Halle, Hainricus Löbheze.

Acta ſunt hæc in Halle, Anno incarnationis Dominicæ Milleſimo, Centeſimo, LXXXVIII.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Adelbertus Dei gratia &c. Saltzburgenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus Wigmanno Hallenſi Præpoſito, cæterisque fratribus inibi regularem vitam profeſſis in perpetuum. Cum ſuſcepti Regiminis officium imponat, cumque charitatis extenſio nihilominus inducat, omnibus Eccleſiarum provectibus, nos diligentius intendere; domibus tamen Religioſorum, ne pro defectu ſtipendiorum Chriſti milites Religionis vigore vacare contendant, arctiori ſtudio nos convenit providere. Eapropter dilecti in Chriſto fratres petitionibus veſtris, pro ſpe futuræ mercedis aurem pietatis inclinamus, & Eccleſiæ Hallenſi in qua Deo ſervire Profeſſione Canonica diſpoſuiſtis, Prædeceſſorum noſtrorum beatæ recordationis Cunradi Senioris, Eberhardi, Cunradi Moguntini Pontificum veſtigia ſequentes, quicquid juſtæ donationis titulo poſſidetis vel poſſidebitis, Eccleſiarum, Capellarum fundatarum, vel fundandarum regimini & juri veſtro in Diœceſi veſtra permaneant, Territoria prædiorum cultorum vel incultorum, ſeu aliarum quarumcunque poſſeſſionum conquiſita, ſcripto præſentis paginæ roborando confirmamus, & confirmando rata vobis teneri decernimus. Inſuper allodium quod in Cella dicitur, cum terminis manifeſte diſtinctis, cultis, & incolendis, ac Capellam ſumptibus veſtris in eodem loco conſtructam, cum juris integritate decimarum cæterorumque omnium, quæ in præſenti poſſidet, vel de futuro conſequentur, pro remedio animæ noſtræ & Prædeceſſorum noſtrorum tradimus, omnipotenti Deo, Sanctoque Zenoni & ſupradictis fratribus, petente hoc & conſentiente majoris Eccleſiæ Saltzburgenſ. Præpoſito Gundaskaro, cum

Chori

Chori Capitulo, quo Parochiam in Vahendorff, in cujus terminis jam dicta Capella ſita dignoſcitur, canonice poſſederunt. Ad indemnitatem ergo præfatæ Parochiæ dimidium manſum Mieſenbach, in loco qui Hirisbühel dicitur, à præmemoratis fratribus recepimus, & pro legali concambio ad uſum Eccleſiæ Matricis ordinavimus. Concedimus itaque præſenti Præpoſito Wigmanno, omnibus Succeſſoribus ſuis, canonice ſubſtitutis, quatenus in præfata Capella, quam ab omni Jurisdictione & Diſtricto Matricis Eccleſiæ eximimus, & liberam facimus, juxta Dei timorem, pro ſuæ voluntatis arbitrio, non ſolum temporalia, verum etiam ſpiritualia libere ſecureque diſpenſent & ordinent. Statuimus ergo, ut nulli prorſus mortalium ſæpe dictam Eccleſiam, liceat temere perturbare, ſed omnia illibata ſibi cum pacis, & quietis tripudio, perenniter conſerventur. Per nos quoque Deo cooperante ipſam conſecrantes Eccleſiam eodem prædio, cum omnibus appendiciis ſuis, & omni decimarum integritate, Pontificali auctoritate, ac liberalitate, in perpetuum dotatam eſſe decrevimus. Si quis autem hujus Inſtitutionis noſtræ paginam, quam forma Sigilli noſtri communimus, & Prælatorum noſtrorum, Cleri Miniſterialiumque noſtrorum, teſtimonii favore ſtabilimus, caſſare tentaverit, ultrices flammas, ſi non reſipuerit, in diſtrictiori examine ſine ſpe redemptionis ſuſtinebit.

Ego Adelbertus Saltzburgen. Archi-Epiſcopus SS.
Ego Chundacherus Saltzburgen. Præpoſitus & Archi-Diaconus SS.
Ego Rudolphus Decanus Majoris Eccleſiæ Saltzburgen. SS.
Ego Bernhardus Petersgad. Præpoſitus SS.
Ego Sigboto Chiemſen. Præpoſitus SS.
Ego Otto Bamburgen. Præpoſitus & Archi-Diaconus SS.
Ego Berchtoldus Garzen. Præpoſitus SS.
Ego Pabo Ouvenſis Præpoſitus SS.
Ego Albanus Seunenſis Abbas &c.
Ego Aribo Reichſpergenſis Præpoſitus SS.
Ego Leopoldus Burenſis Abbas SS.

Acta ſunt hæc anno Incarnationis Domini MCLXXXXV. reſidente Domino Alberto Saltzburgenſi Archi-Epiſcopo, in ſolemni Capitulo, apud Lauffen habito, XVII. Calendas Decembris præſentibus & aſſentientibus Præpoſitis & Abbatibus, ſupra in inſcriptionibus ſuis annotatis, & Laicis quam plurimis.

ADDITIONES.

Confirmatio Ordinis & Fundationum Monaſterii per *Lucium* Papam.

Lucius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis *Lanzoni Hallenſi* Præpoſito, ejusque Fratribus tam præſentibus quam futuris Regularem vitam Profeſſis in perpetuum. Deſiderium quod ad Religionis propoſitum & animarum ſalutem pertinere monſtratur, animo nos decet libenti concedere, & petentium deſideriis congruum impertiri ſuffragium. Eapropter dilecti in Domino Filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus & præfatam Eccleſiam *Hallenſem* in qua divino mancipati eſtis obſequio, ſub Beati *Petri* & noſtra Protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti Privilegio communimus, ſtatuentes ut in eadem Eccleſia, prout Venerabilis Frater noſter *Conr. Salisburg.* Archi-Epiſc. ordinavit, & ſcripto ſuo firmavit, ordo Canonicus ſecundum Beati *Auguſtini* Regulam perpetuis temporibus inviolabiliter conſervetur. Præterea quascunque poſſeſſiones, quæcunque bona eadem Eccleſia in præſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis Deo propitio poterit adipiſci, firma vobis, veſtrisque Succeſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Capellam Sanctæ *Mariæ Muna.* Capellam Sancti *Georgii Chiriehpero.* Capellam Sancti *Martini Nane.* Capellam Sancti *Valentini Morzols.* Capellam in Caſtro *Plajen.* Capellam in Caſtro *Halla.* Aquam in Fonte *Halla*, quam dedit *Ebo.* Aquam quam dedit *Jacco.* Prædia quæ dedit *Sigboto*, *Unchen*, & *Occheim.* Prædium quod dedit *Heinricus* & *Pato. Nutzpoum.* Quartam partem decimalis ſalis. Sane laborum veſtrorum quos propriis manibus aut

ſumptibus colitis, ſive de nutrimentis veſtrorum animalium, nullus omnino Clericus ſive Laicus à vobis decimas exigere præſumat. Interdicimus etiam, ut nemini Profeſſionis veſtræ facultas ſit alicujus levitatis inſtinctu, vel arctioris Religionis obtentu ſine Præpoſiti vel Congregationis licentia de clauſtro diſcedere, quod ſi diſceſſerit, nullus Epiſcoporum, nullus Abbatum, nullus Monachorum ſine communium literarum cautione illum ſuſcipiat, quamdiu videlicet in Eccleſia veſtra Canonici Ordinis tenor Domino præſtante viguerit. Si vero ſecundo vel tertio vocatus redire contempſerit, liceat ejusdem loci Præpoſito, Canonicam in eum proferre ſententiam. Obeunte vero te nunc ejusdem loci Præpoſito, vel ad alterius Eccleſiæ Regimen tranſeunte, ſive quolibet tuorum Succeſſorum, nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutia vel violentia ſubſtituatur vel præponatur, niſi quem Fratres communi conſenſu, aut pars conſilii ſanioris ſecundum Dei timorem & Beati *Auguſtini* Regulam Canonice providerint eligendum. Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe concedimus, ut eorum qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, extremæ voluntati & devotioni nullus obſiſtat, niſi fuerint excommunicati, ſalva tamen juſtitia Matricis Eccleſiæ ſuæ. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Eccleſiam temere perturbare, aut ejus bona vel poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet indebitis exactionibus vel moleſtiis fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura, ſalva nimirum *Salisburgenſis* Archi-Epiſcopi Canonica juſtitia. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſæcularisve Perſona hanc noſtræ Conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire temptaverit, ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua reatum ſuum correxerit, poteſtatis honorisque ſui dignitate careat, reamque ſe Divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei aliena fiat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax &c. Datum *Lateran.* per manum *Baronis* Capellani. non. Aprilis. Indictione VII. Incarnationis Dominicæ Anno MCXLIV. Pontificatus noſtri anno primo.

Confirmatio Ordinis & Bonorum Monaſterii per *Eugenium* Papam III.

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis *Lanzoni Hallenſi* Præpoſito, ejusque Fratribus tam præſentibus quam futuris Regularem vitam Profeſſis, in perpetuum. Quoties illud à nobis petitur quod religioni & honeſtati convenire mouſtratur, animo nos decet libenti concedere, & petentium deſideriis congruum impertiri ſuffragium. Eapropter dilecti in Domino Filii veſtris juſtis petitionibus clementer annuimus, & Prædeceſſoris noſtri felicis recordationis PP. *Lucii*, veſtigiis inhærentes, præfatam *Hallenſem* Eccleſiam, in qua divino mancipati eſtis obſequio, ſub B. Petri & noſtra Protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti Privilegio communimus, ſtatuentes ut in eadem Eccleſia prout Venerabilis Frater noſter *Conr. Salisburgenſis* Archi-Epiſcopus ordinavit, & ſcripto ſuo firmavit, ordo Canonicus ſecundum *B. Auguſtini* Regulam perpetuis temporibus inviolabiliter conſervetur. Præterea quascunque Poſſeſſiones, quæcunque bona in præſentiarum juſte & canonice poſſidetis, aut in futurum conceſſione Pontificum, liberalitate Regum, largitione Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, præſtante Domino poteritis adipiſci, firma vobis veſtrisque Succeſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Decimalem ſalem, prædium quod nominatur *Svvant* cum omnibus appendiciis ad hoc pertinentibus, quod prædictus Archi-Epiſcopus præfatæ Eccleſiæ tribuit. Aquam in Fonte *Halla* quam dedit *Ebo*, aquam quam dedit *Jacco*, prædium quod dedit *Sigiboto Occheim*, prædium quod dedit *Henr. Nutzpoum.* Sane laborum veſtrorum quos propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſive de nutrimentis veſtrorum animalium nullus omnino Clericus ſive Laicus à vobis decimas exigere præſumat. Interdicimus etiam ut nemini Profeſſionis veſtræ facultas ſit alicujus levitatis inſtinctu, vel arctioris Religionis veſtræ obtentu, ſine Præpoſiti vel Congregationis licentia de Clauſtro diſcedere, quod ſi diſceſſerit nullus Epiſcoporum, nullus Abbatum, nullus Monachorum ſine communium literarum cautione illum ſuſcipiat, quamdiu videlicet in Eccleſia veſtra Canonici Ordinis tenor Domino præſtante viguerit. Si vero ſecundo tertiove vocatus redire contempſerit, liceat ejusdem loci Præpoſito, vel ad alterius Eccleſiæ Regimen tranſeunte, ſine quolibet tuorum Succeſſorum, nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutia ſeu violentia ſubſtituatur vel præponatur niſi quem Fratres communi conſenſu, aut pars conſilii ſanioris, ſecundum Dei timorem & B. *Auguſtini* Regulam Canonice providerint eligendum. Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe concedimus, ut qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, eorum devotioni

&

& extremæ voluntati nullus obsistat nisi forte fuerint excommunicati, salva tamen justitia Matricis Ecclesiæ suæ. Porro Capellas quæ infra terminos Parochialis Ecclesiæ fundatæ sunt, vel imposterum Deo favente fundabuntur, Regimini & juri vestro confirmamus, & ne aliquis Clericus sine Concessione vestra eas teneat, vel contra interdictum vestrum in eis ministret, Apostolica Authoritate prohibemus sicut jam dicti Prædecessoris nostri B. memoriæ Papæ *Lucii* Privilegio prohibitum esse dignoscitur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus bona vel Possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet indebitis vexationibus vel molestiis fatigare sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ Auctoritate, & Salisburgensis Archi-Episcopi Canonica justitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve Persona hujus nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri JEsu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri JEsu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen. Datum *Transtiberim* per manum *Roberti* Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Card. & Cancellar. V. Calend. Februarii, Indictione 9. Incarnationis Dominicæ Anno MCXLV. Pontificatus vero Domini *Eugenii* Papæ III. anno primo.

Confirmatio Ordinis & Fundationis per *Eugenium* Papam III.

Eugenius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis *Henrico* Præposito Ecclesiæ Sancti *Zenonis Hallensis*, ejusque Fratribus tam præsentibus quam futuris Regularem vitam Professis. Quoniam sine veræ cultu Religiónis nec charitatis unitas potest subsistere, nec Deo gratum exhiberi servitium, expedit Apostolicæ Auctoritati Religiosas Personas diligere, & earum quieti auxiliante Domino providere. Eapropter dilecti in Domino Filii Venerabilis Fratris nostri *Conr. Salisburgensis* Episcopi precibus inclinati, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam S. *Zenonis* Ecclesiam, in qua Divino mancipati estis obsequio, sub B. *Petri* & nostra Protectione suscipimus, & præsentis scripti Privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus secundum B. *Augustini* Regulam perpetuis ibi temporibus inviolabiliter conservetur. Quascunque præterea Possessiones, quæcunque bona, tam ex dono præfati Archi-Episcopi Fundatoris loci vestri, quam aliorum Dei fidelium, in præsentiarum juste & canonice possidetis aut in futurum concessione Pontificum, liberalitate Regum, largitione Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poteritis adipisci, firma vobis vestrisque Successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Curtem sitam ante Portam ejusdem Ecclesiæ cum appendiciis suis, & prædium quod dicitur *Suante*, ex dono ipsius *Archi-Episcopi*. Quicquid juris habetis in decima salis qui coquitur de Fonte *Hallæ*. Ex dono *Ebonis*, *Jacconis*, & *Babonis* aquas quas in eodem Fonte ad Sal coquendum habetis. Prædium situm in loco qui dicitur *Occheim*, cum appendiciis suis. Ex dono *Sigbotonis* prædium quod dicitur *Unchen*. Ex dono *Heinrici* Filii *Etechonis* & Fratris ejus prædium quod dicitur *Nuterpoüm* cum omnibus pertinentiis. Statuimus ut in Ecclesiis vestris in quibus Fratres vitam Canonicam Professi degunt, nulli omnino post factam in locis vestris Canonicam Professionem exinde liceat sine communi Congregationis permissione discedere, discedentem vero nullus audeat retinere. Si vero post secundam vel tertiam commonitionem redire contempserit, liceat ejusdem loci Præposito Canonicam in eum proferre sententiam. Sane ipsa plebs *Hallensis*, sicut à jam dicto Archi-Episcopo canonice statutum est, à nullo Successorum suorum vobis auferatur, sed in dispositione Præpositi nostri permaneant. Adhæc adjicientes statuimus, ut Capellæ, quæ infra terminos Parochialis Ecclesiæ *Hallensis* fundatæ sunt, sicut ab ipso Archi-Episcopo rationabiliter provisum est, eidem Matrici Ecclesiæ subjacent. In futuro autem, absque assensu Præpositi vestri, novas in ipsa Parochia Capellas ædificari prohibemus, salva nimirum Sedis Apostolicæ & proprii Episcopi auctoritate, sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum qui se illic sepeliri deliberaverint, devotioni & extremæ voluntati, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva justitia Matricis Ecclesiæ.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Obeunte vero te, nunc ejusdem loci Præpoſito, vel tuorum quolibet Succeſſorum, nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem Fratres communi conſenſu, vel Fratrum pars Conſilii ſanioris ſecundum Dei timorem & B. *Auguſtini* Regulam providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum locum temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis, profutura, ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate, & Diœceſani Epiſcopi Canonica juſtitia & reverentia. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſecularisve Perſona hujus noſtræ Conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honorisque ſui dignitate careat, reamque ſe Divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri JEſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus, ſit pax Domini noſtri JEſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen. Datum *Viterbi* per manum *Baronis* S. Romanæ Eccleſiæ Subdiac. X. Cal. Octob. Indict. decima, Incarnationis Dominicæ An. MCXLVI. Pontificatus vero Domini *Eugenii* PP. III. anno ſecundo.

Confirmatio Fundationis Ordinis, Bonorum per *Adrianum* PP. IV.

Adrianus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis *Heinrico* Præpoſito Eccleſiæ S. *Zenonis Hallenſis*, ejusque Fratribus tam præſentibus quam futuris Regularem vitam Profeſſis in perpetuum. Quoniam ſine veræ cultu Religionis nec charitatis unitas poteſt ſubſiſtere, nec Deo gratum exhiberi ſervitium, expedit Apoſtolicæ authoritati Religioſas Perſonas diligere, & earum quieti auxiliante Domino providere. Eapropter dilecti in Domino Filii Venerabilis Fratris noſtri *Eberhardi Salisburgenſis* Archi-Epiſcopi precibus inclinati, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & ad exemplar Prædeceſſoris noſtri ſanctæ recordationis *Eugenii* Papæ, præfatam Eccleſiam S. *Zenonis*, in qua Divino mancipati eſtis obſequio, ſub Beati *Petri* & noſtra Protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti Privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo Canonicus, qui ſecundum B. *Auguſtini* Regulam in eodem loco noſcitur inſtitutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quascunque Poſſeſſiones, quæcunque bona tam ex dono *Conradi* quondam Archi-Epiſcopi *Salisburgenſis* Fundatoris loci veſtri, quam aliorum Dei fidelium in præſentiarum juſte & canonice poſſidetis, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poteritis adipiſci, firma vobis veſtrisque Succeſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Curtem ſitam ante portam ejusdem Eccleſiæ cum omnibus appendiciis ſuis, & prædium quod dicitur *Svvant*, ex dono ipſius Archi-Epiſcopi. Quicquid juris habetis in decima ſalis qui coquitur de Fonte *Hallæ*. Ex dono *Heinrici* Filii *Etechonis* & Fratris ejus: prædium quod dicitur *Nutzpoum* cum omnibus pertinentiis ſuis. Ex dono *Ebonis*, *Jacconis* & *Babonis*, aquas quas in eodem Fonte ad Sal coquendum habetis prædium ſitum in loco qui dicitur *Occheim* cum appendiciis ſuis. Ex dono *Sibotonis* prædium quod dicitur *Unchen*. Statuimus ut in Eccleſiis veſtris, in quibus Fratres vitam Canonicam Profeſſi fuerint, nulli omnino poſt factam Canonicam Profeſſionem exinde liceat ſine communis Congregationis Permiſſione diſcedere; diſcedentem vero nullus audeat retinere. Si vero poſt ſecundam vel tertiam commonitionem redire contempſerit, liceat ejusdem loci Præpoſito Canonicam in eum proferre ſententiam. Sane ipſa plebs *Hallenſis*, ſicut à jam dicto *Conrado* Archi-Epiſcopo canonice ſtatutum eſt, à nullo Succeſſorum vobis auferatur, ſed in diſpoſitione Præpoſiti veſtri permaneat. Adhæc adjicientes ſtatuimus, ut Capellæ quæ infra terminos Parochialis Eccleſiæ *Hallenſis* fundatæ ſunt, ſicut ab ipſo Archi-Epiſcopo rationabiliter proviſum eſt, eidem Matrici Eccleſiæ ſubjaceant. In futuro autem absque aſſenſu Præpoſiti veſtri novas in ipſa Parochia Capellas ædificari prohibemus, ſalva nimirum Sedis Apoſtolicæ & proprii Epiſcopi auctoritate. Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe concedimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi forte excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat, ſalva tamen juſtitia Matricis Eccleſiæ. Præterea exemptionem Perſonæ tuæ, & Eccleſiæ tibi commiſſæ à ſubjectione *Salisburgenſ.* Archi-Diaconi

per

per Venerabilem Fratrem noſtrum *Eberhardum Salisburgenſ.* Archi-Epiſcopum canonice factam, tibi & per te Eccleſiæ tuæ auctoritate Sedis Apoſtolicæ confirmamus. Obeunte vero te nunc ejusdem loci Præpoſito, vel tuorum quolibet Succeſſorum, nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem Fratres communi conſenſu, vel Fratrum pars Conſilii ſanioris ſecundum Dei timorem & B. *Auguſtini* Regulam providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat ſupradictam Eccleſiam temere perturbare, aut ejus Poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare. Sed illibata omnia & integra conſerventur eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura, ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate & Diœceſani Epiſcopi Canonica juſtitia. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſæcularisve Perſona hanc noſtræ Conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, niſi præſumptionem ſuam congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honorisque ſui dignitate careat, reamque ſe Divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri JEſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus, ſit pax Domini noſtri JEſu Chriſti, quatenus & fructum bonæ actionis hic percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen. Dat. *Later.* per manum *Rolandi* S. Romanæ Eccleſiæ Presbyt. Card. & Cancell. XIII. Calendas Martii. Indictione V. Incarnationis Dominicæ Anno MCLVI. Pontificatus vero Domini *Adriani* Papæ IV. anno tertio.

Confirmatio Ordinis & Fundationis noſtri Monaſterii S. *Zenonis* cum aliis Privilegiis per *Alexandrum* PP. III.

Alexander Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis *Alabrdo* Præpoſito Eccleſiæ *Hallenſis*, ejusque Fratribus tam præſentibus quam futuris Regularem vitam Profeſſis, in perpetuum. Quoniam ſine veræ cultu religionis nec charitatis unitas poteſt ſubſiſtere, nec Deo gratum exhiberi ſervitium, expedit Apoſtolicæ authoritati Religioſas Perſonas diligere, & earum quieti & tranquillitati auxiliante Domino ſalubriter providere. Eapropter dilecti in Domino Filii veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & ad exemplar Prædeceſſorum noſtrorum ſanctæ recordationis *Eugenii* & *Adriani* Romanorum Pontificum, præfatam Eccleſiam, in qua divino mancipati eſtis obſequio, ſub B. *Petri* & noſtra Protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti Privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes, ut ordo Canonicus qui ſecundum Deum & B. *Auguſtini* Regulam in eodem loco noſcitur inſtitutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quascunque Poſſeſſiones, quæcunque bona, tam ex dono *Conradi* quondam Archi-Epiſcopi *Salisburgenſ.* Fundatoris loci veſtri, quam aliorum Dei fidelium in præſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtrisque Succeſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Curtem ſitam ante Portam Eccleſiæ prænominatæ cum omnibus pertinentiis ſuis, & prædium quod dicitur *Svvante* ex dono ipſius Archi-Epiſcopi. Quicquid juris habetis in decima Salis qui coquitur de Fonte *Hallæ*. Ex dono *Heinrici* Filii *Etichonis* & Fratris ejus prædium quod dicitur *Nutzpoum* cum omnibus pertinentiis ſuis. Ex dono *Ebonis*, *Jacconis*, *Babonis*, aquas quas in eodem Fonte ad Sal coquendum habetis aquas quas habetis in ipſo Fonte an dem Werchpret. Curtem cum vineis in *Auſtria*, prædium quod dicitur *Ibingen* cum appendiciis ſuis, prædium ſitum in loco qui dicitur *Occheim*, cum omnibus appendiciis ſuis. Ex dono *Sigbotonis* prædium quod dicitur *Unchen*. Statuimus ut in Eccleſiis veſtris in quibus Fratres vitam Canonicam Profeſſi fuerint nulli omnino poſt factam Canonicam Profeſſionem exinde liceat ſine communis Congregationis permiſſione diſcedere, diſcedentem vero nullus audeat retinere niſi ad majorem Religionem eum conſtiterit aſcendiſſe. Sane ipſa plebs *Hallenſis*, ſicut à jam dicto *Conrado* Archi-Epiſcopo canonice ſtatutum eſt, à nullo Succeſſorum vobis auferatur, ſed in diſpoſitione Præpoſiti veſtri permaneat. Adhæc adjicientes ſtatuimus, ut Capellæ quæ infra terminos Parochialis Eccleſiæ *Hallenſis* fundatæ ſunt, ſicut ab ipſo rationabiliter proviſum eſt, eidem Matrici Eccleſiæ ſubjaceant. Novas autem absque aſſenſu Diœceſis Epiſcopi & veſtro in ipſa Parochia Capellas ædificari prohibemus. Præterea exemptiones Perſonæ tuæ, & Eccleſiæ tibi commiſſæ, à *Salisburgenſis* Archi-Diaconi ſubjectione, ſicut à præfato Archi-Epiſcopo ſtatutum eſt, & Privilegiis Anteceſſorum

ceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum roboratum tibi & per te Eccleſiæ tuæ auctoritate Sedis Apoſtolicæ confirmamus. Obeunte vero te nunc ejusdem loci Præpoſito, vel tuorum quolibet Succeſſorum, nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem Fratres communi Conſenſu vel Fratrum pars Conſilii ſanioris, ſecundum Dei timorem & B. *Auguſtini* Regulam providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Eccleſiam temere perturbare, aut ejus Poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed illibata omnia & integra conſerventur eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura, ſalva Sedis Apoſtolicæ authoritate & Diœceſani Epiſcopi Canonica juſtitia. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſæcularisve Perſona hanc noſtræ Conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, niſi præſumptionem ſuam digna ſatisfactione correxerit, poteſtatis honorisque ſui dignitate careat, reamque ſe Divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri JEſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus, ſit pax Domini noſtri JEſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen.

Datum *Benevent.* per manum *Gerhardi* ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Notarii, Calendas Julii. Indictione 2. Incarnationis Dominicæ Anno MCLXIX. Pontificatus vero Domini *Alexandri* Papæ III. anno decimo.

Pro Aqua in Fonte ad Monaſterium dono data.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Heinricus* Dei gratia Dux *Bavariæ* atque *Saxoniæ* &c. Notum ſit omnibus tam præſentibus quam futuræ ætatis Succeſſoribus, qualiter nos ob amorem Divinæ pietatis Fratribus Eccleſiæ S. *Zenonis*, Deo & Sanctis ibi patrocinantibus, eidemque jugiter famulantibus, aquam unam in Salina *Halla* de aſſere uno haurienda, absque omni angarietione & promulgatione ſententiæ quam nos in eandem aquam habuimus, in tranquillitate & absque alicujus opponente contrarietate poſſidendum permiſimus. Si vero in hujus aquæ traditione voluntas noſtra varietate diſpenſationeque temporis & conſilii immutata fuerit, centum talenta præfatis Fratribus reddemus, & nos in ſupradictam aquam ſententiam ſicut juſtitia dictaverit, in judicio noſtro in eandem aquam dandam non negabimus. Ut vero hujus paginæ ordo in ſupradicto conditionis pacto ratus & incommutabilis permaneat, teſtimonialis noſtri impreſſio Sigilli eum corroborat. Qui autem hujus diſpenſationis Ordini intererant, eorum nomina ſunt hæc. Comes *Pertoldus* de *Andechſe*. *Otto* major Palatinus de *Witilineſpach*, *Heinricus* de *Sxouphe*, *Eberhardus* de *Fricbindorf*. Datæ *Ratisponæ*, Anno Dominicæ MCXXII. glorioſiſſimi autem *Henrici* Ducis *Bavariæ* & *Saxoniæ* Anno peregrinationis primo. *Baldvvinus* Notarius Domini Ducis aſſignavit.

Confirmatio Ordinis & Fundationum noſtri Monaſterii per *Celeſtinum* Papam III.

Celeſtinus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis *Wiemanio* Præpoſito Eccleſiæ S. *Zenonis Hallenſis*, ejusque Fratribus tam præſentibus quam futuris Religioſam vitam Profeſſis, in perpetuum. Quoties à nobis petitur, quod Religioni & honeſtati convenire dignoſcitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium deſideriis congruum ſuffragium impertiri. Eapropter dilecti in Domino Filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatam Eccleſiam S. *Zenonis* in qua Divino mancipati eſtis obſequio, ſub B. *Petri* & noſtra Protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti Privilegio communimus. Inprimis ſiquidem ſtatuentes, ut Ordo Canonicus, qui ſecundum Dei & B. *Auguſtini* Regulam in eodem loco inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Præterea quascunque Poſſeſſiones, quæcunque bona eadem Eccleſia in præſentiarum rationabiliter poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtrisque Succeſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum in quo præfata Eccleſia ſita eſt cum omnibus pertinentiis ſuis, decimalem Salem & prædium quod nominatur *Svvant* cum omnibus appendiciis ſuis, aquam in Fonte *Halla*, quam dedit *Ebo*, aquam quam dedit *Jacco*,

aquam

aquam quam dedit *Henricus Eninkil*, prædium quod dedit *Sigeboto Occheim*, prædium quod dedit *Heinricus Nutzerpoum*, Capellam *Intzella* dictam cum prædio & omnibus appendiciis ſuis, & omni integritate decimarum, quam Venerabilis Frater noſter *Albertus Salisburgenſis* Archi-Epiſcopus libere vobis & Eccleſiæ veſtræ donavit. Sane novalium veſtrorum quæ propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſive de nutrimentis animalium veſtrorum, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præſumat. Liceat quoque vobis Clericos vel Laicos liberos & abſolutos è ſeculo fugientes ad converſionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper ut nulli Fratrum veſtrorum poſt factam in veſtra Eccleſia Profeſſionem, niſi arctioris Religionis obtentu, absque Præpoſiti ſui licentia liceat ab eodem loco diſcedere, diſcedentem vero absque communium literarum cautione nullus audeat retinere. Libertates quoque & immunitates, antiquas & rationabiles conſuetudines Eccleſiæ veſtræ conceſſas, & in Capellis in Parochia veſtra ſitis hactenus obſervatas, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas permanere ſancimus. Inhibemus inſuper ut infra fines Parochiæ veſtræ nullus ſine aſſenſu Diœceſ. Epiſcopi & veſtro Capellam ſeu Oratorium de novo conſtruere audeat, ſalvis Privilegiis Romanorum Pontificum. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clauſis januis, excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, ſubpreſſa voce Divina officia celebrare. Chrisma vero, Oleum ſanctum, Conſecrationes Altarium ſeu Baſilicarum, Ordinationes Clericorum veſtrorum, qui ad ſacros Ordines fuerint promovendi, à Diœceſano Epiſcopo, ſi Catholicus fuerit, & gratiam atque communionem Apoſtolicæ Sedis habuerit, ea vobis gratis & ſine pravitate aliqua volumus exhiberi. Sepulturam præterea ipſius loci liberam eſſe decernimus, & eorum devotioni & extremæ voluntati qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi forte vel excommunicati vel interdicti fuerint, nullus obſiſtat, ſalva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum, à quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci Præpoſito, vel tuorum quolibet Succeſſorum, nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem Fratres communi Conſenſu, vel Fratrum pars Conſilii ſanioris ſecundum Dei timorem & B. *Auguſtini* Regulam providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati veſtræ paterna impoſterum ſollicitudine providere volentes, authoritate Apoſtolica prohibemus, ut infra fines locorum veſtrorum nullus rapinam vel furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, ſeu violentiam aliquam temere audeat exercere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Eccleſiam temere perturbare, aut ejus Poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione, ac ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura, ſalva Sedis Apoſtolicæ authoritate, & *Salisburgenſis* Archi-Epiſcopi Canonica juſtitia. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſecularisve Perſona hanc noſtræ Conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit, ſecundo, tertiove commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honorisque ſui careat dignitate, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à Sacratiſſimo corpore & ſanguine Dei ac Domini Redemptoris noſtri JEſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri JEſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen.

Datum *Lateran.* per manum *Cencii* ſanctæ *Luciæ* in Horthea Diaconi Cardinalis, Romanæ Curiæ Camerarii, XVII. Calend. Aprilis. Indictione tertiadecima. Anno Dominicæ Incarnationis M. C. XC. IV. Pontificatus vero Domini *Celeſtini* Papæ III. anno quarto.

Pro Defenſione Eccleſiæ per Henricum Ducem Bavariæ.

Nos *Henricus* Dei gratia Comes Palatinus *Rheni*, Dux *Bavariæ* &c. Tenore præſentium declaramus, quod nos Cœnobium S. *Zenonis* apud *Halle* ſitum, in noſtram Protectionem recepimus ſpecialem, ut quicunque eandem Eccleſiam in bonis ſuis gravare præſumpſerit, nobis ipſis factam eſſe præſumptionem hujusmodi reputemus. Mandamus ergo Judici ac univerſis civibus in *Halle* firmiter injungentes, ut ſi quis hominum dictum Cœnobium in reditibus ſuis gravet, vel moleſtare præſumat, loco noſtri ipſum fideliter defendatis. Officialibus etiam noſtris diſtricte præcipimus ut decimas in *Caſtuna* & de officio in *Halle*, & penes *Halle* quas eidem Cœnobio, piæ memoriæ *Ludovicus* Comes Palatinus *Rheni*, Dux *Bavariæ* avus noſter contulit, de bonis

noſtris ei primo ſolvantur. Quicunque vero officialium noſtrorum hoc neglexerit, noſtram indignationem ſentiet & offenſam. Illud etiam adjicimus, ut ſi forte eadem bona vendere, obligare, vel quoquomodo à nobis alienare contingat, prædictum tamen Cœnobium in perceptione decimarum debeat permanere. Tibi vero Judici ſub obtentu benevolentiæ noſtræ præcipimus, ut ſi apud te pro aliquo debito ipſis ſolvendo depoſuerint quærimoniam, ipſis debitam juſtitiam & ſatisfactionem facias exhiberi. Alioquin de voluntate noſtra eſt, ut ipſos compellant per Sacramenta Eccleſiaſtica ad ſolvendum. In cujus rei teſtimonium, ipſi Cœnobio dedimus præſentes litteras noſtri Sigilli robore communitas. Datum in *Travenſtein*, Anno Domini Milleſimo, ducenteſimo, ſeptuageſimo tertio. Nonis Februarii.

Confirmatio Bonifacii Papæ VIII.

Bonifacius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Præpoſito & Conventui Monaſterii S. *Zenonis* in *Hallis*, per Præpoſitum ſoliti gubernari, Ordinis S. *Auguſtini Salisburgenſis* Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino Filii, veſtris juſtis poſtulatibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates & immunitates à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſive per Privilegia vel alias Indulgentias vobis & Monaſterio veſtro conceſſas, nec non libertates & exemptiones ſecularium exactionum à Regibus & Principibus, ac aliis Chriſti fidelibus rationabiliter vobis & Monaſterio prædicto indultas, ſicut eas juſte & pacifice obtinetis, vobis & per vos eidem Monaſterio auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti Patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ Confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. *Lateran.* V. Calend. Martii. Pontificatus noſtri anno ſexto.

Confirmatio URBANI Papæ VI. omnium noſtrorum Bonorum.

Urbanus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Præpoſito & Conventui Monaſterii S. *Zenonis* extra muros oppidi *Reichenhallenſis*, per Præpoſitum ſoliti gubernari, Ordinis S. *Auguſtini Salisburgenſis* Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod juſtum eſt & honeſtum tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem Officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino Filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu Perſonas veſtras & Monaſterium de *Reichenhall* prædictum, in quo divino eſtis obſequio mancipati, cum omnibus Bonis, quæ in præſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum juſtis modis præſtante Domino poteritis adipiſci, ſub Beati *Petri* Protectione ſuſcipimus atque noſtra, omnesque libertates & immunitates à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſive per Privilegia, vel alias Indulgentias, vobis & Monaſterio veſtro prædicto conceſſas, nec non libertates & exemptiones ſecularium exactionum à Regibus & Principibus, vel aliis Chriſti fidelibus rationabiliter vobis & Monaſterio auctoritate Apoſtolica confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ Protectionis & Confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI & Beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum *Romæ* apud Sanctum *Petrum*, V. Idus Decembris, Pontificatus noſtri anno quarto.

Protectio Monaſterii S. Zenonis, per Ludovicum Ducem Bavariæ.

Ludovicus Dei gratia Comes Palatinus *Rheni* & *Bavariæ* &c. Judici & univerſis Civibus in *Halle* gratiam ſuam & omne bonum. Notum eſſe volumus veſtræ univerſitati, quod nos Cœnobium Sancti *Zenonis* apud *Halle* ſitum in noſtram Protectionem recepimus & defenſionem, ut quicunque eandem Eccleſiam in bonis ſuis gravare præſumpſerit, nobis factum eſſe reputamus. Veſtræ ergo mandamus univerſitati firmiter injungentes, ut ſi quis hominum antedictum Cœnobium in reditibus ſuis gravet,

vet, vel moleſtare præſumat, loco noſtri defendatis. Decimam vero quam ipſis contulimus, Officialibus noſtris præcipimus, ut eis primo de Bonis noſtris ſolvant, quicunque Officialium noſtrorum hoc neglexerit, noſtram ſentiet offenſam & indignationem. Tibi vero judici ſub obtentu noſtræ benevolentiæ præcipimus, ut ſi apud te pro aliquo debito ipſis ſolvendo aliquam depoſuerint quærimoniam, ipſis debitam exhibeas juſtitiam & ſatisfactionem plenariam. Quod ſi non feceris, de noſtra bona eſt voluntate & licentia, ut per Divina ipſos compellant ad ſolvendum.

Confirmatio omnium Bonorum & Privilegiorum per *Martinum* Papam V.

Martinus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Præpoſito & Conventui Monaſterii S. *Zenonis* extra muros oppidi *Reichenhalla*, per Præpoſitum ſoliti gubernari, Ordinis S. *Auguſtini Salzburgenſis* Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod juſtum eſt & honeſtum tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem Officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino Filii veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates & immunitates à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſive per Privilegia, ſive alias Indulgentias, vobis & Monaſterio veſtro conceſſas, nec non libertates & exemptiones ſecularium exactionum à Regibus & Principibus, vel aliis Chriſti fidelibus rationabiliter vobis & Monaſterio prædicto, ſicut eas juſte & pacifice obtinetis, vobis & per vos eidem Monaſterio auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti Patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ Confirmationis & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum *Romæ* apud Sanctos Apoſtolos, V. Idus Octobris. Pontificatus noſtri anno undecimo.

Confirmatio Sanctiſſimi Domini noſtri Alexandri Papæ Privilegiorum Monaſterii.

Alexander Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Præpoſito & Conventui Monaſterii S. *Zenonis* prope oppidum *Reichenhall* per Præpoſitum ſoliti gubernari, Ordinis S. *Auguſtini Salisburgenſis* Diœceſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem Officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino Filii veſtris juſtis poſtulationibus, grato concurrentes aſſenſu, Perſonas veſtras & locum in quo Divino eſtis obſequio mancipati, cum omnibus Bonis, quæ in præſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum juſtis modis præſtante Domino poteritis adipiſci, ſub B. *Petri* Protectione ſuſcipimus, atque noſtra, omnes quoque libertates & immunitates à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſive per Privilegia vel alia Indulta vobis & Monaſterio veſtro conceſſas, nec non libertates & exemptiones ſecularium exactionum à Regibus & Principibus, ac aliis Chriſti fidelibus vobis & eidem Monaſterio rationabiliter indultas, ſpecialiter autem decimas, primitias, fructus, reditus, proventus, Dominia, domos, terras, vineas, hortos, prata, paſcua, ſylvas, nemora, poſſeſſiones, molendina, jura, jurisdictiones, & alia Bona ad Monaſterium prædictum ſpectantia, nec non Parochiales & ſine cura Eccleſias, quas eidem Monaſterio unitas ſive incorporatas exiſtere, & vos in uſus proprios canonice obtinere aſſeritis, ſicut ea omnia juſte & pacifice poſſidetis, vobis & per vos eidem Monaſterio authoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti Patrocinio communimus, ſalva in prædictis decimis moderatione Concilii Generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ſuſceptionis, confirmationis, & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum *Romæ* apud Sanctum *Petrum*, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo ſecundo. Decimo ſeptimo Calendas Aprilis. Pontificatus noſtri anno primo.

Confirmatio Privilegiorum Monaſterii I.) Zenonis, per *Innocentium* octavum.

Innocentius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Præpoſito & Conventui Monaſterii S. *Zenonis* prope oppidum *Reichenhall*, per Præpoſitum ſoliti gubernari, Ordinis S. *Auguſtini Salisburgenſis* Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem Officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino Filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates & immunitates à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſive per Privilegia, vel alia Indulta, vobis & Monaſterio veſtro conceſſas, nec non libertates & exemptiones ſecularium exactionum à Regibus & Principibus, aç aliis Chriſti fidelibus vobis & eidem Monaſterio rationabiliter indultas, ſpecialiter autem decimas, primitias, fructus, reditus, proventus, domos, terras, hortos, vineas, prata, paſcua, ſylvas, nemora, poſſeſſiones, molendina, aliaque mobilia & immobilia bona, ad dictum Monaſterium ſpectantia, ſicut ea omnia juſte & pacifice poſſidetis, vobis & per vos eidem Monaſterio authoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti Patrocinio communimus, ſalva in prædictis decimis moderatione Concilii Generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ Confirmationis & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum *Romæ* apud S. *Petrum*, anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo, quadringenteſimo, octuageſimo ſexto, tertio Nonas Julii. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Confirmatio omnium Bonorum Monaſterii per *Leonem* Papam X.

Leo Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Præpoſito & Conventui Monaſterii S. *Zenonis* per Præpoſitum ſoliti gubernari, prope & extra muros oppidi *Reichenhall* Canonicorum Regularium Ordinis S. *Auguſtini Salisburgenſis* Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Cum à nobis petitur quod juſtum eſt, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem Officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino Filii veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates & immunitates à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſive per Privilegia, vel alia Indulta, vobis & Monaſterio veſtro conceſſas, nec non libertates & exemptiones ſecularium exactionum ab Imperatoribus, Regibus & Principibus, ac aliis Chriſti fidelibus vobis & dicto veſtro Monaſterio rationabiliter indultas, ſpecialiter autem Parochiales Eccleſias & Capellas *Salisburgenſis* Diœceſis, quas eidem Monaſterio canonice unitas, annexas, & incorporatas eſſe aſſeritis, nec non decimas, primitias, oblationes, cenſus, fructus, reditus, proventus, terras, domos, poſſeſſiones, jurisdictiones, & alia bona ad præfatum Monaſterium pertinentia, ſicuti ea omnia juſte & pacifice poſſidetis, vobis & per vos eidem Monaſterio authoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti Patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ Confirmationis & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum *Romæ* apud Sanctum *Petrum*, anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo, quingenteſimo quarto decimo. VI. Calendas Februarii. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Confirmatio noſtrorum Bonorum per Julium Papam II.

Julius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Præpoſito & Conventui Monaſterii S. *Zenonis* prope *Reichenhall*, per Præpoſitum ſoliti gubernari, Ordinis B. *Auguſtini Salisburgenſis* Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem Officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino Filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, Perſonas veſtras & locum, in quo Divino eſtis obſequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum juſtis modis præſtante

ſtante Domino poteritis adipiſci, ſub B. *Petri* Protectione ſuſcipimus atque noſtra, omnes quoque libertates & immunitates à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſive per Privilegia, vel alia Indulta vobis & Monaſterio veſtro conceſſas, nec non libertates & exemptiones ſecularium exactionum à Regibus & Principibus, ac aliis Chriſti fidelibus vobis & eidem Monaſterio rationabiliter indultas, ſpecialiter autem, decimas, primitias, reditus, proventus, domos, terras, vineas, hortos, campos, prata, paſcua, ſylvas, nemora, poſſeſſiones, molendina, donationes, venationes, ſalinas, piſcarias, mancipia, Dominia, infeudationes, jurisdictiones, jura etiam Patronatus, & præſentandi, venandi, piſcandi, infeudandi, & alia bona ad Monaſterium prædictum ſpectantia, nec non Parochiales & ſine cura Eccleſias, quas eidem Monaſterio unitas, ſive incorporatas eſſe, & vos in uſus proprios canonice obtinere aſſeritis, ſicut ea omnia juſte & pacifice poſſidetis, vobis & per vos eidem Monaſterio authoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti Patrocinio communimus, ſalva in prædictis decimis moderatione Concilii Generalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam ſciens noſtræ ſuſceptionis & confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI ac BB. *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum *Romæ* apud S. *Petrum*, anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo, quingenteſimo octavo, tertio Calendas Januarii, Pontificatus noſtri anno ſexto.

Nomina Reverendiſſimorum DD. Præſulum Eccleſiæ S. Zenonis in Norico.

I. LANZO electus anno Chriſti 1120.
II. HENRICUS I. 1146.
III. DIETHMARUS 1158.
IV. ALHARDUS 1169.
V. ADEHARDUS 1174.
VI. WEICHMANNUS 1191.
VII. CONRADUS I. 1197.
VIII. ERHARDUS 1202.
IX. PABO 1212.
X. LUITHALUS.
XI. RUGERIUS.
XII. HENRICUS II.
XIII. HUGO.
XIV. THEODERICUS.
XV. POLYRINUS anno 1277.
XVI. CONRADUS II. cognomento Reinperſi 1299.
XVII. FRIDERICUS 1309.
XVIII. HENRICUS III. 1325.
XIX. OTHO I. 1334.
XX. ULRICUS Puchmeyr 1345.
XXI. CHRISTIANUS I. electus anno 1350. præfuit annis 49.
XXII. OTHO II. electus anno 1399.
XXIII. CHRISTIANUS II. electus anno 1400.
XXIV. OTHO III. anno 1401.
XXV. CONRADUS III. 1412.
XXVI. PAULUS I. 1430.
XXVII. JOANNES I. Kolb 1432.
XXVIII. JOANNES II. Prunleittner 1465.
XXIX. JOANNES III. Weinfelder 1470.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XXX. LUDOVICUS Ebner, primus Præpositus Infulus, Decretus Epiſcopus Chiemenſis.

XXXI. JOANNES IV. Peunteker 1498.

XXXII. OSWALDUS Fer 1505.

XXXIII. WOLFGANGUS I. 1515.

XXXIV. PAULUS II. Rothofer 1526.

XXXV. ERASMUS Sirubeck 1553.

XXXVI. ANDREAS Hærtl 1559.

XXXVII. WOLFGANGUS II. Neuhauſer 1562.

XXXVIII. MELCHIOR Donnawer 1592.

XXXIX. LEONARDUS Agricola 1599.

XL. GEORGIUS I. Berreitter 1613.

XLI. GEORGIUS II. Reitmeir 1615.

XLII. BERNARDUS I. Piſcator 1628.

XLIII. BERNARDUS II. Rottenwalder, ex ſupradicta urbe Reichenhallenſi vicina, ſexagenario major adhuc tamen indefeſſus totis viribus rerum ſtrenue ſategit, dum ſingulari Zelo, & induſtria Collegium longævo ſuperiorum temporum decurſu mille damnis, & periculis graviſſime divexatum primævo vigori ſuo feliciſſime reſtituit, noſtris adhuc temporibus conſtitutum.

ZEVENNA

Vide Tzevenna ſub Littera T. ubi brevem hujus Canonia notitiam habebunt Lectores.

ZOBBTENSIS

Præpoſitura Canonici Apoſtolicique noſtri Ordinis per Præpoſitum cum uno Curato gubernari ſolita hiſce noſtris temporibus, ſubeſt illa Reverendiſſimo Vratislavienſi Præſuli in Arena. Fundationis tamen initia, Fundatores & reliqua ad accuratiorem Hiſtoriam pertinentia nos latent. Diſtat haud procul Vratislavia.

ZONEBECKA.

Hæc Abbatia Canonicorum Regularium Ord. S. Auguſtini, duabus ab Ipra Milliaribus, Diœceſis olim Morinenſis, nunc Iprenſis, Titulo B. MARIÆ inſignitur. Fuit autem ab initio Præpoſitura tantum, & quidem haud plurium quam trium Canonicorum, Auctore Fulboldo ſeu Fulpoldo Caſtellano Iprenſi, pro animæ ſuæ ſalute, Ramburgis Uxoris, Filiorum & Anteceſſorum ſuorum, ut patet ex Charta Drogoni Epiſcopi Morinenſis hanc Fundationem confirmantis anno 1072. apud Miræum novæ Editionis pag. 1133. & in Appendice noſtra. Deinde vero Theobaldus Fulpoldi Filius non modo Fundationem approbavit, ſed ad numerum ſeptem Canonicorum auxit ex propriis bonis: Tandemque ad Abbatialem Dignitatem provecta eſt anno ſaltem 1142. uti palam fit ex Bulla Innocentii II. Arnulfo Abbati Sonnebecenſi inſcripta, qua Monaſterii Privilegia confirmat hoc anno: & ſtatuit ut ordo Canonicus ſecundum B. Auguſtini Regulam & Inſtitutionem Fratrum de Aridagamantia (Arroaſia) perpetuis temporibus ibidem obſervetur. Exſtat hæc Bulla in Editione noviſſima operum Miræi pag. 1163. Dirutum eſt hoc Monaſterium per tumultus Bellicos Anno 1578. quod adhuc tamen perſeverat.

Series Abbatum.

LAMBERTUS Filius Theobaldi alterius Fundatoris, fuit primus Præpoſitus Sonnebecanus ab anno ſaltem 1110. quo memoratur in Bulla Paſchalis II. Fundationem approbantis, apud Miræum pag. 1152. Deinde anno Præpoſituræ ſuæ quarto factus eſt Epiſcopus Noviom. ac Tornacenſis ex notis Editoris operum Miræi, ibidem, pag. 1164. ubi etiam obiiſſe dicitur anno 1123.

I. AR-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

I. ARNULFUS ex ſecundo Præpoſito memoratur Abbas anno 1142. in Bulla Innocentii II. cujus ſupra mentionem fecimus.

II. DANIEL ſecundus Abbas 1153.

III. JOHANNES I. anno 1179. is profecto Johannes, qui ex Abbate de Sunebecca vocatus eſt ad Abbatiam S. Bartholomæi de Ekout in Belgio, ex Epiſt. Stephani Tornac. 269.

IV. FUMALDUS 1210.

V. JOHANNES II. 1230.

VI. JOHANNES III. 1257. & 1267. quo anno ſuper decimis de Morſelede compromiſit cum Waltero Decano Tornacenſi, memoratur adhuc anno 1268.

VII. HENRICUS Aſceta Montis S. Eligii factus eſt Abbas in Zunebecca, ex Catalogo Virorum Illuſtrium Montis S. Eligii.

VIII. HUGO 1305. & 1324.

IX. INGELRAMUS I. 1346.

X. JOHANNES IV. Claëirbout 1360.

XI. INGELRAMUS II. 1393.

XII. VICTOR 1408.

XIII. JOHANNES V. Ladinoet 1429.

XIV. JACOBUS I. van Campen Decretorum Doctor aſſumptus ex querceto 1440. & 1455. in Archivo Remenſis Archi-Epiſcopi.

XV. ELIGIUS de Vacht, electus 1470. ceſſit anno 1490.

XVI. JOHANNES VI. de ſpina fit Abbas 1490. Auctoritate Innocentii Papæ VIII.

XVII. GUILLELMUS I. Steelant, creatus Abbas à Leone X. anno 1516. obiit Abbas S. Winoci.

XVIII. JOHANNES VII. Calin, nominatione Caroli V. Imperatoris Abbatiam conſecutus eſt anno 1538.

XIX. NICOLAUS Ogiers, al. Oſiers, ex Grammaio, à Philippo II. Hiſpaniarum Rege nominatus anno 1568. memoratur in Necrologio Nonenboſis his verbis: VIII. Idus Maij Nicolaus Ogiers Abbas de Zunnebeck dedit feneſtram in ambitu. Lapidi vero ſepulchrali tribus Abbatibus communi inſcriptum eſt hoc Epitaphium: R. A. D. NICOLAUS OGIERS Strenuus Abbatiæ contra Invaſores Defenſor.

XX. CAROLUS Boiſot, nominatione Sereniſſimorum Principum Alberti & Iſabellæ Claræ Eugeniæ renuntiatus, Abbas 1608. fato fungitur 27. Aug. 1637. Hanc habet Inſcriptionem in memorato Lapide: *R. A. D. CAROLUS BOISOT à vitæ nobilitate & diuturno Regimine ſpectabili.* Fuerat Laudatiſſimus hic Abbas prius Canonicus Windeſimenſis. In Bibliotheca Belgica Valerii Andreæ Deſſelii refertur illum edidiſſe *Orationes*, & *Inſtituta ad Regulam S. Auguſtini* pro Cœnobitis ſuis apparata.

XXI. BERNARDUS de Haine à Ferdinando Imperat. deſignatur Abbas 1638. obiit 1652. ex ipſius Epitaphio, quod ſequitur: *Latet ſub hoc Lapide BERNARDUS de HAENE 20. Abbas ac Toparcha de Sonnebeke, hujus Monaſterii fulcimentum, Vir celſa humilitate & mortificatione conſpicuus, qui ante obitum mortuus, poſt obitum in æternum vivere cœpit anno Domini MDCLII. XIX. Cal. Febr.*

XXII. GUILLELMUS II. van Houcke, nominatus à Leopoldo Archi-Duce anno 1652. deceſſit eodem anno, ut fidem facit Epitaphium: *Hic jacet Reverendus Admodum Dominus D. GUILLELMUS van HOUCKE, Abbas & Toparcha de Zonnebecke ad eandem Abbatialem Dignitatem promotus, poſtquam diverſis in locis ſumma cum laude munus Paſtorale & Decanale obiiſſet, & carceres zelandicos ob Fidem Catholicam circiter triennio patienter ſuſtinuiſſet, tandem ætatis ſuæ anno 63. Profeſſionis Monaſticæ 44. & Abbatialis Dignitatis die 17. pie in Domino obdormivit anno Verbi Incarnati MDCLII. Requieſcat in Pace.*

XXIII. HUBERTUS Wycaert ſub eodem Lapide quieſcit, quo Nicolaus Ogiers & Carolus Boiſot cum hac Epigraphe: *R. A. D. HUBERTUS WYCAERT indefeſſa æconomiæ obſervatione afflicto Monaſterio proficuus. Requieſcat in Pace.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XXIV. MELCHIOR David innoteſcit ex Epitaphio: *Hic ſitus eſt Reverendus Admodum Dominus MELCHIOR David 23. Abbas & Toparcha de Sonnebeke, cujus manſuetudinem, ſedulitatem, virtutes reliquos venerantur omnes ut variores effectus decennalis Regiminis. Obiit 3. Jan. anno Dom. 1670. ætatis 41. Prælaturæ XI.*

XXV. JACOBUS II. Piers hoc habet Epitaphium: *Hunc ſibi locum ſepulturæ elegit Reverendus Admodum Dominus D. JACOBUS Piers 24. Abbas & Toparcha de Sonnebeke, cujus in rebus agendis vigilantiam venerati ſunt coætanei, mirabuntur poſteri. Et Patriæ fuit, dum reſedit inter Ordines Flandriæ, & Monaſterio ſuo ſemper utilis, dum ejus partem in meliorem redegit formam, alteram novis ædificiis exornavit, operibus ſuis optatam à ſeculis appoſuit coronidem, uti Toparchiæ jura prius diviſa Monaſterio coadunavit. Obiit anno Dom. 1699. 10. Martij, ætatis 70. Prælaturæ 28. Requieſcat in Pace.*

XXVI. AMBROSIUS Vander Weerde à Rege confirmatur Menſe Aprili 1699. tale ipſius eſt Epitaphium: *Sub hoc Marmore latet Reverend. Admodum ac Ampliſſimus Dominus D. AMBROSIUS Vander Weerde 25. Abbas ac Toparcha de Sonnebeke, Vir planè egregius, doctrina conſpicuus, Conſilio præſtans, atque ob pietatem, ſobrietatem, caritatem, humilitatem, aliasque virtutes plurimas, quibus veriſſimum bonorum operum exemplar apud poſteros in æterna admiratione merito habendus. Munus boni Paſtoris in Nieukerke per 29. annos zeloſe obivit, inde ad pedum Abbatiale vocatus, Monaſterium novis ædificiis condecoravit, & ſuos alimento ſpiritualis dulcedinis pleno usque ad mortem pavit. Obiit anno Domini 1711. die 18. Maij, ætatis 72. Prælaturæ 12. Jubilæi 22. Requieſcat in Pace.*

XXVII. PATRICIUS Holuoet nominatus Abbas menſe Majo anni 1711. Benedictionem percipit die 13. Septembris.

ZSCHILLENSE ſive ZSCHILLA.

De hoc Canonicorum Regularium in Saxonia Monaſterio, quod etiam *Schilla* dicitur, ſcribunt Annales Vetero-Cellenſes. §. XXII. *Dedo* (qui fuit Comes de Rochelitz proavus S. Eliſabeth, & avus S. Hedwigis) *Patrem ſuum Conradum imitatus, Monaſterium ſolenne Canonicorum Regularium fundavit in Schilla, quod hodie poſſident Fratres Ordinis Militarium de Domo Teutonica. Dedicatum fuit anno MCLXXXIIII. Accepit autem primos Canonicos & Fratres de Sereno Monte, & primus Præpoſitus* THEODERICUS *dicebatur. Quomodo autem iſtud Monaſterium devenerit ad Cruciferos, plena de hoc habetur Hiſtoria longa apud S. Thomam in Leipzig, quam ibidem perlegi. Et ut aliquid ſciatur: Fratres quidam Nobiles genere & ſanguine, ſed ignobiles moribus Præpoſitum eorum uno pede cum gladio mutilarunt, ac ita inordinate vixerunt, quod eisdem per Advocatos Marchionum Miſnenſium repulſis & excluſis, ipſis Cruciferis magna dona donantibus locum tradiderint; ſicque ipſi Cruciferi taliter qualiter locum obtinuerunt.* In hoc ipſo Cœnobio honorifice ſepultus eſt pijſſimus Fundator, ex ventris inciſione, propter nimiam pinguedinem ad tollendam aruinam à Medico adhibita mortuus. Anno Domini 1210. XVII. Kal. Sept.

Series Præpoſitorum.

I. THEODORICUS. 1182. Obiit anno 1191.

II. HENRICUS I. Ex Chronico *Montis Sereni* ad annum mox citatum. obiit 1200.

III. UDO vel Otto 1248.

IV. HEINRICUS II. 1263.

V. REINERUS vel Wernerus. Præpoſitus vel Prior. 1274.

VI. HARTMANNUS Comes in Heldrungen, Magiſter Ordinis Teutonici.

Poſt Henricum primum ponitur in Chronico *Montis Sereni WILHELMUS* Sereni Montis Canonicus, qui anno 1222. Profectus eſt Veronam ut intereſſet Colloquio inter HONORIUM Papam & Fridericum Imperatorem indicto.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ZUCHENSIS.

Canonia Ordinis Auguſtiniano-Canonici in Polonia, prope vel in Cracovia civitate Fundatorem habuit Illuſtriſſimum Comitem Petrum Komiviowski Capitaneum Oswiecinenſem. Occaſionem fundationi facit mira ejusdem ſanatio per merita B. Stanislai Canonici Regularis Caſimirienſis obtenta, hujus enim, inquit Papebrochius in append. ad menſem Maij, beneficii accepti non ingratus, adiit Præpoſitum Eccleſiæ Sanctiſſimi Corporis Chriſti, & in villa ſua hæreditaria Sucha (Zucha) dicta, Eccleſia & Monaſterio ac muro non modicis ſumptibus ædificato, Canonicos regulares Conventus Cracovienſis in eo fundavit, & dotavit.

ZWOLLIS ſeu ZWOLLENSE.

Mons ſanctæ Agnetis.

Mons S. Agnetis, inquit Bennotus in hiſtoria ſua tripartita cap. 38. apud Zwollam Monaſterium Congregationis Windeſimenſis a nonnullis Gerardi Magni diſcipulis fuit fundatum circa annum. 1395. in magna quidem humilitate & paupertate ſpiritus. Felix plantatio, quæ tam uberes in vinea Domini fructus protulit, & Deo adjuvante, indies profert; ex hoc enim ſanctiſſimorum certe Canonicorum Collegio viri probitate, & doctrina ſpectatiſſimi prodierunt, Thomas ille Venerabilis de Kempis nuncupatus, cujus ingenium, & pietatem illius opera toti mundo notiſſima teſtantur. Joannes item de Kempis ejus Fratet natu major, cujus vitam tenuit Joannes Baſchius dictæ Congregationis Canonicus, & alii, quos recenſet idem Thomas de Kempis in Chronico dicti Monaſterii, quod nuper edendum curavit R. Admodum Pater Heribertus Roſweidus e ſocietate Jeſu addit. Joannes Trithemius de viris illuſtribus Germaniæ ſub anno 1495. Joannem Bruxellenſem Cognomento *Mauburnum*, quem dicit fuiſſe Canonicum in Monaſterio D. Agnetis, prope Zwolnam. Verba Trithemii hæc ſunt,

Joannes de Bruxellis oppido Brabantiæ oriundus, Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini, Monaſterii S. Agnetis prope Zwollas, vir in divinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & ſecularis literaturæ non ignarus, ingenio clarus, & comptus eloquio, ſcripſit Volumen magnum, & non inutile ad inſtitutionem omnium Chriſtianorum, quod prænotavit Roſetum exercitiorum ſpiritualium, & ſacrarum meditationum lib. 2. item de viris Illuſtribus ſui Ordinis lib. 1. & quædam alia nobis incognita. Vivit adhuc, ut intelligo in oqpido Campis ſocius Confeſſoris Monialium, & varia ſcribit ſub Maximiliano anno 1459. Memoriam etiam ſpecialem meretur JOANNES WAEL qui in hoc ipſo Cœnobio floruit, ad quem Epiſcopi Paderbornenſis Wilhelmi in Chronico V. Thomæ Kempenſis ſequens Epiſtola legitur: *Honorabili Viro Joanni Wäel Priori Monaſterii in Zwollis Trajectenſis Diœceſis tradimus & concedimus, & aſſignamus per præſentes, ita, quod ipſe Eccleſiæ & Monaſterio in Budiken, prout facultas ſuppetit, Congregationem convenientem virorum Deo devotorum, Canonicorum videlicet Regularium, religioni ſui Monaſterii in Zwollis conformium, juxta ejusdem Religionis exigentiam ibi conſtituat, præſertim cum S. Meynulphus ejusdem Monaſterii Fundator religionis Illius creditur eſſe Profeſſor, priorem ſeu Præpoſitum ipſi Congregationi præficiat prout ei viſum fuerit expedire.*

Cum anno 1561. reaſſumpto Concilio Tridentino deliberaretur, quomodo invaleſcentibus in Belgio hæreſibus validius reſiſti poſſet, Pius IV. Summus Pontifex paucitatem & nimiam amplitudinem Epiſcopatuum, nec in varias exemptiones a Jurisdictione Epiſcoporum conſiderans, ad inſtantiam Philippi II. Regis Hiſpaniarum quatuor novos Epiſcopatus inter hos etiam Daventrienſem, erexit, cum autem deeſſent ſufficientia bona fundationis pro novis Epiſcopis eorumque officialibus, & pro dignitatibus novorum Capitulorum Cathedralium, Pontifex aliquot Monaſteria & Præpoſituras ſuppreſſit, illorum fructus, redditus, & proventus Daventrienſi Epiſcopali menſæ pro dote aſſignavit. Hæc ſors etiam ceſſit Monaſterio S. Agnetis, in quo V. Thomas ante centum annos ſuam vitam transegerat. Profeſſionem bonorum Conventus in Monte S. Agnetis Joannes Mahuſius, primus Epiſcopus Daventrienſis, qui erat Franciſcanus, non adiit, ſed propter ſenium & adverſam valetudinem anno 1570. oneri Epiſcopali & Mitræ renuntiavit.

Ejus autem Succeſſor Ægidius de Monte, patriter Franciſcanus anno 1570. Mahuſio a Rege Catholico ſurrogatus, poſtquam ab Albano regio Gubernatore Belgii in mandatis acceperat, ut ſe de bonis Monaſterii S. Agnetis informet, & ne ea dos novi Epiſcopatus alienetur, impediat, mox poſt aditam Poſſeſſionem Epiſcopatus, etiam poſſeſſionem Conventus in Monte S. Agnetis cum onere vitalitiæ ſuſtentationis quinque regularium Sacerdotum adiit. Ad hoc Manuſcripta V. Thomæ kempenſis Joannes Ulimerius Canonicus Regularis Congregationis Windesheimenſis vir jam tempore Concilii Tridentini anno 1561. eruditione ac ſcriptis celebris precibus extorſit, eaque in ſuo Monaſterio Lovanienſi ad S. Martinum, in quo in Priorem ſeu Prælatum aſſumptus eſt, ſtabili ſede locavit.

Hæc ex Amorto, ejusque *Certitud. moral.* pro V. *Thoma Kempf.* Præf. §. III. deſumpta ſunt, ubi plura videri poterunt.

ZWOLLENSE II.

Aliud ibidem loci de eadem Windeſimenſium Congregatione religioſum domicilium, alterius tamen ſexus ſeu Canoniſſarum regularium, ſed pariter devaſtatum, & ad uſus profanos applicatum, nobis tamen adhuc probe cognitum ex eodem Chronico Montis S. Agnetis Venerabilis noſtri Thomæ Kempenſis in quo Capite 27. ex Venerabili Parthenone iſto Zwollenſi ſub annum Chriſti 1458. quam plures ſacras Virgines lethifero Epidemiæ morbo fuiſſe ſublatas legimus. Addant plura, quibus major quam mihi & florentiſſimæ Congregationis Windeſimenſis, & Daventrienſis Diœceſis ſuppetit notitia.

WEN-